
PLACITORVM ſummæ apud Gallos Curiæ Libri XII.

Per Iohannem Lucium Pariſienſem.



LVTETIAE,
Apud Carolum Stephanum, Typographum Regium.
M. D. LIII.
Cum priuilegio Regis, & Curiæ decreto.

OVLTRE L'ARREST ET PRIVILEGE DE LA COVRT DE *Parlement, contenu au ſecond fueillet de ce preſent liure, par deux lettres patentes du Roy, les premieres donnees a ſainct Germain en Laye, le XXVI. iour de Feburier, M. D. LII. ſignees ſur le repli, Par le Roy, maiſtre Iehan Dauanſon, maiſtre des Requeſtes ordinaire de l'hoſtel, preſent, Du Thier: les ſecondes a Paris, le VI. iour de Iuing, M. D. LIII, ſignees ſur le repli, Par le Roy, maiſtre Iehan Iacques De meſmes, maiſtre des Requeſtes ordinaire de l'hoſtel, preſent, Mahieu: toutes deux ſeellees du grand ſeel dudict Seigneur ſur double queue.*

Il eſt permis & octroyè a maiſtre Charles Eſtienne, ſon imprimeur ordinaire, que nul autre que luy en ce Royaume, pays, terres & ſeigneuries dudict Seigneur, puiſſe imprimer ne faire imprimer, uendre ne debiter cedict preſent liure, intitulè, Placitorum ſummæ apud Gallos Curiæ, libri XII. per Iohannem Lucium Pariſienſem, *iuſques apres ſix ans finez & accompliz, a compter du iour & date du paracheuement d'icelny: ſur peine de confiſcation de la choſe, & d'amende arbitraire, applicable moitiè audict Seigneur, & moitiè audict Eſtienne.*

A laquelle fin, ledict Seigneur a uoulu & commandè, que ce qui aura ainſi eſtè & ſera imprimè, contrefaict & mis en uente, ſoit ſaiſi & mis en ſa main: & ceulx qui auront ce faict, adiournez par deuant le Preuoſt de Paris, ou ſon Lieutenant: auquel de ſa certaine ſcience, propre mouuement, plaine puiſſance & auctoritè, eſt mandè proceder alencontre des deſobeiſſans, ſommairement & de plain, a la declaration deſdictes confiſcation & amende arbitraire, ſans ce qu'aucuns autres iuges en puiſſent prendre Court, Iuriſdiction, ne congnoiſſance: laquelle leur eſt du tout interdicte & defendue.

Et oultre a ledict Seigneur declairè, que tant pour ceſt oeuure & autres mentionnez en ſeſdictes lettres, que autres que cy apres il permettra a ſondict imprimeur ordinaire imprimer: mettant par luy en brief, au commencement ou a la fin deſdicts oeuures, le contenu en ſeſdictes lettres au uray, ſur peine d'encourir crime de faulx: il a uoulu & luy plaiſt, qu'elles ſoyent tenues pour ſuffiſamment ſignifiees, & uenues a la congnoiſſance de tous libraires & imprimeurs, & ſoit cela de tel effect & uertu, que ſi ſeſdictes lettres meſmes leur auoyent eſtè expreſſément & particulierement monſtrees & ſignifiees. Sauf ſ'ils ueulent pretendre que moins contiennent, que ce que ſondict imprimeur n'aura mis, a en demander exhibition par deuant ledict Preuoſt de Paris ou ſon Lieutenant, par luy, ſeul & pour le tout, commis en ceſte partie.

Et le tout, nonobſtant quelconques droicts, couſtumes, ſtatuts, edicts, ordonnances, eſtabliſſemens de ſes Cours & Iuriſdictiõs, reſtrictions, mandemens ou defenſes & lettres a ce contraires: a toutes leſquelles choſes ledict Seigneur a deroguè, de ſa certaine ſcience, propre mouuement, plaine puiſſance & autoritè, ainſi qu'il eſt plus a plain contenu & declairè eſdictes lettres.

De Placitorum commentariis excudendis, priuilegiique irrogatione, libellus.

AMPLISSIMAE CVRIAE, IOHANNES LVCIVS, S. P. D.

VT veteres Iuriſprudentiæ ſcriptores, poſt ſua ſenſa ſenſorúmque rationes, & citatas aliorum ſententias, etiam Imperatorum vel reſcripta vel decreta, ſi qua de rebus quæ tractabantur, extarent, veluti Colophonem impoſituri, laudare ſolebant: ita nunc quoque, PATRES CONSCRIPTI, nec Iuriſconſultus maiore conſtantia reſpondet, nec orator ſpem vincendi certiorem animo concipit, nec litigator iuris ſui confidentia magis ferocire videtur, quàm cùm veſtra præiudicia, veſtras autoritates, in eadem vel ſimili ſpecie, ſe proferre poſſe perſuaſum habet. Et is quidem à vobis hactenus iiſce præiudiciis ac autoritatibus ſeruatus eſt honos, vt ſi quid in commune cōſulendum eſſet, aut publico vel priuato iudicio diſceptaretur, quod ad exemplum pertineret: ea, omni memoria repeterentur, & quem Iuris huius callentiſſimum exiſtimarēt, is à cæteris omnibus, velut Apollo quidam Pythius, conſuleretur. Quod cùm ipſa re, tum etiam exemplarium huiuſmodi placitorum commētariis, aliis per Iohannem Brolium, aut alium (quiſquis ille fuerit, qui veſtras primùm formulas cōpoſuit) deinde per Iohannem Gallum iampridem editis, aliis poſtea per alios pro cuiuſque arbitrio, ſibi cōſcriptis, mihi compertum eſſet: cœpi ego quoque rerum iudicatarum commentarios mihi conſcribere, eas vbique gētium non minore cura, ſtudio, diligentia conquirens, quàm quod arbitrarer nō ipſi modò mihi, ſed & toti Reip. maximopere conducere. Quæ vulgari ſermone, nullóque, præterquàm temporis, ordine regeſtæ, cùm in iuſti voluminis modum excreuiſſent, venit in mentem, ô ſi quis alius nobis Iulius Paulus naſceretur, qui vt ille ſummo compendio, ſumma grauitate, pari latinitate ac elegantia (quēadmodū ex eorum fragmentis fas eſt augurari) decretorū vel ſentētiarum Imperialium in cognitionibus prolatarum libros cōpoſuit, ita & hæc grauiſſima CVRIARVM CVRIAE decreta, optimam noſtri Iuris partem, ſuis hominibus cōſcriberet, diſponeret ac cōcinnaret! Non equidem quòd non natum eſſe putem, hoc præſertim aureo literarum ſeculo: ſed quòd nemo adhuc apparuit, qui hoc, vel opere deſtinato præſtaret, vel (quòd audiuerim) ſaltem aggrederetur. Dixerit aliquis, Et tu homuncio, id te præſtaturum confidis? Minimè verò. Neque enim ſum neſcius hoc me tam præſtare non poſſe, quàm nec digito cælum attingere. Quid ergo? Fecit in dies huius deſyderii creſcēs igniculus, vt interea dum alicuius beneficio illud aliquando expleretur, horum decretorum nonnulla in aduerſariis delinearemus potius, quàm conſcriberemus: Paulum quidē, & alios eius claſſis autores proſequi atque imitari conati, ſed certè tantùm quantùm diuerſitas ingeniorum maximi & minimi, & doctrinæ, latinitatis, elegantiæ diſſimilitudo pateretur. Quod cùm Critici quidam nō ſolùm approbaſſent, verùm equo currēti (quod dicitur) calcar etiam addidiſſent: quoad rerum forenſium tractatio tulit, velut amœni cuiuſpiam diuerticuli cauſa, ita

paulatim perſequuti ſumus, vt ex collectis aduerſariis volumen aliquod, non integrũ illud, enaſceretur. Et hoc ipſum, qualecũque eſt, nũquam ſanè dignum exiſtimaui, quod ex autoris ſui tenebris, quas ipſe apertè atque ingenuè plus q̃ Cimmerias eſſe cõfitetur, vnquam emergeret. Veruntamen quando aliter viſum eſt multis, & amicis, & grauiſſimis ac doctiſſimis viris, & eorũ aliqui vehemẽter id à me cõtendunt, iis tãdem cõcedere in animum induxi: ſed ita demũ, ſi, quorũ ſub ſignis totos iam annos triginta militauimus, & à quibus primũm hæc omnia militãtes accepimus, vobis etiam placuerit. QVAMOBREM ſi quid hice noſtri conatus, P.C. vobis probabuntur, & conſultorum ac decretorum veſtrorum, non quidem illuſtrandorum (ſatis enim per ſe, quibus nota ſunt, ſplendent) ſed in communem noſtrorum hominum vtilitatem euulgandorum gratia, prelo non vſquequaque indigni videbuntur, QVAESO, candidum addite calculum: & ſi additis, ne fraudi ſit Typographo hanc prouinciam ſuſcepiſſe, priuilegium, vt aſſolet, irrogatote.

DE LIBELLO, CVRIAE PLACITVM.

CVM Iohannes Lucius Caterinæ Auguſtæ à rebus procurãdis primarius, libello complexus poſtulaſſet, vt illi per Curiam liceret, ſuos Curiæ ipſius Placitorum Cõmentarios mandare typis, ſolita priuilegii cum irrogatione, XVI. Cal. April. M. D. LII. PLACVIT eius poſtulationem exaudiri, eíque priuilegium irrogari, ne quis Typographus vel Bibliopõla Curialis ditionis, præterquam cui ipſe id licere voluerit, intra proximum ſexennium huiuſmodi commentarios excudat vel diuendat. Qui ſecus faxit, libros vel impreſſos, vel inter promercales habitos publicatum iri, & refractarium, nec dicto audientem, pro Curiæ arbitrio, fore mulctatum.

Placitum Camuſius, vnus è quatuor Amanuenſibus Curiæ ſubnotauit.

OPT. MAX. PRINCIPI, HENRICO II.
Galliarum Imp. P. F. Aug. Iohannes Lucius Pariſienſis
S. P. D.

PLACITORVM *commentarios quantulóſcunque noſtros tibi, Princeps Opt. Max. nuncupamus, dedicamus ac conſecramus, ſed eo iure, vt nulli mortalium poßimus meliore. Primùm quòd ſtatus Reip. qui ex te vno pendet, iudicatis rebus maximè continetur: ex te (inquam) qui ſi eam, vt augustè cœpisti, perrexeris adminiſtrare, ne Augustus ipſe quidem id cognominis te melius vnquam meruerit. Deinde quòd veſtris Principum auſpicijs atque autoritate, in cõmunem omnium vtilitatem, non modò conſulitur, ac de rebus controuerſis vltimùm iudicatur, verumetiam conſulta, placita, decreta in publicum proditura, veſtris concepta verbis, veſtris conſignantur iconibus, & veſtro demum imperio ac poteſtate ijs ſtare, eáque facere omnes compellimur, vt ſi quis ea dixerit eſſe veſtra, bis à vero per omnia non abeſſe videatur. Et inter hæc tibi conſecrata, ſunt planè Regia quædam, atque illud in primis, quod factum est, dum tu ſumma in Curia tua cum proceribus primùm ſederes, & magno omnium applauſu, ius dicere auſpicarere. Poſtremò quòd poſteaquam tibi Regi deſignato & Britaniæ duci, quinquennium cognitoriam operam impendiſſem, vnius Iohannis Bertrandi, tibi tum à conſilijs primarij, nunc verò Galliarum tuarum deſignati, & iam functione Cancellarij, præstantiß. viri teſtimonio ac commendatione, ſtipendijs attributis, me in tuum aulici ministerij breuiarium retulisti. Pòst deinde rerum potitus, Caterinæ Augustæ tuæ me dedisti: cuius, atque etiam Sanctandræani Tribuni militũ ſtrenuiß. patrocinijs, & Illuſtriß. Cardinalis Lotharingi ſuffragio, aliquid præterea me ſperare iußisti, quod poſtea nõ modò chirographo tuo, verumetiam ſemel atque iterum fide data, breui fore confirmasti. Quæ omnia ſi quis, velut in nouorum nominum faſcem redacta, veteri ac naturali, qua tibi deuincti ſumus, obligatione conſtrinxerit, profectò nihil habemus, nihil molimur, nihil efficere poſſumus, quod vni tibi non debeamus. Accipe igitur (quæſo) Princeps omniũ humaniß. imò verò tibi tuo iure vindica, quod nexu mancipióque tuum est, perſuaſum habens (quod mediuſfidius tam verum est, quàm quod verißimum) quantùm ad autoris eruditionem pertinet, puſillum eſſe quidem, ſed nihil votis ardentioribus, nihil animo tibi maiora cupiente, vnquam à quoquam fuiſſe nuncupatum. Vale. Lutetiæ, Idib. Martijs, M. D. LII.*

IOHANNIS LVCII PARISIENSIS ad Lectorem, Præfatio.

SVPERIORE Iuſtitio,cùm placita hactenus à me in aduerſaria coniecta,huc atque illuc ſparſa colligens diſponerem,incertus adhuc mihi modò & muſis,an etiam tibi, Lector,ceciniſſem, ſplẽdidiſſimi atque ornatiſſ. viri Iohannis Truchii,alterius Allobrogicæ Curiæ Præſidis,ſumma mihi iandudum amicitia coniunctiſſimi, literæ venerunt, quibus ille de ea re ita mecum expoſtulauit. Hoc vnum (inquit)addam,multos eſſe doctos, qui ſummo deſyderio tenentur eius libri, quem tu nimium diu in arca repoſitum habes. Certus eſſe potes, ſi eum emittas, magnam ab innumeris hominibus te gratiam initurum, atque à me in primis, qui etiam illud expecto, ſed vnus cæteris omnibus ardentius. Hactenus ille. Et quanquam ſummi viri autoritas ad opuſculi vulgationem per ſe ſatis eſſe videretur, non potui tamen non ipſe mecum reputare, quam nauim conſcendant,quámque aleam ſuſcipiant,qui aliquid ſunt edituri, propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem.Varias tradunt eſſe hominum formas, ſed vſqueadeò varias, vt ne vnam quidem numeris omnibus aliæ ſimilem inuenias, in quo etiam ſit, quòd ſummi illius opificis magnitudinem admireris.Sic quoque varia eſſe ingenia,varios mores,non omnibus eundem guſtum,ſuum cuique palatum,vt vix,aut ne vix quidem, vnum & alterum reperias, qui,ſi ſolius naturæ motu impellantur, prorſus idem ſentiant, ita omnes gentilitiæ labis illius ſerpigine diſtinemur. Ea ratione factum eſt, vt protinus ob oculos mihi verſarentur quatuor obloquentium, & totidem iis reſpondẽtium ſpecies. Prima,mihi viſus ſum audire dicentem, Eccui tandem vſui futura ſunt hæc placita, cùm nòn exemplis, ſed legibus iudicandum eſt? Alium,ſic illi reſpondentem, A Iuſtiniano Imperatore id quidem Demoſtheni Præfecto Prætorio reſcriptum eſt: verùm magni refert,quid exemplis eo loco ſignificetur. hoc non diffiteor non modò de reſponſis à Principe vel iudicibus ac magiſtratibus ad relationes,ſuggeſtiones,conſultationes factis, eſſe dictum: ſed de ſententiis quoque ab ipſis iudicibus ac magiſtratibus,cauſa cognita, latis:non tamen de iis, quas Imperator cognoſcens pro tribunali dixiſſet. Nam & Vlpianus antea tradidit, & is ipſe Imperator eidem Demoſtheni reſcripſit, huiuſmodi ſententias eſſe leges, non illis modò cauſis, de quibus eſſent dictæ, verùm etiam omnibus aliis ſimilibus. Quinetiam è contrario dici poteſt, illius modi reſponſa,ius fuiſſe,ſi ritè,hoc eſt,moribus & approbata conſuetudine (vt Imperatoris eiuſdem verbis vtar) conſultationes eſſent iudicatæ, & à veritatis legúmque ac iuſtitiæ veſtigiis non eſſet aberràtum: alioqui bonam Codicis illius atque etiam Pandectarum, & Pontificii iuris partem fruſtra membranas occupaturam.Quòd autem de Principis cognoſcentis ſententia & traditum eſt & reſcriptum, interpretes eò produxerunt, vt quod in communi auditorio ſtatueretur,ius eſſet,& meritò id quidem. Cõſtat enim proſtrata, poſt Auguſtum, Romani Senatus autoritate,cùm de ea,non quidem ad priſtinum columen,ſed quadantenus erigenda cogitaretur, inductum fuiſſe primùm, vt reorum iudicatio eius eſſet.Et Neronem,inter alia,hoc quoque ſtatuiſſe,vt omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fierent: & qui prouocarent, eiuſdem pecuniæ periculum facerẽt,cuius ii,qui Imperatorem appellaſſent,quod antea vacuum

ſolutúmque pœna fuerat. Poſtea Domitianum, vt à Senatu iudices peterentur, conſtituiſſe. Deinde Marcum Antoninum Philoſophum multis cognitionibus ad ſe pertinentibus, Senatum iudicem dediſſe. Probum, actorum ſuorum æternitati conſecrandorum rationem, Senatus decretis ſummiſiſſe. Recentiores Imperatores, ipſum etiam Iuſtinianum, in iis ita maiores imitatum eſſe, vt „ in Pandectas illud Vlpiani retulerit, non ambigi Senatum ius facere poſſe: & quod de appellationibus modò diximus, à Theodoſiano Codice repetitum, ſuo ipſe inſeruerit. Et apud nos omni memoria ea ſic obſeruata fuerunt, vt hactenus res ab ampliſſ. Curia, Principis auſpiciis iudicatæ, conſultæ, conſtitutæ, & autoritate & exemplo & præiudicio, Senatuſconſultorum inſtar habuerint, & (vt Budæus noſter ait) tantùm opinio præiudicata maieſtatis eius valuerit, vt nullus ſanæ mentis non ſatis eſſe putauerit dicere, Curia ipſa ita cenſuit, vt olim Pythagorici, de ſui Pythagoræ dogmatis, dicere ſolebãt. Quibus argumentis veriſimile eſt eos fuiſſe adductos, qui veteres & nouas nobis ediderunt, quas Rotæ deciſiones appellant. Hinc etiã ſummæ huius Curiæ noſtræ, atque etiam Toloſanæ & Gratianopolitanæ Placitorum fluxiſſe commentarios, quos primùm Iohannes Brolius, aliúſue tacito nomine, deinde Iohannes Gallus, & Guido Papa conſcripſerunt: quibus, vel eo maximè palàm eſt, illud, non exemplis, ſed legibus iudicandum, non idem fuiſſe, quod nunc à nonnullis vſurpari ſolet. De altera obloquentium ſpecie, venit in mentem, vnum aliquem, dum hæc meditaremur, eorum ſpecimen aliquod, & teſſeram veluti præcidaneam deſyderaſſe. Quam cùm nactus eſſet, vt nos, & alia, quàm vernacula lingua, & breuiter ſcribere animaduertit, dixit, quod adhuc fortaſſe dicturus eſt, Si Latinè (inquit) agendum eſt, modis omnibus eniti oportet, vt efficiatur. Ego verò, Lector, libẽter agnoſco, bene Latinè loqui conatum me potius fuiſſe, quàm aſſequutum. Magnum hoc & arduum eſt, vt tu melius noſti: & in magnis (vt dicitur) voluiſſe ſat eſt. Verùm ſi ſatis ille notus eſt mihi, non de ſermonis puritate loquebatur: quam certè quidem, vt ego non pollicebar, ita etiam noui me præſtare non poſſe, ſed eas res forſan ita tractari volebat, vt non antè ad placitum deueniretur, quàm ſpecie propoſita, omnes omnium litigatorum rationes adducerentur, & in vtranque (quod aiunt) partem fuſiſſimè diſſereretur: quorũ alterum, integra litium inſtrumenta, alterum, iuris ac legum & multiplicis interpretum nomenclaturæ funditatorem, qualis ego non eſſem, deſyderaret. Cui me doctior aliquis, in hunc ferè modum, mihi viſus eſt reſpondere, Longè ante Lucium, eóſque qui adducti ſunt, alii ſententias ius facientes, in commentarios retulerunt, quos magis ſequendos eſſe puto. Scripſit Iulius Paulus, quem legum verticem alterum appellant, Imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum, ſex libros: ſententiarum iterum, quinque ad Vitellium: quatuor, ad Neratium: atque etiam Decretorum tres. Scæuola, Papinianus, Mœtianus, Vlpianus, Marcianus, Calliſtratus, ſua ſcripta huiuſmodi ſententiis illuſtrarunt ac confirmarunt. Quin & Triphoninus, de iure reſpondens, citauit Petronii, Prætoris magni, ſententiam. Quarum ſententiarum, ac decretorum multa in libris Pandectarum habemus, tanta breuitate, elegantiáque complexa, vt ne vſpiam maiore quicquam: in quibus tamen ſpeciem, intentionem, depulſionem, iudicatũ, eiúſque rationem inuenias, prætereà nihil. Quæ omnia, Lector, tametſi tu vera eſſe noſti, & in numerato habes, tamen ſi per tuam humanitatem

„ mihi licet,hoc libenter adducam.Cùm(inquit Paulus)vſuræ pretii fundi,ab eo,
„ qui à fiſco emerat peterentur, & emptor negaret traditam ſibi poſſeſſionem:
„ Imperator decreuit,iniquum eſſe vſuras exigi ab eo,qui fructus non percepiſ-
„ ſet. Et in Iuſtiniani Codice extat, quam huic adſcribi (puto) non grauaberis,
ſententia diui Seueri, data in perſona Marci Priſci, Idib. Ian. Pompeiano &
„ Auito COSS. Prius (inquit) de poſſeſſione pronuntiare,& ita crimen violentiæ
„ excutere præſes prouinciæ debuit: quod cùm non fecerit, iuſtè ab eo prouoca-
„ tum eſt.Quam,in eo genere,ſcribendi rationem,ſi,non dicam imitari,ſed ali-
quo interuallo ſequi datum eſſet, planè nobis in cœlo eſſe videremur. Tertia
ſpecie ſubibat, qui ſic ampullas(vt inquit ille)& ſeſquipedalia verba proiiceret.
Latinos Placitorum commentarios edere, haudquaquam eſt procuratoris,cui
præter officii vilitatem, ſit etiam familiare, indoctum eſſe atque illiteratum.
Ad quem modeſtior alius, Me non latet, ad reſcriptum Impp. quod poſitum
eſt.xxxiiii.cap.tit.de Decurionibus lib.x.Cod.ad verbum vtilitatem,à gloſſula-
rio,neſcio quo,adnotatum fuiſſe,aliàs legi,vilitatem. Ex qua varia atque adeò
incerta lectione,hoc ille indiſtinctè collegit,ac in vniuerſum pro axiomate tra
didit. Sed,me Deus, nemo eſt vel mediocriter in iure verſatus, qui neſciat, pro-
curatorum duo eſſe genera: alterum,iudiciorum: alterum, negotiorum. Iudi-
ciorum(inquam)alios,inferiorum:alios,ſuperiorum:nemo,vel minimùm La-
tinè doctus,niſi planè bardus & ſtupidus,qui de negotiorũ, non de iudiciorum
„ procuratoribus reſcriptum eſſe neget. Sic enim habet, Si quis procurationem
„ facultatum ſuarum Curiali crediderit eſſe mandandam, totius dignitatis exce
„ ptione depulſa,grauiſſima pœna plectetur:Ille verò qui immemor libertatis &
„ generis infamiſſimam ſuſcipiens vtilitatem, exiſtimationem ſuam ſeruili ob-
„ ſecundatione damnauerit,tradatur exilio.Et gladio ſuo,hoc eſt, alio reſcripto,
quod illemet gloſſularius adducit, confoditur, cuius quidem verba ſunt hæc:
„ Curialis neque procurator,neque conductor alienarum rerum,nec fideiuſſor,
„ aut mandator conductoris exiſtat.Quod & Andreas Alciatus,noſtra ætate iu-
ris interpres Græcè iuxtà ac Latinè doctiſſimus, ſenſit, cùm de vilibus perſonis
eleganter tractaret. Illi enim, vel ex priore reſcripto, huiuſmodi procuratores
fuiſſe conſtat, quos vulgò factores appellamus. Cæterùm poſtulandi verbum,
quod eſt deſyderiũ ſuum,vel amici, in iure, apud eum qui iuriſdictioni præeſt,
exponere,vel alterius deſyderio cõtradicere,non de aduocatis modò,ſed etiam
de procuratoribus dicimus, neque id quidem iniuria: hoc enim vterque ordo
facit:ſed alter altero(fateor)amplius,honoratius,nobilius:quanquam & hic ſi-
ne altero,non ſatis poteſt,cùm ille(vt aiunt) litium dominus ſit. Quòd autem
ad literas attinet, non negauerim cognitorii ordinis iſtius homines, vt pluri-
mùm ἀμούσους ἢ ἀπαιδεύτους ὄντας τυγχάνειν. Sed ſi quis eſt ingenio non vſquequaque
infœlici, literis iam inde ab infantia deditus, quem pii ac fortaſſe plus æquo
ſoliciti parentis immatura prouidentia, aliúdue aliquod fatum, ad fori pulue-
rem,muſis forſan iratis & reclamantibus, tranſtulerit: quarum tamen ſemper
ille meminerit,eáſque quoad eius per loci negotia licuit,coluerit,quid aliquid
vel Latinè non edat, earum maximè rerum, in quibus, multos annos ſit ipſe
verſatus?Et cognitoris, inter cætera, non eſt, obſeruare, atque etiam, ſi datum
eſt,edere,quibus de rebus quid iudicetur, ſiue ipſe eas, ſiue alius tractet? ecquis
eum,qui obſeruarit,neget,quid agat,quídue acturus ſit longè perſpicacius,vti-

lius, tutiúſque cogniturum? neminem literæ dedecent, neminem linguæ, neminem diſciplinæ:vbicunque poſitæ fuerint, lucent: & quancunque Spartam quiſque nactus fuerit,eam ſeipſis non dedignantur exornari.Poſtrema ſpecie, vel de media noſtri iſtius ordinis turba, mihi conſurgens apparebat, qui diceret,Recténe de Lucio iactabatur,cum non niſi literis incumbere, & quam profeſſus eſſet,cognitoriam aſpernari?En Iuriſcõſultum agit, in cauſidici ſpeciem ſe comparat, rerum iudicatarum commentarios edit: qui ſi tanto ſtudio cognitoriam ſuam,quanto literas, amplexatus fuiſſet, Deus bone, rem familiarem quàm maiorem feciſſet! Ad quem alius,qui intus & in cute me noſſe, nec odiſſe mihi videbatur.Tantúmne eſt abs re tua otii tibi, aliena vt cures, eáque nihil quæ ad te attinent? vt vnumquenque aliquò ſua fata vocant, eſt Lucius animo ad literas natura valde propenſo.Quod cùm fortaſſe magis conſectandum eſſet,tamen humanioribus,pro illius modulo, ab ornatiſſimo viro, Petro Remonio,fœliciter tum docente,nunc verò ſummi Curiæ Rothomagicæ Curionis,ac Principi ab interioribus conſiliis, inſtructum, & cui eas ipſe (vti par eſt)magna cum laude, accepto ferre ſolet, à iuris ciuilis ſtudiis, poſtea dum licuit repetitis,ad fòrum,cognitoriæ capeſſendæ cauſa,iuuenem admodum pertraxerunt. Quam cùm adeptus eſſet,ſi eam(vt tu obtrectas)contempſiſſet, certe triginta perpetuos annos(vt etiamnum facit) non exercuiſſet. Si quam autem interea literis operam dedit, ſic temperauit, vt cognitoriam exornaret, & fori negotiis nihil vnquam detraheretur:quod fortaſſis alius te melius ſit æſtimaturus.Cæterùm quem ſe faciat,vt ſe componat,quid edat vel non edat,parum refert:tu,ſi vales,tantundem præſtato. Quæ omnia cùm exactè perpenderemus, inuenimus (niſi planè fallimur) reſpondentium rationes ſuo pondere, aliorũ obiectiones eleuare, & grauiſſimæ Truchii ſentẽtiæ fauere potius quàm aduerſari. His igitur aliiſque nonnullis, qui acceſſerunt, primæ notæ calculis freti,& de tua,Lector,beneuolentia,licet immeriti,tamen plurimùm confidentes,permittimus vela ventis,& noſtris quantuliſcunque Placitorum commentariolis in vaſtum pelagus hominum oram ſoluentibus bene precamur: non eam gratiam aucupantes, quam olim Sextus Papyrius, qui curiatas Romuli, regúmque ſequentium leges ſine ordine latas in vnum compoſuit: aut Cneus Flauius, Appii Claudii Scriba, Libertini filius, qui ſurreptum legis actionum ipſi Claudio librum, populo tradidit, munus vſqueadeò gratum, vt Tribunus plebis fieret & Senator & AEdilis curulis: nec eam quæ inſperata cõtigit Martiali Aruerno,noſtri ordinis homini non illaudato,qui vnum & quinquaginta Amorum placita, à ſe conficta, literis mandauit, quæ longo poſt tempore Benedictus Curtius Symphorianus Iuriſconſultus ſuis commentariis non indigna eſſe exiſtimauit: ſed hoc vnum à te contendentes,quod alter alteri debemus,vt ſi quid offendimus(quemadmodum in multis, pro noſtra imbecillitate, offendiſſe non dubitamus) tu pro tua humanitate condones,& Chriſtiana modeſtia vel emendes,vel me perlibenter emendaturum admoneas: certa ſpe concepta,ſi feceris,nos alia multa quæ habemus,tibi,vt primùm dabitur,exhibituros,& fortaſſe gratiam cum fœnore repoſituros. Vale.

Index librorum ac titulorum.

LIB. I.

De re diuina & ædibus ſacris. Tit. I.
De his qui ad ſacras ædes confugiunt. Tit. II.
De reliquiis & veneratione ſanctorum. Tit. III.
De Pontifice maximo eiúſque legato, Cardinalib. & aliis à maximo Pontificibus. Tit. IIII.
De ſacris ſodalitiis, vel canonicorum collegiis & aſſeclis eorum, déque curionib. & ædituis. Tit. V.
De ſacris quatuor mendicantium familiis. Tit. VI.

LIB. II.

De poteſtate ac Iuriſdict. eccleſiaſt. Tit. I.
Eccleſiaſticam poteſtatem ac iuriſdictionem, ipſas etiam perſonas eccleſiaſticas, certis in ſpeciebus, ciuili ac profanæ poteſtati & iuriſdictioni eſſe obnoxias. Tit. II.
De appellationib. quæ à Pontificibus eorúmue iuridicis, apparitorib. & miniſtris interponuntur, & à veluti abuſu nuncupantur. Tit. III.
De variis circa ſacra beneficia controuerſiis, vt iudicatum fuerit. Tit. IIII.
De decimis. Tit. V.

LIB. III.

De Principe. Tit. I.
De Principis poteſtate circa Eccleſiæ miniſteria. Tit. II.
De Vectigalibus publicis. Tit. III.
De Auguſta, vel de Regina. Tit. IIII.
De Patriciis. Tit. V.
De magiſtro militum Tit. VI.
De Cancellario & codicillaribus officinis. Tit. VII.

LIB. IIII.

De Curia. Tit. I.
De Curia in publicum prodeunte. Tit. II.
De quatuor Curiæ primis. Tit. III.
De claſſium inquiſitoriarum ductoribus. Tit. IIII.
De Curiæ Conſcriptis. Tit. V.
De ordine ſedendi. Tit. VI.
De his qui præter Conſcriptos in Curiam admittuntur. Tit. VII.
De libellaribus ad Baſilicam recuperatoribus. Tit. VIII.
De Regiæ procurationis Triumuiris. Tit. IX.
De actuariis & amanuenſibus Curiæ. Tit. X.
De Curiæ apparitoribus & miniſtris. Tit. XI.
De albo Curiæ eiúſque miniſtrorum conſcribendo. Tit. XII.

LIB. V.

De Curiæ cauſidicis. Tit. I.
De Curiæ procuratoribus. Tit. II.
Quibus in Curia diebus, quáſque cauſas agi oporteat. Tit. III.
De Curiæ placitis vel decretis. Tit. IIII.
De tragematis. Tit. V.

De ſupplicatione erroris obtentu. Tit. VI.

LIB. VI.

De ſummis vectigalium Iudicibus,& quæ ſit eorum iuriſdictio. Tit. I.
De officio Octouirorum Monetalium,& aurificibus. Tit. II.
De officio Præfecti vrbi eiuſque Legatorũ ac Recuperatorum,déque Præfecto vigilum & Conquiſitoribus vrbanis & Signatore. Tit. III.
De Præfectis prouinciarum,& aliis Regiis Iudicibus. Tit. IIII.
De honorariis Iudicum obnoxiæ ſententiæ. Tit. V.
De Regiis Subcauſidicis & Procognitoribus. Tit. VI.
De militaribus rerum capitalium Quæſtoribus. Tit. VII.
De Inquiſitoribus in genere. Tit. VIII.
De pactorum perſcriptoribus. Tit. IX.
De ſecundariis vel non Regiis Iudicibus. Tit. X.
De viatoribus. Tit. XI.
De carcerum cuſtodibus & carceratico. Tit. XII.
De Magiſtratibus municipalibus. Tit. XIII.
De publicis iuris Profeſſoribus. Tit. XIIII.
De Medicis. Tit. XV.
De gymnaſiis & Gymnaſiarchis. Tit. XVI.
Politica alia quædam. Tit. XVII.

LIB. VII.

De ſtatu hominum. Tit. I.
De minoribus viginti quinque annis. Tit. II.
De verborum ſignificatione. Tit. III.
De prædiis clientelaribus & patronis & clientibus. Tit. IIII.
De prædiis ſolario iure vectigalibus. Tit. V.
De priuatis vectigalibus & penſitationibus. Tit. VI.
De vſu nemorum. Tit. VII.

LIB. VIII.

De dote. Tit. I.
De donationibus propter nuptias. Tit. II.
De commiſſa inter coniuges rerum communitate. Tit. III.
De diuortiis. Tit. IIII.
De donationibus inter viuos. Tit. V.
De legatis & mortis cauſa donationibus. Tit. VI.
De curatoribus teſtamentorum. Tit. VII.
De conditionibus inſertis. Tit. VIII.
De fideicommiſſariis hæreditatibus. Tit. IX.
De hæreditatibus quæ ab inteſtato deferuntur. Tit. X.
Familiæ erciſcundæ. Tit. XI.

LIB. IX.

Apud quem rei venditæ autoritates ſiue cautiones eſſe debeant. Tit. I.
De pactitia redhibitione. Tit. II.
De gentilitia redhibitione. Tit. III.
De euictionibus. Tit. IIII.

De fiduciaria mancipatione. Tit. v.
De noui operis nunciatione. Tit. v i.
Vti poſſidetis. Tit. v i i.
De ſequeſtratione. Tit. v i i i.
De vindiciis. Tit. i x.

L I B. X.

De his qui nexum corporis iniuerunt. Tit. i.
De pigneratione. Tit. i i.
De pignoribus & hypothecis. Tit. i i i.
De pactis pignorum & lege cõmiſſoria in pignoribus reſcindẽda. Tit. i i i i.
De Senatuſconſulto Velleiano. Tit. v.
De ſolutionibus, liberationibus & compenſationibus. Tit. v i.

L I B. X I.

De edendo. Tit. i.
De alienatione, iudicii mutandi cauſa, facta. Tit. i i.
Quod cuiuſcunque vniuerſitatis nomine, vel contra eam agetur. Tit. i i i.
De iudiciis, & vbi quis agere vel conueniri debeat. Tit. i i i i.
De curatore in litem. Tit. v.
De exceptionibus & præſcriptionibus & præiudiciis. Tit. v i.
De litigioſis. Tit. v i i.
De teſtibus. Tit. v i i i.
De fide inſtrumentorum. Tit. i x.
De appellationibus. Tit. x.
Nihil innouari appellatione interpoſita. Tit. x i.
Appellationis neceſſitatem non remitti. Tit. x i i.
Apud eum, à quo appelletur, an aliam cauſam quis agere compellendus ſit. Tit. x i i i.
De re iudicata & effectu iudiciorum. Tit. x i i i i.
De vitilitigatoribus. Tit. x v.
De fructibus & in rem litémque impenſis. Tit. x v i.
De auctionibus publicis. Tit. x v i i.
Quæ in fraudem creditorum facta ſint, vt reſtituantur. Tit. x v i i i.

L I B. X I I.

De criminoſis iudiciis. Tit. i.
De dolo malo. Tit. i i.
De iniuriis & famoſis libellis. Tit. i i i.
De furtis. Tit. i i i i.
De falſis. Tit. v.
De adulteriis. Tit. v i.
De raptu quem in parentes appellant. Tit. v i i.
De pœnis. Tit. v i i i.
Pœnis fiſcalibus creditores præferri. Tit. i x.
De cadaueribus punitorum. Tit. x.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. I.

De re diuina & ædibus ſacris

TIT. I.

DISCEPTABATVR an ſacerdoti, quòd ſacro τῷ χαριστηρίῳ (quam voce, vt nonnullis videtur, ab Hebræis oblationem ſignificantibus mutuata, nempe מִסָּה, vulgò Miſſam appellant) operã dediſſet, mercedẽ petere liceret: necnon eius rei, cuius eſſet iuriſdictio. ET PETERE licere placuit, ſed à profano apud profanũ iudicem. Petere (inquã) non ipſius quidem Chariſterii nomine: eſſe quippe (ὡς αὐτὸς ἔφα, & nos confidimus) ſacroſancti corporis & ſanguinis Opt. Max. Ieſu Chriſti ſeruatoris cõſecrationem, eiúſque Deo Patri oblationem pro peccatis & offenſionibus noſtris, quæ res nulla alia commutari compararíue poſſit: ſed operæ veluti locatæ pretiũ, quam nec ſacerdos gratis præſtare tenetur: quis enim vnquam ſuis ſtipendiis militat? Quanquam Chriſtianæ modeſtiæ & ſacerdotis dignitati longè conuenientius eſt, ſi aliunde habens vnde ſe exhibere queat, ea in re potius iniuriã patiatur, quàm litiget. Ex tẽpore, lite à Boeuino & Barioto perorata, VI Id. Iul. M. D. XXXI.

II.

XI. Cal. Feb. M. D. L. Regius actor ac publicus verba fecit ad Curiam, de iis, qui ad deambulationes, negotia, aliáque (prò pudor) ſilentio potius prætereunda, quàm apertiùs vel ſcripto vel oratione per-

ſequenda, non ſine maximo religionis ac rei,cùm publicæ,tum priuatæ diſpendio, ſacris ædibus abutebantur: poſtulans vt morbo in dies longè lateq; graſſanti mederi placeret. De qua re ita conſcripti cēſuerunt. PLACERE vt Regis ac Curiæ verbis,omnibus ordinum omnium Curialis ditionis hominibus, huiuſmodi ædium ſacrarū, & ſacrorum ipſorum contemptu ac profanatione interdiceretur, decies vicenis aſſibus,qui primùm:carcere,qui ſecundùm: exēplari animaduerſione, qui tertiùm ſecus quicquam admitteret, interminatis. Et ne quis in poſterum ignorationem prætexeret, placere iuberi & Pōtificibus,& Regiis iuridicis,iuſtis ac legitimis, & ſubcognitoribus etiam Regiis, vt illi per ſuarum diœceſūm Curiones, ſolennibus inter ſacra præconiis, hocce conſultum inuulgarent. Iſti, in eos,qui dicto minimè audiētes ac refractarios ſe præberent, animaduerterent: ii ea diligenter omnia curarent, ac Curiæ renuntiarent: & nihilominus conſultum per vrbes compitatim pro more promulgari.

III.

CIVIVM ſalutem, ciuitatum incolumitatatē, vitam hominum quietam & beatam, ſcimus quidem penè omnes ſine legibus eſſe non poſſe. Et tantùm abeſt nos legum inopia laborare,vt præter tot antiquas,tot recèns editas,tam multas tam frequēter ſanciamus(pace omnium dixerim)vt nōnullæ dum prodeunt, vix,aut ne vix quidem ſatis maturuerint. Fuítque, nec ita pridem, magiſtratus, qui, vel ſummo in Remp. ſtudio,vel ſui ipſius amore ac nominis in hominum opinione conſecrandi cupiditate,tanto legum ferendarum deſyderio teneretur, vt ſiquando per valetudinem, ſui copiam non faceret (honor ſit auribus) eum legem aliquam dicerent cacaturire. Sed quid iſta legum vtilitatis notitia, & tanta iam latarum copia, & ferendarum promptitudo,cùm eas tam otioſè ac negligenter exercemus, vt vel eas ſemel fuiſſe latas, aut etiam tranſlatas ſatis eſſe videatur? Legis virtus(inquit Modeſtinus) eſt imperare,vetare,permittere,punire.Imperamus,vetamus, permittimus, ſtrenuè illa quidē: ſed punimus vtcūque,& paulominus legem,legíſue virtutem ſumma & vltima ſui parte mutilamus. Vnde non abs re dictum fuerit, aut ſeruādas eſſe leges,aut ſatius fore non fuiſſe latas. Cognitis enim

ac per impunitatem contemptis legibus, improbiores fieri homines ac ſceleratiores. At verò quæ Africa id monſtri nobis pepererit, prudenti cuilibet rerum æſtimatori relinquimus coniiciendum. Quòd autem indulgentia (nimiam ſemper intelligo, nec enim vſqueadeò ſum rigidus, vt nunquam indulgendum exiſtimem) ſemper aliquid adferat mali, vel hoc vnum argumento eſſe poteſt. Grauiſſimè ſanctiſſiméq; Cōſulto decreuerat Ampliſſimus Ordo, quod poſtea Princeps Opt. Max. in legem tranſtulit, de ædibus ſacris, ad deambulandum ac confabulandum non amplius abutendis. Sed quibus exequendi conſulti, & legis exercendæ prouincia erat impoſita, tam eam vel non ſuſceperūt, vel ſuſceptam defunctoriè adminiſtrarunt, támque parum aut nihil ſeueritatis adhibuerunt, vt conſulto & lege, res deteriore quàm antea loco eſſe videretur. Feriis Pentecoſtalibus M. D. L I I. contigit ad diuæ Virginis matris, vt apparitori lege agenti, & nonnullis inter ſacra deambulantibus ac confabulantibus, vt temperarent, imperanti, denuntiantíque ni facerent, eos à ſe ductum iri, alii confeſtim genua ponerent, alii ad ſacella ſecederent. Vnus thraſunculus, non modò cōtemneret, verumetiam minitaretur, quod poſtridie conatus eſt efficere. Ex inſidiis enim apparitorem adortus, eum ita vulnerauit, vt illi moriendum eſſe dicerent. De quibus V. Id. Iun. quæ proximæ fuerūt, cùm Riantius, Regis Cauſidicus de collegii ſentētia, mediis cauſarū actionibus apud ampliſſ. ordinē grauiter expoſtulaſſet. P L A C V I T, conſultū ac legem iterum per cāpita promulgari, Regiſque ac Curiæ verbis imperari, vt eis ſumma cum religione pareretur. Eos qui poſthac in ædibus ſacris, dum ſacra fierent, deambularent ac confabularentur, officii ſui eſſe admonendos: niſi parerent, protinus ducendos. Eam in rem priuatum quemlibet apparitori lege agenti præſtò fore, & quātum in ſe eſſet, operam dare, vt Numini debitus honos, Principi, Ampliſſimóque Ordini authoritas cōſeruaretur. Cæterùm quòd ad facinoris vltionem pertinebat, reum abſentem requirēdum adnotari cenſuerunt: & ne vſquam noſtrarum gentium latere poſſet, omnibus qui eum receptarent, receptarſue noſſent, ni proderent, diras Pontificum execrationes eſſe interminandas. Egregium, me hercule, decretū, & diuino cultui ſacríſque ceremoniis magno vſui

futurum, ſi tanta ſeueritate illud exequamur, quanta grauitate ac dignitate conflatum eſt ac pronuntiatum.

De his qui ad ſacras ædes confugiunt.

TIT. II.

I.

PERINIQVVM eſſe, aſylo excipi eos, quorum ſcelera ſuos autores in exilium abegerint. Eſſe enim quandam legum ac iudiciorum fruſtrationem, & improbis ac perditis hominibus abundè magnum impunitatis argumentum. Quamobrem Sodalibus apud Turones Martinianis vetuerũt, ne quem exilio affectum apud ſe in aſylo haberent, poſtea quàm exilii ſententiam reſcirent. Quòd ſi exules aſylo excedere detrectarent, eos & Põtificiis animaduerſionibus & Magiſtratuum ciuilium corrogata manu quamprimùm exigerent. V. Cal. Martias. M. CCCC. LXXIX.

II.

ΙΕΡΟ'ΔΟΥΛΟΝ ἀποςάτlω, ſummi Pontificis diplomatum ſublectorem, ſignorúmque corruptorem, aſylo, vnde abductus fuerat, reſtituendum. V. Non. Maii. M. CCCC. XL.

III.

EVM qui ob æs alienum, nexu corporis & fortunarum ſeſe alligauerit, etiam in loco ſacro poſſe comprehendi. Prid. Cal. Iulii. M. CCCC. LXXV.

De Reliquiis & veneratione Sanctorvm, TIT. III.

I.

QVÀM Diuorũ reliquias colere, quàm Diuos ipſos venerari debeamus, quàm ſuis ad Deum Opt. Max. poſſint patrociniis, quàm impiæ fraudis ſe alligant, qui Diuorum reliquias nõ modò floccifaciunt, eorúmque ſimulacra deteſtantur, verumetiam Diuis ipſis, eorúmque precibus nihil omnino tribuunt, nemo eſt qui neſciat, nemo qui eat inficias, niſi ſi quis eſt qui nomine tenus, nihil præterea Chriſtianus ſit. Sed verò Sacerdotes aliquando fuiſſe non negauerim eò cupiditatis atque auaritiæ perductos, vt diuorum reliquias

ementiretur, earúmque rumore hominibus accitis, & vndique confluentibus, vim æris ingentem contraherent, piis interim mentibus imponentes egregiè. Quod ſanè inter cætera, quæ iandiu à multis ſacerdotibus, contra ius & fas deſignata ſunt, quæque à religione deſciſcentibus, anſam calumniandi præbuiſſe videmus, argumentum fuit, nec leuiſſimũ, mea quidẽ ſententia. Ante annos CXLIIII. inter cœnobitas diuorum Petri & Lupi ſuborta eſt cõtrouerſia, quòd vtrique diui Lupi reliquias apud ſe eſſe prædicarent, ſtipémque cogerẽt eo nomine. III. Non. Octobris M.CCCC.V. PLACVIT vtroſque ſtipem quidem poſſe cogere, ſed ſi à reliquiarũ iactatione temperarent. Decretũ interim Archiepiſcopum Senonenſem, præſulibus aliquot prouincialibus in cõſilium adhibitis, de reliquiis inquiſiturum ac relaturum. Venit in mẽtem nonnullius ſacerdotis, eius, quam dicebam, farinæ, qui rei illius ergô, ligneum ſacroſanctæ Virginis matris ſimulacrum, carie vetuſtateque propemodum confectum, ad pictoris tabernam occupandam potius quàm inſtruendam multos iam annos propoſitũ, tribus aut quatuor aſſibus emit, & capite, geminis foraminibus ab occipitio ad oculos terebrato, totidem vitibus recèns ob eam cauſam putatis, in horto Curionicæ domus ad ſacram ædem, præſtigiis aliquibus aliis etiam adhibitis, applicuit. Poſtridie, impoſtore, nonnulliſque aliis, quos ille induxerat, hominibus (vt aiebant) minimè malis, in pergula deambulantibus, cùm vites, vt è recenti putatione ſolent, ſtillarent, Hui (inquit) diuæ Virginis imago, en, illachrymat. Illi ſtatim credere, demirari, obſtupeſcere: neque ſegnius rei fama peruagata eſt. Votis omnibus ferme omnes eò loci religionis cauſa cõtendunt, vt non longa temporis intercapedine, etiam pictori ea ipſa inceſſerit religio. Venit is, venit vxor, famulus: qui vota cùm diſſoluiſſent, pictor ad vxorem & famulum, Num (inquit) carioſa illa eſt Icon, quæ tot annos tabernam occupauit? Illa ipſa, inquiunt. Taciti domum redeunt, ne aliis peregrinis eſſent offendiculo. Paulatim inuulgatur quod pictor deprehenderat. Inquiritur in ſacerdotem. Ille tandem criminis compertus, dãnatur. Succurrit etiam Renaldus ad diuæ Virginis à campis, propter Lutetiã: Succurrit & Domeus Brieſis, diuæ quoque Virginis effigies in diui Dionyſii ſuburbiis, quæ ἀπὸ τῆς πλινθοφεγσιώνης,

hoc eſt, ab omnimoda lætitia eſt appellata. Succurrũt & aliæ multæ id genus impoſturæ, ſed quas hîc enumerare non eſt operæpretium.

II.

PIETAS an cupiditas effecerit, vt Magnæ Matris Sodalitium aduerſus hetæriarchum & cœnobitas Dionyſianos, ex diui Dionyſii Areopagitæ (quem nos Apoſtolum peculiariter noſtrum appellamus, & præcipuo inter diuos tutelares loco habemus) reliquiis, ſe caput habere contenderet, eius quidem certè ſeculi moribus relinquimus: quos tamen non vſqueadeò inuenimus inculpatos, vt nihil omnino ſit, quod non aliquid ſacerdotalẽ redoleat auaritiã. Verùm vtcũque ſeſe res habuerit, inferius Sodalitiũ è forenſi prælio receſſit. Placuit enim controuerſum caput, diui Dionyſii quidem eſſe, ſed Corinthii, non illius Areopagitæ. XIII. Cal. Maii M. CCCC. X.

De Pontifice Max. eiuſque legato, CARDINALIBVS, ET ALIIS à Maximo Pontificibus, TIT. IIII.

I.

OCTAVO Id. Sept. M. CCCC. VI. regio ac publico actore poſtulante, factum eſt Curiæ conſultum de præfectorum Eccleſiæ cupiditate altius iam radices agente. PLACERE, vt Benedictus Põtifex Max. ab antiſtitiorũ, aliorúmue ſacrorũ beneficiorum fructibus, quos primo quoque creati Antiſtitis anno percipere ſolebat, temperaret. Cardinei ordinis purpurati, non amplius caperent, quæ primo adeptæ dignitatis anno capiebant. Antiſtites & Archidiaconi, rerum ſacrarum inuiſendarum, ac procurandarum nomine, nihil in præteritũ prorſus, nihil in poſterum exigerẽt, niſi fide bona, id ſui muneris obirent. Dixerit aliquis, placitum tẽporibus expreſſum: nam ſchiſmate quod XXXV. plus minus annos, tribus de ſumma poteſtate contendentibus, viguiſſe tradunt, Eccleſia conturbabatur. Edicto regio, pontificiæ res erant imminutæ. Inde nata epiſtola, in Regem, Clerum, Academiã inuehens: quæ famoſa iudicata, pro tribunali in ore atque oculis omnium diſcerpta fuerat. Sed quale id cunque fuit, quod iudices permouerit, numini ſanè aſcribẽdum puto. Chriſtus enim Pontifex Opt. Max. terras iamiam relicturus, & ad

patrem rediturus, Petro, quem cæteris animo vehementiorem cõpererat, & in cuius perſona, omnibus apoſtolis, horúmq; ſucceſſoribus, germani atque abſoluti paſtoris ideã exprimere volebat, oues ſuas, quas ſanguine ſuo redemerat, paſcendas non antè commiſit, quàm ab eo ſui ter amorem ſtipulatus eſſet: vt oſtenderet in has à Petro declarandum, quanti Dominum faceret, quem ſibi ter charum profeſſus fuiſſet: paſtorémque agendum non Dominum, & paſcendas vt ſeruaret, non mactãdas aut deglubendas vt perderet. Quod certè ille, nonnullíque alii eius ſucceſſores, nec admodum multi præſtiterunt. Sed poſtea venêre (quod & tum Dominus ſubindicabat) qui (prò dolor) non ipſius amore, ſed rei ſuæ cauſa, cuſtodiendi populi Chriſtiani prouinciam ſubirent, imò verò inuaderẽt, & non modò paſtoris, ſed & ſerui ſeruorum Dei nomen prætexentes, tyrãnis interim ac prædonibus (ſi dicere fas eſt) ferè nihil eſſent abſimiles. Huiuſmodi fuit iſte Benedictus, qui aut ſuapte libidine, aut iiſce animaduerſionibus accenſus, diploma in Galliã miſit, quo Regem, Regíſque agnatos ac gẽtiles diris proſcriptionibus omnes afficeret. Atqui Curiæ Academiæq; habitis à Rege comitiis, pro vniuerſi conſeſſus ſentẽtia, diploma damnatum fuit, ac diſciſſum I I I I. Cal. Iunii M. C C C C. V I I I: & X I I I. Cal. Septemb. qui illud attulerant, in aream regiæ Pariſiis traducti, catamidiati, infamati.

I I.

V I. Id. Nouemb. M. C C C C. X I I I. verba facta ſunt in Curia de profligatis Sacricolarum moribus emendãdis, atque in primis ſummi ipſius Pontificis: qui ſuperiore quadriennio, quinquenniòue, noſtratibus ex antiſtitiis, tricies centena millia nũmûm aureorum, caduci nomine corraſerat. O voraginem exhaurientem! Placuit delectũ in collocãdis antiſtitiis haberi iuſſum, obſeruari religioſiſſimè: ſiquidem operæpretium, ac totius emendationis eſſe neruum. Cæterùm viros aliquot eſſe præficiẽdos, auro Gallico retinẽdo, nec amplius Romam exportando: quod ne fieret denuò vetitum eſt: ſuæ quadruplatoribus portionis, ad ſuum ſtrenuè munus obeundum, pollicitatione inuitatis.

I I I.

V I I. Cal. Decemb. M. C C C C. X V I I. ferè iiſdem de rebus, ferè

eadem placuerunt. additum eſt ſacra beneficia, non niſi idoneis vt committerentur. Vt quemadmodum caduci, ita & gratiæ faciendæ nomine, nihil Romam exportaretur. Vt pecuniæ exprimendæ rationes faceſſerent omnes. Vt eius ſententiæ tot diplomata euulgarẽtur, vt neque ea legatos à Rege Conſtãtiam miſſos præterire poſſet, neque ii contrà quicquam agerent. Receptum tamen, ſi ſummum pontificem aut eccleſiam œcumenicam alicuius egere contingeret, Gallicam (vt ſi qua alia) in officio permanſuram. De quibus omnibus abrogandis poſtea tractatum aliquid, & fortaſſe confectum erit reperire: ſed habemus in tabulis, quo affirmare audeamus, id omne, temporum iniquitate fuiſſe expreſſum.

IIII.

LEGATI à Pontifice maximo poteſtatem, non ab eius diplomatis palàm in Curia recitatis atque in acta publica regeſtis: ſed ex quo ipſe à rege exceptus eſt, accipiẽdam eſſe. Placitum vnius quidem claſſium, ſed cæteris de ea re conſultis ac conſpirãtibus pronuntiatum VI. Id. Mart. M. D. XLVII. Gulielmo Pratenſi & Vigilio Maria de primatu ſani Euſebii Altiſſiodorenſis contendentibus.

V.

SI apud ſummi Pontificis legatum, etiam menſibus, qui Academicis, gradu inſignibus, noménque de more profeſſis aſcripti ſunt, ſacerdotia purè eiurentur: In eis attribuendis eum regulæ cancellariæ apoſtolicæ, quæ dicitur, (Si quis in infirmitate cõſtitutus) gratiam facere poſſe iudicatum eſt. Placitum pronuntiatũ IIII. Non. Iun. M. D. XXXVI. Florentino Paramentario, Rodolpho Tabario, & Lodoico Clerico, de grandiſriui Curionatu diœceſis Nouiodunenſis poſſeſſione contendentibus.

VI.

POSTEA tamen ad maius Curiæ tribunal in ſummam controuerſiam adductũ eſt, hócne vel Pontifex ſummus ipſe poſſet: idque, cùm variis ac firmiſſimis vtrinque argumentis, tum eo maximè, quòd & decretis Eccleſiæ panegyricis, quorum Põtifex ſummus ille quidem, ſed ſanctæ Synodo œcumenicæ obnoxius, gratiam facere, & pactis inter ſe & Regem, regníque Eccleſiam initis, quibus

ſalua religione,aduerſari nequiret)id,quó de ageretur,comprehenſum eſſet.Qua de re tribunalitii Conſcripti frequētes ita cenſuerūt: DIPLOMATE Pontificio, quantùm ad regulam fructúſque ſacerdotii,eiuratori,pro penſione conceſſos pertinebat,nec probato nec improbato, PLACERE, vindiciis ſecūdum diplomatariū pronuntiatis,nullam prouocatione moram afferri,ſi ipſe iure tantùm iurando caueret. Præterea Antiſtites, ſi abeſſent, vicarios, nec poſtremæ notæ homines, poſthac ſubſtituere, qui ſacerdotia mēſibus illis obuenientia,iis quibus affecta ſunt,attribuerent:ſuo ipſis interea Antiſtitibus per ſe,attribuendi munere minimè caſſis. Poteſtatem vicariis factam in ſacrorum Sodalitiorum acta regeri, atque per eorum ſcribas,cùm res ita poſtularet,edi atque excribi. Antiſtites eorùmue vicarios eiuſmodi attributionum commentarios cōficere: ne quid ea in re ſolitæ fraudis admitteretur,id eſt,ne Academicis,vt antea illuderetur. Pro cōſignata attributionis autoritate (quod areſti caput trāſlatitium eſt) nummum aureum, nec eo amplius exigi debere. Ex tempore decimoquarto Cal.Februarii. M. D. XLVIII.

VII.

NE in ſacerdotiorum,quæ conferrentur, diplomatis,qua ſolebat facilitate, falſi quicquam admitteretur, fraudíſue fieret, Curialis ditionis Præſulibus aliíſque omnibus ad quos ea res pertineret,ab ipſa Curia nec ſemel aut iterum edictum eſt, vt in ſacerdotiis aliíſue id genus muneribus attribuendis, teſtes adhiberentur, ac diplomatis inſcriberentur.

VIII.

ANTISTITII Pariſienſis interregno,Sodalibus,maximíſq; Curionibus(quos Archidiaconos appellāt) inter ſe diſcrepātibus, quorum auſpiciis interregni munia eſſent obeunda, & poſſeſſoribus de re controuerſa moribus deductis, ad XV. Cal. Mart. diem infularem,Anno M. CCCC. XX. cùm præter vnum Senonenſem Archiepiſcopū, ſuperiorē, Lutetiæ nemo alius Præſul ageret: PLACVIT eum ſine vlla vllius captione, infulas præſtolantibus operam dare, eorúmque ornamentorum teſſeras petentibus impertire, ſed verbis à Curia cōceptis,ipſiúſque ſigillo conſignandas,territorio in eam rem accōmodato. Ita enim fieri, vt ſi poſtea Archiepiſcopus id ſuo

iure ſe feciſſe contenderet,& Curiæ decreto,& elogiis à ſe ipſo datis conuinceretur.

I X.

SVPREMORVM Antiſtitis mandatorum curatores vt antiſtitii ædificia ſarta tectáque præbeant, rectè conueniri. V I. Calend. Decemb. M. CCC.LXXXXIIII.

De ſacris Sodalitiis vel Canonicorvm collegiis et asseclis eorum, déque Curionibus & AEdituis, TIT. V.

I.

EAM iuris Pontificii partem, qua filios iiſdem fanis aſcribi vetitum eſt, quibus patres miniſtrauerint, ad nepotes, etiam ex filio filiáue non produci placuit. X. Cal. Ian. M. D. XXXVI. Litigatorib. Iacobo Mieteo & Simone Burgœſio. Placitũ celebratiſs. quod Gargiarum Curionatus appellatur.

II.

VBI ſtatuto cauetur, Sodales in locum Sodalis, cuius Sodalitium ſacerdotium in caduci cauſam ceſſerit, quotquot ſeſe obtulerint, admittere poſſe, ita intelligendum, modò ne caducarius annus exierit. Placitum ab Egidio Magiſtro, Regio cauſidico inter orandum, ſine die (quod aiunt) & conſule citatum, VI. Cal. April. M. D. XLIX. ante Liberalia.

III.

SACRIFICVLIS & aſſeclis, qui ſacris Sodalitiis veluti ſupplemẽto eſſe ſolent, neq; in æde ſacra ſedes, neq; in ſecretario locus attribuendus eſt. Beneficio enim affectis, obnoxio illo quidẽ, ſed nobiliori functioni, atque adeò propè dominis, id iuris atque honoris conuenit: aſcriptitiis verò, quaſique famulantibus non item. Et ita Curia dictum voluit Baſilicani ſacelli Sodalibus, ſacrificulis & aſſeclis. XII. Cal. Octob. M. CCCC. XIII.

IIII.

AD Curionum AEdituorúmq; munera quid pertineat, quídque cuique incumbat, res profectò eſt neque tam ambigua, neque tam obſcura, vt OEdipo griphorum diſſolutore, hoc eſt, ſumma Curia

diſceptatrice opus eſſet. Neſcio tamen quæ Ate noſtro ſeculo res humanas, vt olim diuinas, ita conturbauerit, vt inter cæteros ſacris etiam addictos, quos alioqui pacis amantiſſimos eſſe oportebat, frequenter eorum hominũ litibus Curia perſonaret. Vnde multa eius decreta prodiere, ſed duo in primis nobiliſſima, & ad quæ, velut ad normam Leſbiam cætera exigerentur, Manehultanum ſcilicet & Magdalenianum.

V.

CIRCITER Cal. Mart. M. CCCC. I. Decurionibus Abeuillanis & Ambianenſiũ Præſuli pronuntiatũ eſt, pro elogio præconii ſpõſaliũ, quibus eſſet interceſſum, aſſem Pariſiorũ, nec eo amplius percipi debere. Pro elogio cõmeatus, aliò, matrimonii cauſa ſe recipiendi, ſi peteretur, aſſem. Pro ſolenni matrimonii conſecratione, aſſem & vnciam. Pro ipſius teſſera conſecrationis, aſſem vnum & alterum. Pro liturgia, niſi ſi quis celebriorem, ſtatámque opperiri maluerit, aſſem & ſeſqui. Sacra facienti quæcunque offerũtur, niſi Curionem certa re pecuniáue contentum fore conuenerit. Pro thalami inauguratione, vini loco dextantem. Nouos coniuges, nocte prima, impunè poſſe concumbere. Pro teſtamenti ſcriptione, eiúſque conſignatione, aſſes quatuor competere. Apud quos iudices ſiue pontificios, ſiue profanos, teſtamẽti curatores edant rationes, ipſos arbitraturos. Si quis è vita inteſtatus excederet, nec quicquam aliud obſtaret, iuſta nihilominus ei facienda. Quæ omnia nec obſcurè nobis oſtendunt, eo quoque ſeculo, quod ad ſuperiorũ, noſtríque (dicámne lutei?) collationem, lubens terreum appellauerim, animis ſacerdotum inſediſſe cupiditatem: quæ nunc qualis, quantáque ſit, quámque decreti huius inſtauratione ſit opus, nemo non videt. Extitit haud ita pridem cui moribundo, cùm poſt collectũ viaticum Chriſtianũ, etiam de teſtamenti nũcupatione obtruderetur: mihi (inquit alius, qui compertam hominis egeſtatem habebat, vtpote qui eam pro viribus leuare ſoleret) videtur is optimè teſtatus, qui animo admiſſis omnibus, quoad eius per humanæ cõditionis imbecillitatem fieri licuit, repurgato, dominici corporis dapibus ſaginatus, neque non efficaci cõtra ſpiritales agones vnguine duratus, ipſum animum Deo Opt. Max. magnæ matri cadauer, vxori memoriam ſui, cu-

rámque liberorum commendauit: niſi ſi quid præterea ſit, quod poſt mortem ſuam fieri velit. Quæ cùm omnibus placuiſſent, nullo alio condito teſtamento, mors inſecuta eſt. Acceſſuntur ſacerdotes, vt iis de more præeuntibus, funus efferretur. Quibus de teſtamento interrogantibus, atque hæc quæ diximus, audientibus, retulit alius ſe funeri operam non daturũ, niſi aut teſtamẽtum, ſaltem quinquuſſe promeretur, aut de ea re conſultus Epiſcopus, eiúſue vicarii concederent. Alius, cùm intellexiſſet, cuius ſententia eiuſmodi teſtamentum eſſet omiſſum, ô (inquit) de orthodoxa fide malè ſentientem, imò verò planè hæreticum! Quod vt ad eum perlatum eſt, exequiis interim vtcunque celebratis, is Procurionem, vt aliis ſacerdotibus honore, ita & auaritia præcellentem adortus, Síccine (inquit) ſymmyſtas ad tuũ ingenium factos oportuit, vt ſi quis à veſtræ cupiditatis inſtitutis trãſuerſum (quod aiunt) digitum recederet, eum protinus impiæ fraudis inſimularent? Quod ille, paulò antequàm moreretur fecit, éſtne hominis Chriſtiani teſtamẽtum? Quod alius ſeruator Chriſtus, dum in terris ageret, præcepit? Quod aliud moriens fecit, præterquàm quòd ipſe diſcipulum matri, matrem diſcipulo, hic liberos, ſuíque memoriam vxori cõmendauit? Quis vos, id quod in caſu arbitrióque poſitum eſt, pertrahere patiatur ad neceſſitatem? Itáne verò Tobias, cæteríque eo nomine cõmendatiſſimi, mortuos ſepeliebant? Eóſne vos imitamini? vos (inquam) qui, ſi eius, qui efferri debeat, facultates expectationi veſtræ reſpõſuras addubitetis, non antè pedem moueatis, quàm ſi mendicatione, aut alia quauis ratione, vndecunque corradatur, quod vobis latrantibus in os obiiciatur? At ille, nobis (inquit) è veſtigio dica grandis ad põtificium iudicem impingeretur, ſi ſecus quicquã ageremus. O (inquit alius) egregios Chriſtianarum ouium paſtores. Tondêre iſtud eſt, an deglubere? paſcere, an deuorare? Ego verò qui tum fortè aderam, nihil optaui magis, quàm vt quæſtuaria illa dica impacta, Regius actor ac publicus, veluti quiſpiam è machina Deus, illaberetur, qui tribunitio ſpiritu eiuſmodi corruptelas, ceu execrandum facinus, ſolenni prouocatione curaret abolendas. Quod etiam priuato licere, nemo iuerit inficias: ſatis enim erit, rem ad eum pertinere, & contra Curiæ decretum eſſe factam: quod alterum eſt trium argumento-

rum, velut ab abuſu (quod aiunt) prouocandi.

V I.

FECIT Deus Opt. Max. vt aliquando voti compotes eſſemus. Cùm enim Philibertus Coëtius Iuriſcõſultus, Reginæ à Libellis, eiúſque Cauſidicus, ſumma cum pietate ac religione, Chriſtiani munia omnia, ſuúmque diem inteſtatus obiuiſſet: & eum Curio ſuus, futuræ controuerſiæ non ignarus, inconſulto Pontifice, hoc eſt, venia minimè redempta, cætera (vt aſſolet) humo condidiſſet: íſque ob eam cauſam, non ſecus atque ſi in patrios cineres minxiſſet, in ius abriperetur: Regiæ Procurationis Triumuiri, facinoris vltores, non ſine magna Coëtii laude inſurrexerũt, & ab illo toties iactato Synodi decreto, quod ante ducentos vel trecentos annos factum fuiſſe ferunt, quóque Pontifices, vel potius Pontificum perſonæ, ſuam illam cupiditatem prætexere ſolebant, prouocauerunt. Quod certamen vbi Pontifex per aliquot dies detrectaſſet, decretum tandem, ſumma quidem vetuſtate, ac religionis ſpecie verendum, intus autem initio fortaſſe ſuperſtitioſum, poſtea numarium factum, antiquari placuit. Ex tempore, Idib. Iun. M. D. L I I. Vides quàm mordicus hæreãt, & vix vnquam reuelli poſſint quæſtuoſæ cõſtitutiones.

De ſacris mendicantium familiis,

TIT. VI.

I.

IIS qui ſacris ceremoniis, perpetuæque inopiæ ac mendicitati ſeſe deuouerunt, res ſoli habere non licere, dictum eſt Auguſtinianæ Ambianenſium familiæ: iuſſúmque vt datam ſibi domum, qua de agebatur, emanciparent. Nonis Decemb. M. CCC. LXXI.

I I.

PENSITATIONEM ſacris Quatuor mendicãtium familiis legatam præſtari non debere: ſed penſitationis ſortem inter eas diuidi, certis ad Deum precibus in teſtatoris gratiam, cuique familiæ ad annum tantùm imperatis. VII. Id. April. à Martinalibus M. CCC. LXXXV.

GALLOS CVRIAE

LIB. II.

De poteſtate ac iuriſdictione ecclesiastica TIT. I.

I.

DE Gallico ſacerdotio vetitum, ne Romæ reiuindicatione ageretur. VI. Cal. Feb. M. CCCC. XIX.

II.

DECIMAS, niſi de earũ poſſeſſione agatur, cognitionis eſſe Pontificiæ, ſecundum Baïocenſem Epiſcopum pronuntiatum eſt, Anno M. CC. LXII.

III.

H τῶν ἐν διαθήκαις ἐπιμέλεια quanquam ad Epiſcopum maximè pertinet, non tamen cognitio, teſtamenta valeant, nécne. Pontificio igitur earum rerum Curatori, quem vulgò Teſtamentorum Magiſtrum appellant, eiuſmodi cognitionis vſurpatione interdictum eſt. IIII. Id. Ian. M. CCCC. XXVII.

IIII.

ARCHIEPISCOPO Senonenſi ius eſſe, non modò intra curiæ ſuæ cancellos, ipſámue curiam, ſed etiam intra vniuerſum ædium ambitum, reos relatos comprehendendi, ſcalámque traductoriam pro ædibus excitandi, quandocunque res ita poſtularet, XIX. Cal. Septemb. M. CCC. LXXIIII.

V.

COENOBITAS diui Martini à campis, vt Cluniacenſi familiæ aſcriptos, Pontificio foro nihil eſſe obnoxios: ideóque reos delatos vnum & alterum Cœnobiarcho redditos, legibus, canonibus, moribus interrogandos. III. Cal. Iun. M. CCC. LXXVII.

VI.

EPISCOPO ad ſua iura, Cuſtode Frãciſcanæ familiæ, ad ſua priuilegia Franciſcanum reum delatum reiici deſyderantibus, priuilegiis iuri Pontificio inſertis, & (quod aiunt) in eius corpore clauſis, indultum eſt. IIII. Cal. Mart. M. CCCC. XXVII.

VII.

NOSOCOMII Lutetiæ Sodales Pontificiæ iuriſdictioni exéptos: atque adeò Sodalem, reum poſtulatum, ad Sodalitium eſſe relegandum. Prid. Id. April. M. CCCLXXIIII. poſt Martinalia.

VIII.

MONETAE adulteratores areola inſignitos Pontificio iuri permitti placuit, recepta præcipui criminis animaduerſione. Pridie Non. Iul. M. CCCC. XXXVII.

IX.

CVSTODIAM ius initiati verticis vſurpantem, & ſi ab Epiſcopo Xantonenſi, ſuo, vindicaretur, tamen ad noſtratem, nempe Pariſiorum, Curiæ placuit eſſe remittendam. M. CCC. XC. à Martinalibus.

X.

IVS ſancti verticis tanti fieri placuit, vt profanus criminis compertus, cui poſt admiſſum facinus, mutata veſte caput forfice delibatum fuerat, non antè damnaretur, quàm raſus veſtem recepiſſet. Idib. Iun. M. CCC. LXXI.

Eccleſiaſticam poteſtatem ac iuriſdictionem, ipsas etiam personas Eccleſiaſticas, certis in ſpeciebus, ciuili ac profanæ poteſtati & iuriſdictioni eſſe obnoxias, TIT. II.

I.

SI legem Rex tulerit, aliúdue ſanxerit, edixerit, conſtituerit, & ad ſummum Pōtificem, Imperatorem, aliúmue, quem quis Rege maiorem eſſe duxerit, prouocetur, éſtne quod crimini detur? cuíque id ſpeciei aſcribendū erit? ET AB ipſo Rege reſcriptū eſt, eos qui ab eius cōſtitutionibus, ad aurum è Gallia Romam non exportãdum, alióſque corruptos Eccleſiæ mores ad priſcæ religionis atque integritatis normam exigendos, pertinentibus, ſummum Pontificem appellaſſent, maieſtatis eſſe appellandos ac condemnandos: quod & Curia comprobauit. V. Cal. Mart. M. CCCC. XVII.

II.

EMENDATRICES ſolutæ Eccleſiæ conſtitutiones, ſanctè ac religioſè obſeruari iuſſæ, Prid. Non. Nouembr. M. CCCC. XXIIII.

III.

LEGES de Eccleſiæ Gallicanæ libertate latas, ad amuſſim & libellam exercendas: lites eò pertinentes, ex iis perinde atque ex oraculo diiudicandas: neque ob ſecus acta, leges à quoquam minus eſſe dicendas. x. Cal. April. M. CCCC. XXIIII.

IIII.

SI quid à ſummo Põtifice aduerſus Sãctiſſima iura, Pactáue conuenta, Imperiúmue profanum ac iuriſdictionem deſignetur, iandudum prodita eſt, nunc peruagatiſſima, quam à quodam veluti abuſu prouocationem appellamus. Sed & aliam veteres comperimus iniuiſſe rationẽ. Inter cætera eius rei exẽpla, cùm Nannetenſis Epiſcopus diploma impetraſſet, quo, cõtra fidem à ſe datam, Principis autoritas imminueretur, PLACVIT diplomatis impetum eſſe comprimendum, & exequutori vetandum, illud ne exequeretur. VI. Cal. Septemb. M. CCCC. LVIII.

V.

NON modò pactis inter Leonem X. Põtificem maximũ & Franciſcum Valæſium primum conuentis, quæ Cõcordata appellant, ſed iure vt eximio, ita & antiquiſſimo, ſolis Francigenis cõparatum eſt, vt à ſummo Pontifice, prima ſortitione coërceri non poſſint. Itaque Idib. Martii M. CCCC. IX. Rhemorum Antiſtes quòd contrà faciens Gulielmum Martroium diris à Põtifice maximo programatis affici curaſſet, pecuniæ damnatus eſt, iuſſúſque vt eo nodo Martroium explicari curaret, interminata, ni faceret, prædiariæ rei pigneratione. Solis, ex compoſito, dixi Francigenis. Prouocatorem enim eiuſdem ferè ſpeciei, quòd alienigena eſſet, prouocatione, quam velut ab abuſu dicimus, ſummotum inuenimus in aduerſariis noſtris, ſed ſine die (quod aiunt) & Conſule.

VI.

PONTIFICES imperia Curiæ, vel renuentes vel impendiò detrectãtes, publica tam Pontificii, quàm priuati patrimonii poſſeſſione placuit eſſe coërcẽdos. Cuius ſeueritatis exẽplum in Rothomagenſem Epiſcopum editum eſt, VIII. Id. Aug. M. CCC. LXXIII.

VII.

ET publicè & priuatim multùm intereſt, rebus iudicatis vt pa-

reatur. Cardinalem igitur Conſtantienſem, quòd Ampliſſimo ſeſe Ordini immorigerum ac refractarium præbuiſſet, ingẽtis pecuniæ tam erga principem, quàm eos, cuia res erat, damnari placuit, XII. Cal. Aug. M. CCCC. LVIII.

VIII.

INTER cætera, quæ cùm gratuita eſſe deberent, Põtifices tamen in ſua cõpendia tranſtulêre, hoc quoque ita increbuerat, vt in Quæſtorum rationibus titulum nec ignobilem ſibi vindicaſſet: nempe vt Curionibus aſcriptitiæ prouinciæ, munerísq; per ſeipſos obeundi, etiam ſtudiorum cauſa, gratiam non aliter auferre liceret, quàm ſi eam certa pecunia redimerẽt, ita vt gratia gratiæ quidem nomen retineret, cæterùm ſubſtantiam amitteret. ITAQVE Regiæ ac publicæ procurationis Triumuiris intercedentibus, PLACVIT, vt ab ea numatione Pontifices temperarent, & Quæſtorum rationes ederentur, vt quod eo nomine acceptum relatum eſſet, pauperibus pro Curiæ arbitrio erogaretur. Ex tempore Non. Feb. M. D. XLVIII.

IX.

GERMANVM è cuſtodia non antè emittendum, quàm Cheminardum, ſua cauſa, à parente Eccleſia abdicatum, abdicatione inducta, in familiam receptum eſſe doceret. VI. Non. Iul. M. CCCC. XC. IIII. Quod quidem ita inualuit, vt etiam hodie, cùm à Pontificiis iudicibus, ſic homines abdicantibus, veluti canonica iuriſdictione abutentibus prouocatur, diplomatis quæ prouocationum exercendarum gratia ſolent impetrari, hoc quoque addimus, vt magiſtratus cui hæc prouincia imponitur, ſi viderit, curet eiuſmodi abdicationes interim ſuſtineri, & cogendos omnes eò adigat, profanos quidem rerum atque etiam hominum (ſi res ita poſtulat) pigneratione, ſacris verò addictos, profanis tantùm pignoribus captis. Sed quo iure hoc niti dicemus, forſitan inquies. Nam in iure neque ciuili, neque Pontificio vſquam inueni, vt quis, quòd iudicatum non faciat, comprehẽdi poſſit, niſi vel ob crimen, vel ob nexum initum condemnatus. At verò Pontificiæ generis huius animaduerſiones, nonne diuino ſunt iure inductæ? Si quis eas curauerit, cui ſe crimini alligauit? quem nexum iniit, vt illi manus iniici debeat, & carcere coërceatur? Equidem non inficior, veteres iuriſprudẽtes, ipſos etiam

Imperatores vſque ad Conſtantinum, Eccleſiam non modò contempſiſſe, verùm etiam oppugnaſſe: tantùm abeſt, vt ab ea excluſis ita ſuccurrerent. Reliquo iure ciuili, quod vel ipſe legerim vel audiuerim, non puto contineri. Quòd autem ad Pontificium pertinet, nihil peius oderunt Pontifices prouocationibus, quas à quodam veluti abuſu appellant: quòd earum obtentu, eiuſmodi animaduerſiones fruſtrari ſolent, & tota canonicæ iuriſdictionis ratio conturbari. Cæterùm, priore ad Corinthios epiſtola, diuus Paulus ita ſcribebat, Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini Ieſu, tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et Satanæ tradere, ab Eccleſia ceu Ethnicum excludere, & tanquam impium è piorum cœtu, peſtiferum è ſalubrium contubernio profligare, interpretantur. Proinde, è re cuius Pontificii iudices eo iure vſi fuerint, modò ne dolus interuenerit, eum neque criminis quicquam deſignare, neque nexum vllo modo inire, quo in carcerem coniiciendus ſit, exiſtimauerim. Sed non abs re fortaſſe fuerit augurari, eos qui primùm hanc in ſpeciem, eiuſmodi coërtionem inuexerunt, in animum induxiſſe, longè grauius eſſe, velut morbidam ac vlceroſam ouem è communibus Eccleſiæ caulis eiici, quàm inter eas aliquo in ſeceſſu non includi modò, verùm, ſi voles, etiam vinciri. Quod facilè perſuaſum habebunt, non qui eò contemptæ religionis perducti ſunt, vt Pontificiis dirarum imprecationibus, vinum nihil ſibi minus ſapere dictitent: ſed qui veri cultus ac pietatis amantiſſimi ſatius (vti par eſt) eſſe ducunt, etiam ætatem in vinculis agere, quàm vel momento Eccleſia exulare, & interim eius ſacramentis & beneficiorum participatione priuari. Forſitan illis venit in mentem eius, quod erat in Tab. XII. AEris confeſſi, rebúſque rectè iudicatis triginta dies ſunto. Pòſt deinde manus iniectio eſto: in ius ducito, ni iudicatum facit. Et paulò pòſt, Vincito aut neruo, aut compedibus quindecim pondo, &c. Forſitan ſubiit Euangelicum illud, Fac conuenias cum aduerſario tuo citò, dum es in via cum illo: nequando te tradat aduerſarius iudici, & iudex te tradat miniſtro, & in carce-

„ rem coniiciaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec perſolueris „ extremum quadrantem. Sed hoc ius vndecunque Ampliſſ. Ordo tranſtulerit, pium ac religioſum eſſe videtur, vt Chriſtianus Satanicæ tyrannidi expoſitus, modis omnibus ab æquo bono nihil abhorrentibus, in priſtinam libertatem aſſeratur.

X.

SI quis velut optimo iure ſacerdotium ἀπαλλάγματος ἕνεκεν eiurauerit, quod tamen penſitationi, aut aliter eſſet obnoxium, etiam apud profanos iudices eum conueniri poſſe: vt aut liberum præſtet, aut petitori, ſacerdotii à ſe mutuo eiurati poſſeſſionem recipiendi poteſtas fiat. Quæ res ſæpe quidem iudicata eſt: ſed in primis à Prætoriano conſilio, Cardinale Borbonio, & Corbienſi Hetæriarcho de ea re diſceptantibus. Chartarius admonuit.

XI.

CIVIUM Laudunenſium partibus, altera ſacra, altera profana, inter ſe diſcrepantibus, an publicis operibus faciendis, communibúſque commoditatibus comparandis, ſacris addicti ciues conferre tenerentur: eos in fiduciæ ſpeciem, ex quadrante teneri placuit. IIII. Cal. Aug. M. CCCC. IIII.

XII.

POSTEA ſummæ rei iudicio, V. Id. Decembr. M. CCCC. V. PLACVIT ſacris addictos, horum ſtipẽdiis cõferre teneri: nẽpe militiæ Præfecti, excubias tam in vrbe, quàm extra vrbẽ agentiũ, portas cuſtodientiũ, fontes cloacáſque purgãtium, incendia reſtinguentium: ad horologii verò, pontiúmque curã ſuſtinentiũ, non teneri.

XIII.

AD vrbem muniendam, tuendam, ſacros etiam ciues tributum conferre teneri, bonáque eorum profana, ni conferant, publicè poſſideri poſſe pronũtiatum eſt, Cõſulibus, ſacróque Sodalitio Lugdunenſibus, de ea re diſceptantibus, XV. Cal. Iun. M. CCC. LXIX. Et poſtea Epiſcopo, Clero, ac Cõſulibus fani Flori Aruernorum, IIII. Id. Iun. M. CCC. LXXIX.

XIIII.

MATISCONUM Antiſtiti ac Sodalitio (quos omnes, vt limitaneos, fœderi Atrebatibus icto cõprehenſos eſſe ferũt) eadem omnia

incumbere placuit, addita etiam pontium, viarúmque difficilium refectione: non tamen iis de cauſis ipſos homines, ſed eorum res duntaxat profanas eſſe pignerandas. Cæterùm quòd ad æris eius collationem pertinebat, quòd Scribæ Regii (quem vulgò Tabellionem appellant) recèns editi, penitus abolendi cauſa, prouinciæ imperandum, & Principi offerendũ eſſe, tres ipſius prouinciæ ordines cõuentu panægyrico decreuerât, an ille quoque primus ordo cõferre teneretur, placuit amplius eſſe deliberandũ, VI. Non. Martii, M. D. LII.

XV.

SACERDOTEM, ſacríſue initiatum, qui rebus profanis ſeſe miſcuerit, ſi ad profanum iudicem iis de rebus in ius vocetur, ire debere, neque Pontificii fori præſcriptione vti poſſe, permultis Curiæ autoritatibus eſt comprobatum.

XVI.

BVRGVNDIONVM duci & Odemarenſibus formulam in perſonam intendentibus, Nicolaus Robelotus ſacerdos vnde petebatur, ius canonici fori præſcripſit. Quod, prima quidem fronte, ſpecioſiſſimum videbatur: ſed, vt clauus (quod dicitur) clauum, ſic alia exceptio aliam extruſit. Extra quam (inquiebant petitores) ſi publicanum ſacerdotem in ius vocauerimus, de re ad huiuſmodi negotiationem pertinente. ITAQVE placuit ſacerdotem iudicium accipere debere. III. Id. Ian. M. CCCC. XXVI.

XVII.

QVIDAM ſacerdos appellauerat, quòd ex conſignata cautione, cognitóue chirographo conuentus vt debitam pecuniam ſolueret, aut hypothecas auctioni permitteret, Pontificii fori præſcriptione ſummotus fuiſſet. Cauſabatur actionẽ in perſonam eſſe cõceptam, neque ei quicquam ineſſe, quod rem ſaperet, niſi fortè acceſſione, & quaſi pediſſequum, nonnullis in eam ſententiam ipſius Curiæ citatis autoritatibus. E diuerſo reſpondebatur, actionem eſſe mixtam & in rem & in perſonam, nihílque Pontificii fori eſſe poſſe, quod rei vel minimum haberet admixtum. PLACVIT rectè atque ordine iudicatum, temeréque prouocatum, adiecta ſtatæ mulctæ clauſula. Placitum extẽporale ac pomeridianum. * Ian. M. D. XLV. Pericardo ex cauſidicis altero.

XVIII.

PRISCA noſtratium, de relegandis ad ius Pontificium reis infulatis, religio (ſuperſtitionem fortaſſe audacior aliquis appellauerit) fecit, vt quamplurimi, vertice tantùm ſanctis ſimiles, cæterà profani, vel contaminatiſſimi potius, hocce amuleto aduerſus leges iudiciáque ſalubria vitæ, ſibi comparato, in aliorum res vitámque graſſarentur, omnia præfidēter auderent, ſéque omni ſcelerum genere obruerent: & tamen comprehenſi, & in Pontificium carcerem relegati, præcipui admiſſi quātuncunque recepta quæſtione, eiuſmodi poſtico iuſtitiæ carceris, ſacroſanctas fallerent leges, ipſámque iuſtitiam ac ſeueritatem, legum atque innocentiæ vindicem. Sed tandem vſuuenit, quod vulgari parœmia iactari ſolet, TAM malè cedere, vt aliquando tandem bene cedat, Nuper enim Curiæ decretis inductū eſt, vt eius farinæ reis, quocunque ſanctitatis iure ſint præditi, comprehenſis, ſiquid eſt criminis eximii, Regiæque animaduerſionis, id primùm quæratur, ac vindicetur: reo poſtea ad ſua iura (ſi res ita poſtulauerit) reiiciendo. Eius rei edita ſunt exempla in vadatum Gulielmum Pellicerium Nitiobrigū Antiſtitem, in Boëſium Epiſcopum Beterenſium. Poſtremò in Iohānem Rigoletum, initiatum, Reginæ procuratore id à claſſe Quæſitoria poſtulante. x. Cal. Septemb. M. D. XLIX.

XIX.

SACRIS initiatum, qui poſtea in bello ſtipendia meruerit, delibati verticis iure vti non poſſe, perſæpe iudicatum eſt.

XX.

COENOBITAM erraticum, qui militiæ nomen dederat, merueratque, excurſorem, militari habitu comprehenſum, latrunculator, cœnobii repetendi iure foríque præſcriptione caſſum pronuntiauit. Quod rerum capitalium ad Curiam Conſcriptis, cùm ea appellata fuiſſet, etiam placuit, appellatore ſexagenaria fraude mulctato, XII. Cal. Feb. M. D. XLVII.

XXI.

HABITA deliberatione an Nicolaus Dæzius, capitis damnatus, prouocationis cauſa è vinculis dicta, ſancti verticis præſidio ſummouendus eſſet, quòd faſſus fuiſſet, ſe, neque nomine militiæ dato,

neque Regiis, ſed ſuis ipſius ſtipēdiis, expugnandæ Papiæ, cum Brixianis aliquot eiuſdē inſtituti nobilibus, operā dediſſe. PLACVIT olim quidem ſancti, poſtea verò profani facti verticis rationē non haberi. Eum enim qui ſua ſponte hoſtem trucidare in animum induxerit, proximè ad illum accedere, qui id mercede conductus facit. Quanquam & illud generoſum aliquid ac liberale præ ſe ferre videtur, ſed quo quiſque ſit animo, non ſatis perſpici poteſt: & vt ſe cunque res habeat, certum eſt hoc eſſe, quod dicitur, SE ſæuis immiſcere. VIII. Cal. Decemb. M. D. XXXI.

XXII.

SACERDOTIBVS ſacríſue initiatis pignora auferri non debere, non eſt perpetuum. Sacerdotem enim, qui à iudice profano, interea dum fori tranſlatio ageretur, in alimentorum ac medicamētorum cauſam, viginti præbere iuſſus, iudicatum non fecerat, pignorum ablatione rectè coërcitum fuiſſe, Curiæ Tholus iudicauit. IIII. Non. Iunii M. D. XLVIII.

De appellationibus quæ à Pontificibus, eorúmue iuridicis, apparitoribus & miniſtris interponuntur, & à veluti abuſu nuncupantur, TIT. III.

I.

AB eis quibus Pontifex Max. diplomatis ſui, de Lucionenſi Antiſtitio, mandauerat exequutionem, quòd ii extra Curiæ ditionem eſſent, prouocari potuiſſe placuit: idcircóque prouocationem exercere cupienti, & Curiæ codicillos in eam rem poſtulanti, negari non debere, XIII. Cal. Mart. M. CCCC. XCI.

II.

PROVOCATIONEM ab exequutione diplomatis, quo ſummus Pontifex, de collegii ſentētia, Sanctorum Iohannis & Lazari Hieroſolymitanorum Sodalitia copulauerat, per Regium actorem publicúmque veluti ab abuſu interpoſitam, admitti placuit, lōgiſſima annorum ſerie, nempe CC. nihil impediente: ſecundúmque prouocatorem pronuntiatum eſt, quòd neque rectè, neque ordine, nec ſolennibus obſeruatis, ea proceſſiſſet. Cal. Mart. M. D. XLVII.

III.

ANTISTITES, eorum vicarios, iuridicóſue diœceſum ſuarum Curionibus, iugis ac perpetuæ functionis gratiam facere poſſe, concederéque vt vicaria opera vti poſſint, eſt compertiſſimum. Sed ſi quis duobus curionatum ſibi aſſerentibus, eiuſdémque gratiæ candidatis, velut cognita cauſa, alteri indulſerit, an rectè fecerit dubitari poteſt. ET contra ius, ac per abuſum, cùm eo nomine prouocatum eſſet, feciſſe iudicatũ eſt. Id enim quaſdam eſſe vindicias, quas moribus noſtris, profanis tãtùm iudicibus dicere fas eſſe ſolet. Placitum extemporarium, III. Id. Feb. M. D. XLIII.

IIII.

CREDITOR cùm ad profanum iudicem, debitorem condemnaſſet, necdum anno elapſo, nomen in filium, Lutetiæ Pariſiorum agentem, ſtudiorum cauſa tranſcripſit: qui ad priuilegiorum Apoſtolicorum vindicem, eiuſdem rei iudicium debitori rurſus intendit. Id nullum atque iniurium, cùm à veluti abuſu, in ius vocatus appellaſſet, pronũtiatum eſt, & ſanè meritò. Quid enim attinebat condemnatum, in quem & lege agi poterat, iterum condemnare? Nónne id negotii faceſſendi cauſa commentum eſſe, manifeſtum erat?

V.

VIATORIBVS, ne cui non adhibitis anteſtatis dicam ſcriberet, & edictis Principum, & Curiæ conſultis iam olim interdictum fuit: quod ad quale in ius cunque Pontificium vocationes etiam prorogatum eſt. Vnde & Pontificii iudicii denuntiatio inanteſtato facta, indéque ſequuta omnia, cùm de iis ad Curiam, à veluti abuſu prouocatum eſſet, contra ius & fas eſſe facta, ex tempore pronuntiata ſunt, Cal. Mart. M. D. XXXVII.

VI.

SAEPENVMERO pronuntiatum eſt, Pontificium prouocationis iudicem, qui anteriori iudici, à cuius interfatione prouocatum erat, ne quid contra prouocationem deſignaretur, vetuiſſet, iuriſdictione abuſum, ſi iniqui iudicii iactura, ſummæ quæſtionis iudicio, vlla ratione ſarciri poſſet. Eſſe enim contra decretum, quod dicitur, de Friuol. appellationibus. Quod & de vadimonio ex elogiis decreto, quanquam hoc propriè interfatio non eſt, intelligi placuit V. Id.

Decemb. M. D. L. Bucheratio & Villierio cauſam orantibus.

VII.

A SENTENTIIS Canonicorum iudicum Epiſcopi Pariſieñs & Archiepiſcopi Senonenſis, altera alteram geminante, Titius gradatim prouocauit. Secunda prouocatione non exercita, Archiepiſcopus Lugdunenſis, Galliarum Primas, eiúſue Iuridicus commiſſum prouocationis eremodicium pronuntiauit. Titius ſummum Pontificem appellauit, & iuſta exercēdæ appellationis impleuit. Mæuius aduerſarius Curiam contrà, abuſum cauſatus, quòd ſummi Pontificis decreto De cauſis, pactóque conuento inter ſummum Pōtificem & Regem, à tertia feréque eadem ſententia prouocare non liceret. Proponebat ex aduerſo Titius, poſteriore ſententia, priores neque probatas, neque improbatas: ſed ſecūdæ tantùm prouocationis eremodicium pronuntiatum. DIGNA tandem Curiæ viſa eſt controuerſia, quæ conſilio permitteretur. Non. Ian. M. D. XLVII.

VIII.

TANTI ſe facit erga Pontificiam Profana iuriſdictio, vt quandiu quicquam ex ea pendet, quod ad rem, quam apud iudices Pontificios tractare libuerit, vel minimum atque etiam in ſpeciem tantùm facere videatur, nihilominus tamen Pontificiam iuriſdictionem ſilere oporteat. Publius Mæuius à Pontificio iudice Semproniam, iuſtam ac legitimam vxorem iudicatam, ducere damnatus, cùm prouocaſſet, Regiis codicillis innixus à Profano iudice tempus exercendæ prouocationis impetrauit, nec tamen exercuit: ſed paulò antequam dies exiret, litem pecunia tranſegit. Poſt aliquot annos, Sempronia trāſactionis perperam initæ commonita, ad Pontificium iudicem redit, efficítque, vt ab eo pronūtietur, prouocationis deſertorem, iudicatū facere compellēdum eſſe. Tum ille cauſatus abuſum, Curiam prouocat: queritur id aduerſus Profanam iuriſdictionem ac poteſtatē eſſe factum. E diuerſo reſpōdetur conſtare, tranſactionem, vel ex ea ipſa, prorſus eſſe nullam. Cæterùm Profanū iudicem, vt litem non cognoſcere, ita nec tempus exercendæ prouocationis conſtituere potuiſſe: prouocatorem poſthabitis illis externis auxiliis, prouocationem intra tempora iure definita, exercere ac conficere debuiſſe. Quod cùm neglexiſſet, quid aliud ſupererat, quàm cu-

rare, vt ius dicenti obtẽperaretur? PLACVIT Curiam ritè fuiſſe appellatam: litigatoribus tamen, quod ad prouocatoriæ litis impendia pertinebat, paribus abire iuſſis, & poteſtate prouocatori facta, ſuis rebus, vt videretur, conſulendi. Ex tempore VII. Cal. Mart. M. D. LI.

IX.

IMPIAE fraudis Anquiſitori iuriſdictionem & à ſummo Põtifice mãdatam, & à Principe comprobatam eatenus patere, quatenus patent Imperii Gallici fines, nemo (quod ſciam) dubitauit. Sed controuerſum eſt, reos vndecunque delatos an extra Diœceſes ſuas ad ſe ipſe, vbi volet, poſſet euocare. ET NON poſſe placuit: id enim Sanctorum Patrum decretis aduerſari. Itaque pronũtiatum eſt eum qui ab eiuſmodi euocatione, veluti abuſu, prouocaſſet, rectè atque ordine prouocaſſe. Ex tempore VI. Id. Iun. M. D. LI.

De variis circa ſacra beneficia controversiis, vt indicatvm fuerit, TIT. IIII.

I.

D. MARTINI Geneuraii Curionatum, per Marini Ianuarii mortem adminiſtratore vacuum, Põtifex Maximus eodem die, iiſdémque verbis ac periodis Iohanni Duranto & Vincentio Platello contulit. Vterque à mero ſacerdote, in Curionatus poſſeſſionem, ſed verò Durantus prior inductus eſt. Pòſt deinde Platellus apud Pontificem maximum in Petri Freuillii gratiam eiurat: atque ita Pontifex Max. Curionatum, ſiue huiuſmodi eiuratione, ſiue alia quauis ratione, iuſto ac legitimo Curione vacuum, Freuillio contribuit. Is eo iure per Apoſtolicũ pactorum perſcriptorem, Curionatus poſſeſſionem nactus, Duranto Curionatum occupanti, interdicto retinendæ poſſeſſionis iudicium intendit. At verò dum conſignatas non edit autoritates, ſecundum Durantum dicuntur vindiciæ. Sed in prouocationis cauſa, ſignis ſtrenuè illatis, Freuillius conſerit manum. Defendit Durantus, Bonifacium VIII decreuiſſe, in collationum concurſu, ſi non appareat quæ primò facta fuerit, potiorem fore cõditionem poſſidentis. Freuillius refert, ita quidem eſſe, ſi à Pontifice Max. eiuſque Legato, vni, & ab ordinario alteri, eodem die, idem

D.i.

beneficium cōferatur. Sed in ſpecie propoſita, diuerſum eſſe: nimirum ab eodem Pontifice cōcurſum eſſe factum: itaque dationem in vtriuſque perſona infringi, & ex ea neutrum eſſe Curionem. Se igitur non eiuratione modò, verùm etiam quacunque ex cauſa, quoue cunque modo vacuus eſſet Curionatus, cum rectè atque ordine impetraſſe. RE admodū concertata, & à ſecūda inquiſitionum claſſe, cui controuerſia dirimenda fuerat attributa, explorata cæterarum claſſium ſententia, placuit vindicias à Duranto abiudicari, & ſecundum Freuillium dici, interea dum de iuſta Curionatus poſſeſſione cognoſceretur. Fieri enim poſſe vt aliquando tandem appareat, quis prior à Pōtifice Max. petierit, & ab eo fuerit exauditus, atque ita Curionatum conſequatur. Placitum pronuntiatum III. Non. Iun. M. D. LII. Iacobo Viola litis enarratore.

II.

SACERDOTII eiuratione, certa penſitationis lege, nec aliter mandata, is cui mādatum erat, apud ſummi Pōtificis Legatum, penſitatione prætermiſſa, quòd eius decernēdæ ius ei non eſſet, eiurauerat: atque ita ei, cuius gratia eiuratum erat, attributū fuerat ſacerdotium. Poſt aliquod tēpus eiuratore vita functo, alius caduci iure, ſacerdotium impetrauit. Mota inter eos controuerſia, opponebāt caducarius, ob eiurationem non penſitationis lege factam, rem infectam fuiſſe. Referebatur, attributionem eiuratione faciendam, & penſitationis inductionem diuidi potuiſſe, altera per Legatum, altera per ipſum Pōtificem, etiam ex interuallo explicāda. ET PLACVIT ita ius eſſe. Placitum recitatum x. Cal. Ian. M. D. XXXVI. litigatores Iacobus Mieteus, Simon Burgœſius. Placitum (inquam) celebratiſſ. quod Gargiarum Curionatus appellatur.

III.

SVMMO Pontifici ſodalitium apud Bituriges ſacerdotium Bochetellus eiurauerat: ſed nominatim in fratris filii gratiam, non aliâs (vt aiunt) nec alio modo. Quod ſummo Pontifici cùm placuiſſet, & oblatum beneficium fratris filius recuſaret, ab ipſo Pontifice Bochetellus impetrauit, vt quo iure beneficium acceperat, illud eodem retinere poſſet. Accidit vt Bochetello conſueta munia obire volenti, Sodales aditum intercluderent. Tum ille interdicto vti poſſideris

agere : ii intercedere, dicere eiurationis admiſſione, indéque ſecuta beneficii collatione factum eſſe, vt Bochetello integrum non eſſet retinere ſacerdotium : ſed veluti nouo iure nitētem, nouitii Sodalis iuſta omnia redintegrare debere. Bochetellus ſe ſacerdotio carere non intendiſſe, niſi fratris filius acciperet : ídque tametſi non perſtrinxiſſet, tamen eſſe intelligendum. PLACVIT conditionem eiuratione contineri, ideóque interdicto morem eſſe gerendum. Ex tempore. x.Cal. Feb. M. D. XLIX.

IIII.

LIS de iuſta ſacerdotii poſſeſſione conteſtata, poſtea triennio deſerta, an diplomatis auxilio repeti poſſet, Remundo Caſtellano Vallacio, Petro Tragino, Dionyſio Iuone, cōtrouertentibus, Curiæ placitis aliquot vtrinque prolatis inter ſe diſcrepātibus, Fabro litis inſpectore, atque enarratore, ſecunda Curiæ claſſis, cæteris claſſibus de ea re conſultis, iudicauit poſſe : quòd (ſi quidem iudicum mentem aſſequimur) poſt acceptum iudicium, atque adeò actione in quadraginta annos perpetua facta (vt in rebus profanis) neuter litigatorū, niſi eo tempore, vſucapere poteſt: & compendioſius cauſam, etiam longo ſilentio ſepultam exuſcitamus, quàm intra id temporis ex integro agamus. Perſcriptum, pronuntiatum Curiæ decretum. Cal. Feb. M. D. XLVII.

V.

OB controuerſi ſacerdotii, publicè poſſideri iuſſi, fructus à reo detrectatore non repoſitos, vindicias ſecundum actorem, Curiæ viſum eſt perperam fuiſſe pronuntiatas, fructúſque ex ea ſententia ab actore perceptos, eſſe reponendos. Sed res ita temperata eſt, vt intra certū diem reus etiam reponeret : quod ſi non faceret, actor in poſſeſſionem mitteretur, fructus, quos eo nomine perciperet, non antè reſtituturus, quàm ſi legitimo vindiciarum iuſtæue poſſeſſionis iudicio vinceretur. Placitum ex tempore conflatum ac recitatum Id. Iul. M. D. XXXVII.

VI.

SI quis lite cœpta, ſacerdotium, quó de ageretur, eiurauerit, Franciſci Valeſii primi ſanctione, eum cuius gratia eiurauerit, iudicio ſiſtere, ac veluti in ſcena perſonam pro ſe quidem ſubiicere tene-

tur: Sed diſceptabatur an lex ad eiurationes quoque, quæ ante litem eſſent factæ, transferri poſſet. ET placuit non poſſe. Placitum extemporale ac pomeridianum * Ian. M. D. XLV. Tuſchiano altero litigatorum.

VII.

VETVS quæſtio fuit, an ſacerdotii Sodalitii vindiciis, iuſtáue poſſeſſione ſuperatus, nomine fructuum, quos certum eſt reddi oportere, ſtipendia quæ quotidie fecit, etiam rependere teneatur. Cuius rei cùm varia exempla eſſe dicerentur, tandem non teneri placuit. XIX Cal. Septemb. M. D. XLVII. litigatoribus Claudio Gentonio & Gulielmo Perellio. Acceſſit decretum Conſcriptorum iuridicos Turonis eo anno conuentus agentium, VIII. Id. Sept. iiſdem litigatoribus: quo ſtipẽdia ipſa quotidiana nominatim recepta fuerũt, fortaſſe quòd ad litis æſtimationem potius pertinere viderentur: & ita multi reſponderunt.

De Decimis, Tit. V.

I.

ANNO M. CC. LXII, menſe Martio, Diuus Ludouicus, vt, inter cæteras animi dotes, quibus plurimùm pollebat, cõſtanti ac perpetua erat voluntate, ius ſuum cuique tribuendi (quæ Iuſtitia appellatur) edicto declarauit, per ſe ſucceſſoréſque ſuos Reges, Eccleſiæ licere, licitúmque fore, nulla prorſus alia petenda venia, vt decimas olim, puta Philippi Auguſti Deodati temporibus, profanis hominibus conceſſas, quacunque honeſta cõditione poſſet, reciperet, præter clientelis aſcriptas ante concilium Lateranenſe.

II.

ANNO M. CC. XLII. Curiæ decreto pronuntiatum eſt, decimas Baiocenſi Epiſcopo ab homine profano vel venditas, vel donatas, gentilitiæ redhibitioni minimè obnoxias eſſe: vtpote quæ diui Ludouici diplomate penitius inſpecto, poſtliminii quodam potius iure, ad ſuos, nempe Eccleſiam, reuerſæ, quàm venditionis, donationis, aliôue titulo quæſitæ viderentur.

III.

DECIMAS Leuitarum ſucceſſoribus ab aliis hominibus ſic debi-

tas, vt qui negent, velut homicidio ſeſe obſtringant, quî factum eſt vt noſtra ætate, vix alii ex parte, alii omnino non ſoluerent? Sanè præterquam quòd vtriuſque ordinis mores ferè in vniuerſum mirè deprauati ſunt, hoc vnum, vel maximè, in cauſa fuiſſe crediderim. Nempe quòd iandiu egeni, quibus, poſt ſacerdotes, alendis decimæ ſunt dicatæ, multis à ſacerdotibus adeò non alerentur, vt cùm illis miſerè pereuntibus, ab omnibus indictione ſuccurri conſtitutum eſſet, ii ne conferre quidem in animum inducerent: & interim non modò decimas, verùm etiam alia penè omnia, non tam fortaſſis in ſuam ipſorum gratiam, quàm in illorum leuamen (quid enim attinet vt Sacerdos, vt Præſul, vt Sodalitiũ, vt Cœnobium, tot aliis etiam ordinis eiuſdem hominibus eſurientibus, tot millia deglutiat?) iam olim à piis hominibus erogata, in voluptatum genus omne profunderent. Poſtulantibus tamen Antiſtite, Sodalitio, vniuerſáque Carnutum Diœceſe, Regium, De decimis perſoluẽdis, diploma iuſſum eſt v. Id. Iun. M. D. XLVII. quod pridie Cal. Iul. palàm in Curia recitatum, promulgatum, atque ita interpretatum, in actis publicis perſcriptum eſt. PLACERE ne quis antè metat, quàm Dominico, cõmodóue alio die, Eccleſiaſtico præconio dies inuulgetur, quo ille falcem in meſſem ſe miſſurum ſperet: vt eius rei Decumani certiores facti, præſto eſſe, iúſque ſuum auferre poſſint. Si quis contrà fecerit, quanti interfuerit, damnatum iri.

GALLOS CVRIAE
LIB. III.

De principe. Tit. I.

I.

EA quæ de rebus à minoribus, ſine tutoris, vel curatoris autoritate non gerendis, à maioribus tradita ſunt, ad Francorum Regum filios natu maximos, alióſue deſignatos Reges, quos Hebræi פַּחִים, noſtri vulgò generalius Delphinos appellant, nihil omnino pertinere. Lege enim, quam de ea re, anno M. CCC. LXXVII. Rex Carolus V. cognomēto Sapiens frequenti Procerum Patrúmque conuentu rogauit, ſancitum eſt, vt Rege mortuo, eius filiorum maximus è veſtigio ſuccederet, quartúmque decimum ætatis annum ingreſſus inauguraretur, ſuæ tutelæ eſſet, rerúmque potiretur. Deinde anno M. CCCC. VII. (niſi in iis quæ habemus tranſcribēdis, aliquid erratum fuerit) alia lege, priori obrogatum eſt, vt Regis mortui filiorum maximus, cuiuſcunque ætatis foret, cõſecraretur, & de agnatorum gentiliúmque ſententia Remp. adminiſtraret. Quam legem inuenimus in Curia repetitam VI. Cal. Nouemb. M. CCCC. XXII. quo anno Carolus VII. ſexti filius, annum agens primum & viceſimum Rex ſalutatus eſt.

II.

GENERALITER, mandatoris morte, ſoluitur mandatum. Vtilitatis tamen publicæ cauſa inductum eſt, Regis vita functi mandata perinde valere, atque ſi nihil ei humanitus accidiſſet. Prid. Non. Octob. M. CCC. LXXXI.

III.

REGIBVS noſtris vita functis, ſolenne habemus, ídque à ſumma vetuſtate trāſlatum, Regio apparatu eos populo exhibere, iíſque perinde atque viuis miniſtrare: imò verò nec qui deſignatus erat, rerum potitus inauguratur, nec publicè Rex ſalutatur, vſque dum iuſtis Regi mortuo peractis, ipſe cum maioribus, magnæ matri ſit commendatus. Hinc (vt coniicere licet) addubitatum eſt, hac temporis intercapedine, quaſíque interregno, cuius auſpiciis diplomata obſignari deberent, defuncti Regis, an verò eius, qui Regno

potiretur, tametſi nondum inauguratus eſſet. ET PROPEDIEM inaugurandum pro iam inaugurato haberi placuit, XIII. Cal. Maii. CCCC.XCVIII.

IIII.

SVA ſemper ætas aliquos tulit ardeliones, qui veluti cuiuſdam (vt vulgò dicitur) cacodæmonis adminiſtri, vel ipſi iuſſis aliquid adderent, vel Principibus, alioqui ad imperium legibus ſoluẽdum ſuopte genio ſatis incumbentibus ſuaderent, quod ſi ab æqui boni rationibus omnino non eſſet alienum, tamen eius (quemadmodum Principem decet) numeros omnes non aſſequeretur. Aiunt eum non niſi poſſidentem litigare, eóque colore rebus interdum alienis manum iniiciunt: & deiectis quanti conſtet reſtitui, vix eſt qui æſtimet, niſi qui fecerit ipſe periculum. Quæ res cùm iampridem veniſſet in controuerſiam, de ea factum eſt Curiæ decretum. Cuius exemplum mihi nacto, cùm propter ſummam illius æquitatem, tum etiam ob noſtri veteris illius Laconiſmi venerationem, & pluſquam Aſiaticæ, quæ poſtea fuit, éſtque adhuc, redundantiæ vituperationem, viſum eſt illud tranſcribere.
„ CVM pro eo quod erat dubium, ſi terra
„ de Monte acuto eſſet de comitatu Alenconis, gentes domini Regis
„ ibi manũ poſuiſſent. Quia Comes erat in ſaiſina dictæ terræ, dictũ
„ fuit per Arreſtum manum domini Regis amouendã eſſe, & dictum
„ Comitem in ſaiſina ſua remanere debere: ſalua domino Regi quæ-
„ ſtione proprietatis. Inter iudicia, conſilia, & arreſta expedita in Pal-
„ lamento omnium Sanctorum, Anno Domini milleſimo ducente-
„ ſimo ſeptuageſimo octauo.
Ex quo quidem decreto, nõnulliſque aliis quæ vidimus, non tamen exemplaribus, atque etiam ex veterum monumentis colligimus, paulò quidem aliam nuncupandæ, cogendæ verò Curiæ diuerſam ab hac noſtra, tum temporis fuiſſe rationem. Quòd ad nomenclaturam attinet, nos Parlamentum dicimus. illi r in l, mutata litera, Pallamentum. Quod eis non minus licuiſſe puto, quàm quibus, pro perluceo, perlego, perliceo, dicere placuit, pelluceo, pellego, pelliceo. Sed ſiue Parlamẽtum ſiue Pallamentum dicere libuerit, id à colloquiis, quæ de cõtrouerſiis aliíſque rebus habebãtur, deductum fuiſſe, vel hiſce Budæi verbis, facilè eſt coniicere. παραλαλεῖν (inquit) eſſe puto, quod lingua vernacula pro

verbo loqui, verba facere, dicit *parler*: & παραλαλίαν, quod locutionem, & ſermonem, *parolle*. Et, ſi Lucio mihi vſqueadeò liceat eſſe curioſo, ex παραλαλέω, per contractionem fit παραλαλῶ, & per conciſionem παρλῶ. Sic fortaſſe forum à verbo fero, quod dicere quoque ſignificat. & is locus eſt (inquit Sex. Pompeius) in quo iudicia fieri, cum populo agi, cõciones haberi ſolent. Nec longè abeſt quod à Varrone traditur: Quò (ait) cõferrent ſuas cõtrouerſias, & quò vendere vellent, quæ ferrent, forum appellarunt. Sic & ἀγορὰ παρὰ τὸ ἀγείρω. τοῦτο δὲ παρὰ τὸ ἄγω καὶ τὸ εἴρω, τὸ λέγω, ἐν ᾗ πρὸς λέγειν συναθροίζονται. De Curiæ verò cogẽdæ ratione, priſca vetuſtate, ipſa, conuentuum modo indicebatur: nunc ad natalem diuæ Dei genitricis, nunc ad Candelalia, modò ad Chriſti Opt. Max. in cælum recepti diem feſtum, modò ad Panagia, hoc eſt diuorum omnium, modò ad Octauum Panagiorum diem, longo interdum annorum interuallo. Poſtea quotannis ſemel, ídque in paucos dies. Deinde ſemel & iterum, & alio quàm proximo ſemper loco, vſque dum Reipub. cauſa Philippus cognomento Pulcher, anno M. CCC. II. certum locum, nempe Lutetiam aſſignauit: vbi, ad Regiam, poſtea perennis à Ludouico Hutino Curia conſtituta fuit, Anno M. CCC. XV. Hoc tẽpore, aut certè non ita multò pòſt, cœpit Ampliſſimus Ordo quotannis poſtridie Martinalium iuriſdictionem auſpicari & perſequi vſque ad V. Idus Sept. reliquo anni tempore, Iuſtitio, optima ratione, contributo. Cœperunt & tum actionum Curialium formulæ conſcribi, & Curiæ decreta priuatim à nonnullis in commentarios referri, vt ex eo libro deprehendi poteſt, qui adhuc ſtylus Parlamenti arreſtorum, &c. inſcriptus circũfertur. Sed vereor, hæc πάρεργα cùm ſint, ne nimis multa.

V.

IN adeſpota bona, ínq; res mortui allophyli, indigenæ iure minimè donati, ciúſue quẽ iuſtæ nuptiæ non ediderint, ſi ſine liberis deceſſerit, manũ iniicere, Regii non ſolũ eſſe iuris, verumetiã cuiuſcũque, meri imperii faſcibus præditi. XI. Cal. Feb. M. CCCC. XXII.

VI.

CAL. Decemb. M. D. XLVII. diploma recitatum, quo id quod ex Regio patrimonio diuenditum erat, redimi iuſſum eſt, & non

modò redemptum plurimo licenti addici; verumetiam ex reliquo patrimonio, quantùm ad centum millia francicorum (vt vocant) comparanda ſufficeret. Vides vt Regio iure, ne dicam imperio legibus ſoluto, ſuam Principi ſemper liceat meliorē facere cōditionem.

De Principis poteſtate circa Eccleſiae miniſteria, Tit. II.

I.

APOSTOLICAE Cācellariæ regulam, qua dicitur, Si quis in infirmitate conſtitutus, procuratorem dederit ad ſacerdotium renuntiandum, & intra vigeſimum à renuntiatione diem, eo morbo vita exceſſerit, ſacerdotiū in caduci cauſam cedere: in ſacerdotiis aliiſue muneribus ad rem diuinā pertinentibus, quæ iuris Regii ſunt, etiam vſurpari, res eſt à Curia iudicata inter Gulielmum Spinaceium & Draconem Cognardum. Placitum prōnuntiatum x. Cal. Ian. M. CCCC. XCIIII.

II.

SI Sodalitium ſacerdotium iure Regaliorum Princeps contulerit, & Sodales, Principis beneficiarium, Sodalem agnoſcere vel negent vel detrectēt, Principem ipſum, Curiámue, cuius ea eſt cognitio, adeundam eſſe, vt pro eius imperio, rerū ſoli pigneratione coërceantur. Placitum ab Egidio Magiſtro Regio Cauſidico inter orandum, ſine die (quod aiunt) & conſule citatum. VI. Cal. Apr. M. D. XLIX. ante Liberalia.

III.

CVM Epiſcopum ſummus Pontifex ita tranſtuliſſet, ſi Epiſcopus ipſe volet, nec Epiſcopo tranſlatio placuiſſet: à Principe Curia conſulebatur, iurine Regaliorum locus eſſet. ET VII. Id. Apr. anno à Martinalibus M. CCC. LXVIII. reſponſum eſt, ſecundum ea quæ proponerentur, locum non eſſe: quod & Principi placuit.

De vectigalibus publicis, Tit. III.

I.

IN Ambianorum gratiam, vrbis ſuæ præmuniendæ cauſa, οἴνῳ κοτυλιζομένῳ, ſexaginta aſſium in ſingula dolia vectigal erat impoſi-

tum. Petebãt à Nomophylace profani ciues, vt vectigali, ſancti vertices, qui recta nequibant, obliqua, ſi quà fieri poſſet, ratione implicarentur. De quibus cùm Nomophylax ad Curiam verba feciſſet, & Rapous Regius Cauſidicus in vtranque partem diſſeruiſſet, Curiámque ſentẽtiam rogaſſet, & ea dicere renuiſſet, quòd de ea re forſan poſtea eſſet iudicatura: ab ipſo tandem exorata Nomophylace, reſpondit, ius non eſſe Sanctos, incõſulto Eccleſiæ Principe, vectigalibus premi. XVII. Cal. Aug. M. CCCC. XXIII.

II.

CVRIAE Conſcriptos, rationum Præfectos & Scripturarios, Regióſq; Amanuẽſes, omnes munia obeũtes, vectigalibus ac portoriis earũ rerum exẽptos eſſe, quæ penus verbo cõtinentur, ſiue plauſtro, ſiue nauigio conueherentur. XII. Cal. Oct. M. CCCC. XLII.

III.

VECTIGAL ex mercibus regno exportãdis (quod ὕστατον ἐξαγωγικὸν non abs re fuerit appellare) Principi deberi iandiu receptũ eſt. Obtruſit aliquis *denrees* (quod vulgò dicunt) vocabulum eſſe tranſcẽdens. Tranſcendat quantùm volet, Alpes etiam ſi libuerit, noſtra tamen Gallorum lingua, cùm *Marchandiſes* & *Denrees* dicimus, idem iterando ingerimus, & conſuetudo loquendi συνώνυμα eſſe declarat. Sunt qui ἔτυμον inueſtigent, & *Denrees* à Denario deducant, vnde etiam *adenerer*, (hoc eſt) ex re qualibet pecuniam vẽditione conflare: alii à re, cuius certè quidem appellatio latiſſimè patet. Sed vtcunque ſeſe res habeat, fructus quos ex fundo meo colligo, eáue omnia quæ vſui meo mihi cõparo, mercium, rerúmue quarumcunque vænalium appellatione (quod ad me pertinet) contineri, nemo (puto) dixerit. Et Lotharingus Moſæ accola, fœderatus vel non fœderatus, qui ex agello, quem ad alterã fluminis ripam, Galliam verſus, poſitum habet, fructus colligit, medióque ponte ad ſe trãſuehit: & paſtum ad eum in dies, cúmue libet, pecus ſuum ducit ac reducit, quæſo, iis nominibus an vectigal pendere habeat? Hoc in controuerſia poſitum, conſilii eſſe, ampliúſque deliberandum pronuntiatum eſt.

TIT. IIII.

I.

AVGVSTAE litibus ſuos eſſe dies, ſuúmque peculiare volumen, nihilo ſecius, quàm Patriciis: imò verò ratione tot numeris potiore, quot gradibus Regiæ maieſtatis faſtigium, cuius ſocia eſt Regina, Patriciam dignitatem excellit v. Cal. Iul. M. CCCC. XII.

II.

LEGE Regia, quæ de Principis imperio lata fuerat, qua populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem cõtulerat, ipſúmque legibus ſoluerat (ſiue is primùm Auguſtus, ſiue Veſpaſianus, ſiue Alexander Mammeæ fuerit) cùm de Auguſta nihil eſſet apertè comprehenſum: id quod legi deeſſe videri poſſet, ita ſuppleri placuiſſe conſtat, vt Princeps eadem illi priuilegia tribueret, quæ & ipſe habebat. Quod Henricus II. Aug. Princeps Opt. Max. imitatus, poſteaquam Caterinæ, Auguſtæ ſuæ, ob egregias illius animi dotes, ac præter has, œconomiam quouis imperio digniſſimam, res ſuas omnes non modò permiſiſſet, verùm pro dignitatis amplitudine (vti par erat) etiam adauxiſſet: vniuerſam eius pecuniam tam eſſe Regiã, quàm ſuam ipſius, edicto declarauit, hoc eſt, nomina exigere licere, non ſolùm pignoribus capiendis, ſed manu quoque in debitores iniicienda, eóque genere coërcẽdi, quo quæ planè Regio nexu obſtricta ſunt nomina. Edictũ palàm in Curia recitatũ, comprobatum, atque in acta publica regeſtum, III. Non. Febr. M. D. XLIX.

III.

VETVS & in foro peruagatiſſima eſt regula, neminem, præter vnũ Principem, apud Ampliſſimum Ordinem, Cognitoris vel Procuratoris ſui nomine, agere vel cõueniri. Quæ regula cortice tenus (vt dicitur) delibata, fecit, vt de Caterinæ Auguſtæ Procuratore, an is quoque admittẽdus eſſet, addubitaretur. Sed Princeps, vt intellexit, hoc ſuarum partium eſſe ratus, cõtrouerſiam vltrà progredi non paſſus eſt. Reſcripſit enim & Auguſtam regulæ exceptione contineri. Itaque placere, vt per Procuratorem, quem illa dediſſet, non ſecus quàm ipſe per ſuum admitteretur. Quod & Ordini placuit: hoc vno, Regiæ Procurationis Triumuiris deſyderantibus, addito, vt ſuum, procuratoriæ perſonæ, Iohannes Lucius, Auguſtæ Procu-

rator, nomen præfigeret. v. Id. Iun. M. D. XLIX.

IIII.

AD Martinalia M. D. LI. cùm Principi Lutetiæ tum agenti, veniſſet in mentem, poſtridie cum Patriciis & Proceribus in Curiam venire, vt eius auſpiciis ſolenni ſacramẽto diceretur, & Auguſtum ſuum pro tribunali ſedentem, conſeſſúmque ipſum ac rem omnem conſpicere Caterina Auguſta ſummoperè deſyderaret: ſi veterum monumẽta repetere libuiſſet, aut certè per temporis anguſtiam licuiſſet, diuerſum fortaſſe quidpiam circa illius dignitatẽ obſeruaſſent. Suſtinuit enim (quæ ſumma eáque genuina eſt illi modeſtia) caueolam (vt ita dixerim) in angulo, ad Scribarum officia ſuſpenſam conſcendere, & ex ea, velut è ſpecula, contemplari. At verò in iis quæ publicæ memoriæ mandata ſunt, ac præter cætera VII. & V. Id. Maias M. CCC. LXXIX, aliíſque in locis eſt inuenire Reginam Iohannam Borboniam, vxorem Caroli V. cognomento Sapientis, filii Iohannis Regis & Iohannæ Bononienſis, inter huius Auguſtæ noſtræ maiores connumeratæ, Regi marito ipſa in Curia tum de grauioribus regni negotiis, puta de bello Britannis indicendo, conſilium capienti, tum etiam ius dicenti, cum Patriciis ac Proceribus aſſediſſe. v'tque vno & altero exẽplo contenti ſimus, nec Iuſtinianus Imperator, & legibus & armis celebratiſſimus, grauatus eſt agnoſcere ac profiteri, vel legibus ferendis, Theodoram ſuam in conſilium adhibuiſſe. Quinetiam hi qui officia ſuſcipiebant, non modò ipſi Iuſtiniano, verumetiam Theodoræ coniugi, iureiurando ex formula obſtringebantur.

De Patriciis. Tit. V.

I.

ARCHIEPISCOPVM Ducémq; Rhemorũ, Principem Patricium, nominibus exigendis generale diploma (quod vulgò Debitis appellant) pro imperio iubere poſſe. VIII. Id. Aprilis, Anno à Martinalibus M. CCCC. XVIII.

II.

PETEBAT Archiepiſcopus Dúxque Rhemorũ, primus Franciæ Patricius, peculiarẽ litium ſuarum catalogum (vt ſolitum erat) pro-

mulgari. Reſpondit Regius actor & publicus, interea dum collegas de ea re cõſuleret, per ſe licere, vt quo iure, toto ſuperiore decennio, Archiepiſcopus fuiſſet vſus, hoc, eo quoque anno vteretur, ſine vlla in futurum captione: & ita placuit, III. Cal. Decemb. M. CCCC. LVII. Hoc exemplo, ab aliquot annis, Archiepiſcopo, cui cognitor eram (is erat, éſtque adhuc, illuſtriſſ. Cardinalis Lotharingus) à Curia, ſupplice libello, id etiam impetraueram: ſed Acceſo catalogum auſpicãte, cœpit refragari atque obiurgare, qui tum faſces habebat, rem nouam eſſe dicens, ídque aſſidentibus incõſultis: qui, ſi ſententiam rogati fuiſſent, vero ſimile eſt, rem & antiquam & ſibi probatam dicturos fuiſſe. quotus enim quiſque eſt æquus rerum æſtimator, & iudex, qui, quod vni profano Patriciorum generi licet, dicat etiam alteri ſacroſancto non licere? Sed pro hominis ac loci dignitate, viſum eſt diſſimulandum, & (vt in prouerbio eſt) fugiendum eſſe, vt denuo pugnaretur.

III.

RHEMIS Archiepiſcopatu, Ducatu, primario Patriciatu, Regúmque cõſecratione inſignibus, & ſui Archiepiſcopi, Ducis ac Patricii, ampliſſimi Cardinalis Lotharingi, de vniuerſa Rep. atque in primis literaria optimè meriti, cura, ſtudio, impenſa, noua Academia (vt videre eſt) illuſtratis, cui Halometram creare ius eſſet, Principi, an Archiepiſcopo, Duci ac Patricio, nec ſemel aut iterum, venit in controuerſiã. Prima, quam nouerim, & antiquiſſima, dicebat Regius actor & publicus, inter cætera vectigalia, quæ in Gallia, bellorum cauſa penderentur, certum ſali impoſitum fuiſſe, certis ac deſtinatis vrbibus & horreis, non niſi Principis autoritate vendendo. Huiuſce rei ergô, ſuos cuique horreo miniſtros cõſtitutos, Salinatorem, Cuſtodem, Mẽſorem, aut (vt diximus) Halometram: quæ munera quotieſcunque res ita poſtularet, Princeps, quibus ipſi videretur, mandaturus eſſet. Deinde cùm animaduertiſſent menſurarum varietatem Principi, Populíque rationibus incõmodare, omnes ad Pariſienſem, eámque Regiam exegerant. Rem ſalariam nulli quàm Regi prouentum maiorem afferre, vt non abs re dici poſſet, ſal non ſecus quàm à ſe comparatum, eius eſſe. Quæ omnia cùm ſe ſic haberent, quis Regio ſali metiendo, alienam mẽſuram? quis Regiis ac

publicis Salinatori & Cuſtodi Halometram à priuato datum ferret adhiberi? Adhæc vectigalis cauſa, vim ſalis maiorem vndique Rhemos importari: cuius collecti menſuram, ſi vnum Archiepiſcopum ſibi vindicare paterentur, aliíſne dominis ius ſuum vſurparet, apud quos ſal, ante vectigal impoſitum, vendi conſueſſet? Defendebat Archiepiſcopus ſe Ducem ac Patricium: vtriuſque dignitatis nomine, non modò ſalis mẽſuram, ſed alias quoque omnes, quibus Rhemis vterentur, ad ſe pertinere: itaque menſorem dare poſſe: eo iure ſe maioréſque ſuos, poſt quingẽtos annos fuiſſe vſos, & vt antequam ad Pariſiẽſem Regiámq; menſurã cæteræ redigerẽtur, ita etiã poſt eas redactas ſemper Halometram dediſſe. CAVSA ſuis omnibus numeris abſoluta & ſumma cum religione diſceptata, Archiepiſcopum Ducem ac Patricium, ſuperiorem eſſe placuit. Placitum pronuntiatum prid. Cal. Sept. M. CCC. XCIII. Ex quo alia fluxerunt, XV. Cal. Ian. M. CCC. XCIIII. & Cal. Decembr. M. CCCC. V.

IIII.

ANTISTITI comitíque Nouiodunenſi, Duodecimuiro Reip. Gallicanæ, Duodecimuiratus nomine, ius eſſe, vt à minoribus Iuridicis ſuis, ad Iuridicum maiorem, etiam ſuum, non aliò prouocaretur. Quòd ſi quis præpropere atque interciſe prouocaret, præuaricationis exceptione, litem ad ſua iura eſſe reiiciendam. VIII. Calend. Ian. M. CCCC. LV.

V.

DVCEM Niuernẽſem Duodecimuirum Reip. Gallicanæ à Principe nuncupatum comprobarunt. III. Cal. Aug. M. CCCC. LXIX.

VI.

NIVERNENSI & Mompenſierio Ducibus, Duodecimprimis Franciæ ambobus creatis, ſed hoc poſteriore, roſarum congiaria, Curiæ, de more, apparantibus, controuerſum eſt, vter alterum antecederet. ET PLACVIT Mompenſieriũ primas tenere. Eos enim quibus paternum genus cum Regibus coniunctum eſt, cæteros, à Regia, dignitatis gradus ſuperare. XV. Cal. Iul. M. D. XLI.

VII.

NONIS Ian. anno M. D. XLVII. palàm in Curia recitatum eſt, ac in publicis literis diploma perſcriptum, quo Rex Henricus Va-

leſius II. Franciſcum Lotharingum, Almaliæ Comitem, Ducatu ſimul auxit & Patriciatu: ita tamen, vt ſi ſine liberis maſculis deceſſerit, Ducatus quidem vigeat, Patriciatus verò etiam intereat.

VIII.

DE capite Patricii, niſi maximis comitiis, pérque ipſos Fráciæ Patricios ferri non debere. Ideóque nihil obfuturum, quòd aliter antea in Aremoricæ Britanniæ Ducem conſtitutum fuiſſet. Placitum Regium, Patricium, Curiale, VI. Non. Mart. M. CCC. LXXXVI.

De Magiſtro militum, Tit. VI.

I.

OLIM Ampliſſ. Ordini is honos eſt habitus, vt iuri Præfecto, & Tribunis militũ in Curia ſedétibus, etiam militũ Magiſter à Principe creatus, ſacramento diceret: idq; IIII. Id. Octob. M. CCCC. LXV.

II.

MAGISTRO militũ, qui maieſtatis accuſatus, Antoniana in arce cuſtodiebatur, lege per Recuperatores interrogato, diſceptatum eſt, an interrogatorũ & reſpõſorum in oculis atque auribus Curiæ, eius dignitatis atque amplitudinis reo legendorum gratia, adducendus eſſet ipſe: an verò ad eum in arcem in Curia proficiſceretur. ET PLACVIT eſſe proficiſcendũ. Cal. Decembr. M. CCCC. LXXV.

De Cancellario & codicillaribus officinis, TIT. VII.

I.

CENTVMVIRALIS Curiæ placita, nonnulláque alia, ad exemplum pertinentia omnia, & quaſi quoſdam iuris dicẽdi canones tractantibus nobis, nihil ab inſtituto abhorrere viſum eſt, ſi de priſca iuris ipſius Præfecti, ac Nomophylacis noſtri (quem vulgò Cancellarium appellant) aliquid etiam diceremus: tum quòd ea inter eius ſeculi placita inſignis memoriæ, exemplaríſque autoritatis offendimus: tum quòd (niſi fallor) ſacroſanctæ vetuſtatis monumentum eſt, quod admirari, colere, venerari (ferè dixi adorare) debeamus. Anno ſalutis M. CCC. LXXIII. XII. Cal. Decembr. cùm Dormantio Nomophylaci vita functo alius ſufficiendus eſſet, Rex Carolus

quintus, cognomine Sapiens, Proceres, Patres Cōſcriptos, Octouiros à libellis, Rationales, nōnullóſque alios ad ſe in Curiam acciuit. Qui cùm ad centum triginta adeſſent, eos è conclaui exire iuſſit, ita vt ſolus cum Actuario, & Blancheto Amanuēſi ſuo remaneret. Poſtea ſigillatim omnes ad vnum inclamatos atque inductos, iureiurando adegit, vt fide bona, quem è Rep. Nomophylaciæ putarent eſſe præficiendum, ſiue ſacrum, ſiue profanum hominem indicarent. Datis ſuffragiis, Petrus Orgemontius, Latiniacen. Curio ſummus, centum quinque puncta tuliſſe compertus eſt. Tum ille cùm inſcitiam, tum alia multa maximopere excuſare. At verò Rex, tot tantíſque ſuffragiis comprobatum, ſibi etiam probari teſtatus eſt, ſignáque ei codicillaria in manus dedit. Quibus acceptis iuſiurandum
„ ſacroſancta per Euangelia, ita conceptum eſt. Firmas, Orgemon-
„ ti, Regi te obſequentiſſimum fore: te illi, quod eius ex dignitate, at-
„ que è re tum Regia, tum publica eſſe cognoueris, ad quem res cun-
„ que pertinebit, optima fide conſulturum: patrimonium eius rém-
„ que pub. pro viribus tutaturum: nulli alii Domino te vnquam ad-
„ dicturum: togam, pallium, autoramentū, munus, fructúmue alium
„ à quoquam alio, præterquam ſi ipſe volet, non accepturū: per ſor-
„ des gratiámue, nihil vnquam facturum: & ſi cuiquam alii Domi-
„ no Dominæue obſtrictus es, fueríſue, eis ſua omnia renuntias. Quæ
in verba ab ipſo iuratum eſt Orgemontio. Porrò quatuor Curiæ Principes cæteróſque Curiales, ipſos etiam Regiæ ac publicæ aduocationis Triumuiros tum temporis, & ad noſtram ferè ætatem, Curialium ſuffragiis à Principe creari ſolitos, nemo, qui vel forum ſalutauerit, ignorat. Sed eò tandem res deuenit (quo facto, qua ratione, quibus artibus viderit alius) vt Principibus imperium legibus ac moribus ſolutum ſibi vindicantibus, ſua ad Curiales ſuffragia caſſa atque inania redirent.

II.

VII. Cal. Decembr. M. CCCC. I. Cùm Bitardus à Præfectis rationum miſſus in carcerem, Curiam, vt iuſtum iudicem appellaſſet, & ſe à Nomophylacia, æquitatis officina, iniquitatem, vtpote prouocatorii diplomatis negationem, abſtuliſſe quereretur: Curiæ verbis Nomophylaci denuntiatum eſt, diploma vt conſignaret: ſi

pernegaret, ipſam ab eo cauſas ſciſcitaturã. Is, vt audiuit, Curiam venit, réque cõcertata prouocatoriæ litis ſibi cognitionem arrogauit. Dictum tamen, Curiæ Conſcriptos ab eo in conſilium eſſe adhibendos. In quo mihi videre videor velut incunabula quædam earum rerum, quæ poſtea, noſtra ætate, ab aliquibus deſignata ſunt, quos fata opportuniſſima ſuſtulere. Iam tum (ſcilicet) inclinantibus temporibus, delibatam ſummæ ipſius Curiæ dignitatem atque autoritatem. Iam tum principem hunc Magiſtratum, ſpiritus antea inauditos aſſumẽtem, & iuridicam iuſtitiam exarmare incipiẽtem.

III.

NOSTRA in Gallia ſummæ cuique Curiæ Regiorum codicillorum officinam, velut aſſeclam propemodum neceſſariam, eſſe attributam, noſtrorum hominum ferè nemo eſt qui ignoret. Rectè igitur Curia vetitum voluit, ne quis de rebus intra ſuæ ditionis fines agendis, alibi Principi ſupplicaret: niſi fortè Delphos adire malet, hoc eſt, Regii oraculi antiſtitium. Cuius diplomata effigie Regia obſignata, per omnia tribunalia, infima, ſumma, obnoxia, liberáque ſuo iure ſibi vindicant imperium.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. IIII.

De Curia, Tit. I.

I.

DECERNENDAE in exteros pignerationis (quas vulgò Repreſſalias appellant) ius & poteſtatem, quam nunc penes ſolum Principem eſſe videmus, olim Curiæ fuiſſe, id inter cætera argumento eſſe poteſt, quod ab ipſa Curia Maturino Bruxio decreta eſt, XVI. Cal. Mart. M.CCC.XCII.

II.

SI exercendæ prouocationis poteſtatem Nomophylax non fecerit, an ideo protinus deuoranda ſunt ea catapotia, quæ is vnde prouocatum eſt, obtulerit? Minimè verò. Quid igitur? ad Themidis ius dicētis aram, hoc eſt, ſummam Curiam, confugiēdum, & oraculum inde habendum: vtpote cùm de Barri Præfectura militari prouocatio eſſet, V. Id. Decēbr. M.CCCC.V, de Curiæ ſententia, ad Nomophylacem miſſus eſt actuarius, vt quos prouocatori ſolennes codicillos ille negauerat, Curia verò cōceſſerat, ipſe (vti ius erat) obſignaret: quod ſe facturum reſpondit. Priſcæ huius dignitatis atque autoritatis characteres, adhuc in Curia cernere licet quidem, ſed planè mutilos ac propemodum exeſos. Siquidem à Nomophylacia prouocator huiuſmodi ope deſtituatur, auxiliares Curia manus porrigit implorāti: neque à ſolennibus codicillis alio differt Curiæ mandatum, quàm quòd ipſius Curiæ verbis concipitur, ſignóque eius obſignatur, & eo, nouis de rebus non deſignandis nihil interdicitur. Quinetiam ſi ab ea officina, morboſæ liti in Curia decumbenti, medela cōparari non poſſit, Curiæ placet de poſtulatione litigatores audiri, & ius nihilo ſecius reddi, quàm ſi eſſet impetratū diploma. Sed ea nihil amplius agit in Nomophylacem, pro imperio ac poteſtate. Sic enim Franciſcus Valeſius primus, poſtliminio reuerſus, cōſtituit in perſona Antonii à Prato Nomophylacis: in quem, dum Princeps apud hoſtes ageret, ipſa cœperat animaduertere.

III.

A PRAEFECTIS rationum Regiarum, Curiam appellari poſ-

ſe. IIII. Non. Septembr. CCC. LXXXIII.

IIII.

SOLENNE prouocationis exercendæ mandatum, quod prouocatori, ſibi munus Amanuenſis à rationibus,per ipſarum Præfectos cõtra ius & fas abiudicatũ quiritanti, Nomophylax, Regis patruorũ ſtudia cauſatus,negauerat,Curia,aduerſus eam impotẽtiam,auxilio quaſi Tribunitio implorata,cõceſſit. V.Cal. Febr.M. CCCC. I. Quod mandatũ Præfectus vrbi cui pro rei grauitate, hæc erat data prouincia, eo die executus eſt, tametſi Rationalibus illis Curiæ imperiũ ac poteſtatẽ detrectantibus, & tergiuerſatione eludere machinãtibus.

V.

ARVERNI Ducatus(ſic enim id genus ditionem appellant) donationem à Rege Duci Borbonio factam,cùm minimè admittendam Curia cenſuiſſet, Præfectique rationum eam contrà comprobaſſent, & Cognitor Regius ac publicus Curiã appellaſſet, Nomophyláxque iuris præſidium,hoc eſt diploma prouocatorium,ſemel, iterum,ac tertiùm ei denegaſſet,Curia, veluti Regio imperio & Nomophylace maiore,impertiit. VII. Id.Decemb. M.CCCC.XVIII.

VI.

PROVOCATIONEM à Rationalibus interpoſitam admiſerunt ac iudicarunt, XII. Cal. Apr. M. CCCC. LXIIII.poſt Martinalia.

VII.

DE diplomatis,quæ cùm ſũmæ Curiæ tum etiã Rationalibus apud ſe palàm recitari,atq; in acta publica referri Princeps iubet,quo ordine id fieri deberet, PLACVIT à Rationalibus eſſe incipiendũ VII. Cal. Sept. M.CCCC.XCV. Meritò illud quidẽ. Nam quòd ad merã rationũ diſpunctionẽ attinet,& quam vulgò Cõputi lineã appellãt, licet poteſtate ſint prouocatione ſuperiore,ſunt tamẽ in cæteris obnoxia atque inferiore. Quid ergo,cùm id etiã Præfecto vrbis,aliíſue obnoxia iuriſdictione magiſtratibus iubetur, non idẽ obſeruamus? Et puto in cauſa eſſe, quòd Curiã hi quidẽ ſummã, eiúſq; præſcripta nũquam nõ agnouerunt:illi verò non modò eius imperiũ detrectarũt, verùm etiam ſunt de pari poteſtate ferè ſemper auſi cõtendere.

VIII.

LITIS à Curia ad Prætorianum conſilium auocamento non eſ-

ſe parendum. XI. Cal. Martii M. CCCC. XXIII.

IX.

A PRAETORIANO conſilio prouocanti, prouocationis exercendæ poteſtatem fieri, eámque in rem Curiales codicillos illi dari placuit. XIII. Cal. Mart. M. CCCC. XCI.

X.

IN omnibus diplomatis, in quibus Ordinis Ampliſſ. & Prætoriani Cōſilii mentionem haberi cōtingit, ipſe ſemper Ampliſſ. Ordo præponendus eſt: quod & Carolus VIII. reſcripſit, & in acta publica regeſtum eſt, Idib. Iun. M. CCCC. XCIX.

XI.

HERBINIVS Sudarius, ob delictum, pecuniæ damnatus cùm prouocaſſet, duas aduerſario Rhemorum Archiepiſcopo dicas, vno eodémque diplomate impegit. Alterā ad Curiam, exercēdæ prouocationis gratia: alteram ad Viromanduæ prouinciæ Præfectū, ſui è carcere dimittendi cauſa, ſi iudicatum, in fiduciæ ſpeciem faceret. Hanc diplomatis partem Archiepiſcopus impugnās, ab eius executione prouocauit, cauſatus ſemel interpoſita, & in Curiam inducta prouocatione, Curiam, non alium Iudicem vllum, non modò de prouocatione, ſed de aliis omnibus, quæ prouocationem contingerent, eſſe adeūdam. Defendebat Sudarius, quod de ſua ampliatione molitus fuerat, innumeris exemplis eſſe factum: conceptas diplomatum formulas (quæ Cancellariæ Protocola vocant) id apertè oſtendere: prædurū fore, ſi quis in vincula coniectus, hocce præſidii, tanto locorum interſtitio, petere haberet. Per Marilliacum Regis cauſidicum Regius actor & publicus interceſſit, contendens ea in re neque exemplis, neque conceptis diplomatum formulis quicquam eſſe tribuendum. Vera enim exempla non eſſe, neque receptos mores, ſed abuſum potius & corruptelam. PLACVIT Archiepiſcopum rectè prouocaſſe: Sudario tamen poteſtatem fieri, ſua illa de ampliatione, ipſi Curiæ ſupplicandi. Ex tempore, V. Cal. Octobr. M. D. XLIIII.

XII.

SI erroris obtentu, oblationalis Curiæ placitum ſub incudem reuocetur, rei retractationem ad Centumuiralem Curiam pertinere,

Iohāni Mortario diplomate excluſo pronuntiatū eſt, réſque poſtea iterum iudicata. Pridie Non. Ian. M. C C C C. V I I.

X I I I.

INTER Ampliſſimæ Curiæ Cōſcriptos, & eius, quam Oblationū appellant, contentio, quòd ambæ ſummæ ſint iuriſdictionis, fomes quidem eſt antiquus: qui certè non ita pridem excitatus, tantum fecit incendium, vt baſilicam, cuius ſeptis vtraque Curia concluditur, ſtatim dixiſſes conflagraturam, niſi, veluti magnis imbribus ad illud reſtinguendum è cælo demiſſis, Regis autoritas interceſſiſſet, eiuſmodi tragœdiam ad ſuum theatrū auocantis, & interim pro ſummo imperio ac poteſtate, vtrinque ſilere iubētis. Quarto Non. Mart. M. C C C C. X X X V I I I. cùm vnus Apparitorū Curiæ, cuiuſpiā debitoris equum vnum & alterum, à ſe pigneratū, auctione addixiſſet, publicani vectigal eo nomine deberi contendētes, ad primarios Oblationū iudices, quos vulgò Selectos vocāt, in Apparitorem agere occœperūt. Tum Apparitor ius fori præſcribere. Publicani ab illa Oblationū Curia impetrare, Apparitori vt inhiberetur, ad alium, à ſe, iudicem ne iret. De quibus cùm ad ſummam Curiam relatum eſſet ac diſceptatum, Oblationum Curiæ, in perſona Curionis, Fani D. Mauri à foſſis Hetæriarcho, centum argenti librarū, (quas aurifices marcas appellare ſolent) multa indicta, iuſſerunt, factum vt infectum facerent, eáque eis cauſa eſſet in poſterum ſacroſancta. Cæterùm publicanos, eúmque Apparitorem, qui Oblationalis Curiæ inhibuerat imperia, ducendos eſſe.

X I I I I.

SVMMIS vectigalium iudicibus ab Ampliſſ. Ordine vetitum eſt, ne, quemadmodum ipſi conſtituerant, reum tormentis pergerent interrogare. I I I. Id. Febr. M. C C C C. X C V I I.

X V.

QVOD apud nos, Rege nouo, omnes, qui magiſtratibus, officiis, muneribus Regiis quibuſcūque antea fungebātur, nouis codicillis, poſt hominum memoriam, habent redintegrari, dici poteſt, Rege deceſſore mortuo, eos iam non eſſe qui fuerint, & amplius quod potuerint, non poſſe. Sed humanum eſt, atque etiam è re Principis populíque, ea ratione non induci iuſtitium. Et fortaſſe non abs re

fuerit exiſtimare, eiuſmodi miniſtros Principi approbari, donec aliter ipſe cõſtituerit. ITAQVE cùm allatum eſſet de obitu Ludouici XI, placuit Curiales omnes ſuum quenque munus obire, interea dum ad nouum Regem, de Curia nouis codicillis inſtauranda, oratores allegarentur. III. Cal. Septembr. M. CCCC. LXXXIII.

XVI.

IVDICIORVM põdus atque autoritatem magna ex parte pendere à iudicãtium exiſtimatione in hominum opinione conſecrata, neminem dubitare puto. Exierint illa, quãtum voles, ab vltimùm iudicandi poteſtate præditis: areſta, placita, conſulta, decreta, quantum voles appellẽtur, ſint etiam: non eſſe tamen apud ſe tacitus exiſtimabit, quiſquis eos à quibus exierint, nihil iudicis, præter nomen vmbrámq; inanem habere, ſibi perſuaſerit. Itaque permagni, etiam publicè refert, cùm nullius lædi famam, tum eorum maximè qui iudiciis præſunt. Quam in ſententiã, VIII. Id. Aug. M. CCCC. XCI, Cauſidicis iuſſum voluerũt, vt orantes, Curiæ maieſtatem ac dignitatem comiter obſeruarent: vetitúmque ne Curialium cuiquam, niſi petita Curiæ venia, obtrectarent. Quòd ſi ſecus facerent, ſcirent ſe pro arbitrio eſſe luituros.

XVII.

IN litis inſtitorem ex eo hominum genere, qui veteribus ſequeſtres, hoc eſt corrũpendorum iudiciorũ conductores, appellabãtur, nempe qui aureũ numum vnũ & alterũ ſupplici libello incluſum, vni ex Cõſcriptis obtulerat, ſic animaduerti placuit. Aurũ in cereum inſumi, quẽ ille ab vno Apparitorũ obſeruatus, ad Diuæ deferre haberet, eiuſmodi inſtitoria perpetuò abſtinere iuſſus, III. Non. Iun. M. CCCC. XCIIII. Audiuimus noſtra quoque ætate fuiſſe, atq; etiã nunc non eſſe non puto, tanta integritate cõtinentiáque Iudices, vt non modò ab auro, quemadmodũ ille, ſed etiam à quibuſcũque ſiue donis ſiue muneribus tẽperarent. Extitiſſe etiam (ſintne adhuc neſcio) quibus viſcerationem accipere, aliáq; id genus munuſcula, quibus litigatores Iudicũ gratiã aucupari ſolẽt, religio non eſſet, Vlpiani (vt ſibi perſuadebãt) ſentẽtia fretis, imò verò diui Veri, & Imperatoris Antonini autoritate: quorũ epiſtola ab Vlpiano recitata ſic habet:

" Quãtum ad xenia pertinet, audi quid ſentimus. Vetus prouerbiũ eſt,

„ οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Nam valde inhumanum
„ eſt, à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & omnia auariſſimũ.
„ Quibus ipſe Vlp. (vt illi inculcabant) ſubiungeret, id quod manda-
„ tis continebatur, ne donum, vel munus ipſe Procõſul, vel qui in alio
„ officio eſſet, acciperet, quíue emeret, niſi victus quotidiani cauſa,
„ ad xenia non pertinere: ſed ad ea, quæ eduliũm excederent vſum.
„ Laudabant præterea Modeſtinum inquientem, Plebiſcito quidem
„ cõtineri, ne quis Præſidum munus donúmue caperet: ſed, niſi eſcu-
„ lentum, potulentúmue, quod intra proximos dies prodigeretur. At præfata venia, quæſo, videamus, recténe an perperam ii autores antehac laudati fuerint, atque etiam nunc laudentur in dies. Quod nullo propè negotio (mea quidem ſententia) conſequemur, ſi illius ac noſtri tẽporis Magiſtratuum, atque etiam xeniorum inierimus rationem: non eam, quæ exactam eorum omnium differentiam ponat ob oculos, ſed quæ huic noſtro inſtituto faciat ſatis. Erant certè quidem illi, fuerúntque, quandiu ius, imperii cauſa, non eſt violatum, temporarii omnes: noſtri verò perpetui, hoc eſt inſontis vitæ comites. Procõſules & Præſides (quandoquidem ad hos propriè pertinent illæ ſententiæ) vt quæque cuique prouincia ſortitione obtigiſſet, ad officia proficiſcebantur, re priuata neglecta, publicam adminiſtraturi. Noſtri homines, Magiſtratibus, qua quiſque poteſt ratione comparatis, domi penè omnes munia obeunt, & ex Republica ſtrenuè conficiunt ſuam. Quî fit, vt quibus ii ius dicunt, ſint ipſi ciues, municipéſue, illi prouincialibus ſuis eſſent hoſpites: atque adeò iis rectè dari non poſſint, quæ illis iure dabantur, xenia. ξένος enim peregrinus & hoſpes eſt. ξένιον propriè donum, non quod ciuibus, municipibus, tribulibúſue noſtris, ſed quod hoſpitibus da-
„ re ſolemus. De Magiſtratibus erat in lege XII. Tab. Donum ne
„ capiunto, néue danto, néue petenda, néue gerenda, néue geſta po-
„ teſtate. Quod quidem, donum omne vetabat, Magiſtratus omnes tenebat, nullum excipiebat. Ex quo iure manauit lex Iulia repetundarum, & Plebiſcitum illud ex Modeſtino prolatum: quo, ne, quod aliis omnibus licebat, ſuis Romanorum Magiſtratibus, etiam hoſpitibus, non liceret: & xeniis (hoc eſt, humanitatis & beneuolentiæ notis) abſtinentes, plus æquo rigidi, immanes ac barbari à

prouincialibus haberentur, muneribus, doníſue rurſus prohibitis, xenia permiſerunt. Sed quibus etiam modum adiici placuit, vt neque moroſè in totum magiſtratus abſtineret, neque auarè modum excederet, & ad munerum qualitatem, xenia non producerētur. Quod poſtea moribus dilatatum, Iuſtiniano Imperatori conſtitutione coanguſtari, imò verò aboleri placuit. Vetuit enim ne qui ad officia mitterentur, à quoquam ſubditorum quicquam acciperent. Et Dominico, Prætoriorum per Illyricum Præfecto, reſcripſit, Defenſorum ciuitatum cupiditatem eſſe refrænandam: vt nihil à ſubditis caperent, præterquàm quod ex publico præberi ſolebat: aut ſi nihil inde præberetur, id quod vetuſtas inculpata definiſſet. Vnde colligebat Accurſius, ne huiuſmodi eſculentum quidem, potulentúmue Magiſtratus accipere debere, niſi ſalaria non offerrentur. At Iudicibus noſtris, præter annua quæ à Principe numerantur autoramenta, ab ipſis etiam litigatoribus, pro tragematis, quæ olim vera ac germana, eáque perpauca dabãtur, aurum dependitur, ídque pro ipſo eorum Iudicum arbitrio ac volũtate. Vidi equidem, qui præter hæc præmia, iiſce, quas diximus, ſententiis, & veluti conſignatis autoritatibus mordicus arreptis, gloriaretur, ſemper aliquid ex eo capturarum genere, apud ſe de vnco in popina pendere. Audiui, qui ad fœdam ſatis alioqui ſordidæ vxoris auaritiam ita conniueret, vt quæ ex eiuſmodi eſculentis ſupereſſent, cupedinariis crederet, vnde confecta ſumma, vectigal tandem conſtitueretur: rem profectò penè omnium, quæ Iudices contingere poſſunt, ſordidiſſimã. In ſumma (niſi maximè fallor) quæ nũc Iudicibus, hoc eſculenti, potulentíue obtentu, dantur à litigatoribus, xenia non ſunt: vera ſunt intertrimēta, aliis leuiſsima, aliis non ita tolerabilia: ſed quæ vix eſt qui ſubeat, niſi qui vel ſine iis, quod à Iudice conſequi debet, non exiſtimet, vel cum iis, quod non debet, ſperet ſe conſequuturum.

XVII.

CAROLO VI. mente abalienato, patruis ad Reip. gubernacula ſedentibus, clauúmque tenentibus, Arnoldo Corbia Regii oraculi antiſtitio Præfecto, fortaſſe vt Principe, ita & Rep. laborante, erupit " edictum, quo hæc ferè, vt in XII de Senatoribus habebantur. Am- " pliſſimus ordo vitio vacato. Cæteris ſpecimen eſto. Cõſcripti ſontes

à Quatuor Curiæ primis caſtigantor,&,ſi res ita poſtulat,amouétor. Quam prouinciam cùm Quatuorprimi permulta excuſantes detrectarent,indignúmque videretur, Conſcriptum,niſi maximis comitiis, exiſtimationis ac dignitatis cauſam dicere, PLACVIT, edicto non eſſe parendum. XIII. Cal. Mart. M.CCCC.VI.

XIX.

IN Curialium aliquem ita cenſuram exerceri placuit, vt qui eam, cuius cõſuetudine, per matrimonii ſpeciem,vſque ad vteri geſtationem,abuſus fuerat,dimiſiſſet, quòd illi puerum puellámue ſacro de fonte ſuſtulerat: veniæ à Pontifice Maximo poſtulandæ,& mulieris in vxorem ducendæ, ipſius Curiæ verbis admoneretur. IIII. Cal. Maii. M.CCCC.XCVIII.

De Curia in publicum prodeunte,

TIT. II.

I.

AMPLISSIMAE Curiæ, Principi obuiam exituræ,ornatũ atque etiam inceſſum, quem Rationales cum ea communem ſibi ac promiſcuum eſſe cõtendebant,ita conſtitui placuit. Conſcripti omnes toga, ſacris initiati cærulea,profani coccina,pelliculatis epomidibus additis, ornati ſunto. Rationales, vt functionis nobilitate, ita & autoritatis pondere diſſimiles, prorſúſque à Curia ſeiuncti, gradum cum ea ne conferunto. Separati ſeparatim ambulanto. Idib. Iun. M.CCCC.XXX.

II.

NOSTRIS hominibus nouo Regi Carolo VIII.in vrbẽ Regiam primùm aduenienti εἰσιτήρια meditantibus, Triumuiri rerum fiſcalium actionúmque popularium poſtularunt,vt ſibi, cùm ei obuiam eundũ eſſet,quo deſignabãt ordine,incedere liceret. PLACVIT eos ſuas, hoc eſt à Curiæ Magiſtratibus officiíſque omnibus poſtremas tenere. Cæterùm ne etiã tum, in poſterúmue quis addubitaret, quo quenque loco atque ordine eſſe oporteret, quoties Curiali purpura cultúq; progredi cõtingeret, hæcce de ea re ferè ad verbũ cenſuerũt.
Apparitores bini omnes baſilica exeunto.
Cum in vicũ venerint,quatuor ex eis,anteãbulonũ munere fũgũtor.

Quatuor alii, Conſcriptorum ordinem, ne alter alterum prætergrediatur, obſeruanto, atque ab eis turbam arcento.

Eam in rem, aliis ab alio longiuſculè diſiuncti, ad Conſcriptorum latus, vici riuulum verſus equitanto.

Poſtremi quatuor ponè Conſcriptos, & Regiæ publicæque Procurationis Triumuiros, ab eis etiam turbam prohibento, Cauſidicóſque, deinde Cognitores, vt ſequātur, ſuo quique ordine, curāto.

Quatuor Curiæ Amanuēſes honeſto cultu, thecis pennariis, ac epomidibus pelliculatis ornati, primi, poſt priores quatuor Apparitores, bini gradiuntor.

Scribarum duo, alter cauſarum Iſagogicus, alter Quæſtionum capitalium, pari ornatu atque inſignibus, ſequuntor.

Poſt eos, Princeps ſcriba (quem Ciuilem appellant) pelliculato epitebennio, vel, ſi mauis, epitogio, ſolus ambulato.

Apparitorum Decurio, pileo pelliculato, caduceóque inſignis, Curiam à Curiæ miniſtris, interpoſitus diſtinguito.

Quatuoruiri, epomidibus ac palliis pelliculatis, pileíſque ſericis villoſis ſpectabiles, bini Curiæ primas tenento.

Primus, limbulis murium araneorum ad humeros diſpoſitis, & extremo pileo auro prætexto, alios excellito.

Conſcripti, ſerie in duos verſus, altero initiatorum, altero profanorum, protenta, togis purpureis viſenda, inſignibúſque humeralibus, ſuis ducibus, ſuo quiſque ordine, ſuccedunto.

Regiæ publicæque Procurationis Triumuiri, poſt Conſcriptos omneis, primi ſunto.

Ex poſtremis quatuor Apparitoribus, duos (ſi volent) anteambulones habento.

Cauſidici ac Cognitores, ſuo etiam quiſque ordine numeróque, Curiam comitantor.

Puerum equeſtrem nemo, pedeſtrem vnum & alterum quicunque volet, habeto.

Præſcriptum ordinem nemo præuertito.

Bini vicum ruſticū, quod diui Dionyſii ſacellum appellāt, petunto.

Dum Curiæ Curio ſummus cum Rege verba faciet, ne accedunto: omnes enim in faciem eius ſalutabundè iter facient.

Rege ita ſalutato,omnes ad Diuæ pronaum redeunto.

Cùm ibi vētum erit, quiſque per vias viculóſque,ſed aliâ quàm quâ tranſitum erit,domum ſeſe recipito.

Iam inde quoties ſiue Regi, ſiue Reginæ, ſiue deſignato Regi, Reginǽue deſignatæ, Principíue viro, fœminǽue aduenienti honoraria munera & aduētitia edenda erunt,is ordo ſeruator: præterquàm quòd, ſi alius à Rege ſit,palliis ac epomidibus parcendum erit: niſi fortè eum quoque honorem Reginæ impendendum eſſe videatur. IIII. Cal. Iul. M. CCCC. LXXXV.

III.

REBVS in Italia,Germania, Lotharingia bene geſtis, & vrbe arcéque Hiſdini,deditione nihil minus quàm voluntaria, receptis, ac pertinaci Mediomatricū obſidione, multis ac magnis cladibus acceptis,& vaſis nō cōclamatis,caſtris cedere coacta:cùm Pridie Non. Ian.M. D. LII. Henricus II. Opt.Max.Imperator noſter,Dionyſianum veniſſet,armipotēti Deo, Diuíſque tutelaribus gratulationem facturus, & reliquias vnde proficiſcēs eduxerat, moribus maiorum repoſiturus: huiuſq; rei ergô Ampliſſima Curia XXIIII viri vectigales,rationibus Præfecti,alíique,qui huiuſmodi ſacris intereſſe ſolent, eò loci conueniſſent,& Ampliſſ. Curia XXIIII viros vectigales,non modò ſolita purpura, ſed & pelliculatis epomidibus,Curialem ornatum imitatos cōſpicata fuiſſet : nouum eis ornatū nuntiauit, ac pro imperio & poteſtate prohibuit. Tum Vectigales abnuere Ordinis Ampliſſ. poteſtatem : dicere, paris in parem imperium eſſe nullum: vbi Princeps eſſet, nulli alii fas eſſe quicquam pro imperio ac poteſtate decernere: nihil ornatus, nihil imperii, nihil poteſtatis ad ampliſſ.Ordinem pertinere, quod ſibi, ſua in ſpecie, non etiam licere putarent:ſi quid aliter Princeps conſtitueret,morem ſe gerere non detrectaturos. IMPERIIS vltrò citróq; inhibitis,delatáque ad Principem controuerſia, PLACVIT epomides à Vectigalibus depoſitū iri. Enimuero par eſſe,& ad decorum (quod in primis ſeruādum eſt) maximè pertinere, vt Ampliſſimus Ordo, cæteris omnibus omniū iudicum ordinibus antiquior, & in quo, non in illo,Princeps,Proceres,Patricii, vel de ſumma Reip. conſulutri, vel maximis de rebus diſceptaturi,ſedere ſoleant, quemadmodū illum

antecedebat, ita etiam ab eo, vel hac ornatus particula, ſecerneretur.

IIII.

CVM aduentanti Principi publicè occurrendum eſſet, vnúſque ex Quatuorprimis deſyderantur, PLACVIT, vt aliorum Conſcriptorum antiquior, eius Magiſtratus inſignia geſtaret, & ita abſentis vice fungeretur. VI. Cal. Feb. M. CCCC. LXIII.

V.

QVOTIES Curiali ornatu prodeundum eſt, Claſſium inquiſitoriarum Ductores, non vt Ductores, ſed ſuo Conſcriptorum Ordine incedere debere. VI. Id. Feb. M. CCCC. XCI.

VI.

CVM ſacra Rhemorũ ampulla, quam Ludouicus XI. variis morbis diuexatus, vitæ tamen percupidus, vt ſi quis vnquam alius, ad ſe proferri iuſſerat, aut veluti numen alexicacũ (erat enim alioqui pius ac religioſus) aut vt certum vitæ vel mortis indiciũ (eam enim cælo demiſſam, Regibus cõſecrandis atque etiam victuris plenam eſſe ferunt, morituris ſenſim deficere ad vacuitatem) cùm inquam ſacra illa ampulla Lutetiam appropinquaret, verba facta ſunt in Curia, quo eam honore affici placeret. ET PLACVIT ſolenni Curiæ ornatu obuiam eſſe prodeundum: non enim par eſſe, ſacro ceromati, cuius myſterio Reges à Deo Opt. Max. ſummũ imperium ac poteſtatem acciperent, minus honoris, quàm regibus ipſis impendi. III. Cal. Aug. M. CCCC. LXXXIII.

De Quatuor Curiæ primis, Tit. III.

I.

MEMINI Iacobum Lucium, Iuriſconſultũ, fratrem dulciſſimum mihi narrare, Rogeriũ Barmeum, vnum è Quatuor Curiæ primis, eum qui antea de abroganda (quam vocant) Pragmatica ſanctione, Legatus Romam miſſus fuerat, dicere ſolitũ, Quatuor primorũ Curiæ munera vnum eſſe Magiſtratũ, ea ratione gerendũ, vt apud eum faſces eſſent, qui fortè primus Curiam veniens, locum ſuperiorem occupaſſet, neque princeps, neque poſtremus quiſquam eorum diceretur. Quam ſententiam ego quidem, pro Barmei illius dignitate atque amplitudine lubens amplecterer: ſed verò me auocant tria.

Vnũ, quòd hæcce conſequerẽtur, quæ à iudiciis iudicibúſque omnibus longè alieniſſima eſſe oportet, cõfuſio, ambitio, cõtentio. Alterum, quòd Quatuorprimorũ infimus erat ille, cui ſi ſummo eſſe cõtigiſſet, qua erat animi magnitudine, longè forſan aliter cenſuiſſet. Tertium, quòd tum temporis, totóque ſuperiore ſeculo, diuerſum penitus inoleuerat. Cuius rei exemplum inuenimus propemodum familiare. Cum Marleo enim, de quo mox verba facturi ſumus, illo qui poſtea Oraculi Regii antiſtitio Præfectus fuit, Brinona, quam Lucius vxorem duxi, maternum genus coniunctũ habet. XI. Cal. Iun. M. CCCC. III. cùm Popincurtius, Curio ſummus, fatis conceſſiſſet, & eum honorẽ Rex Marleo detuliſſet, neque is capeſſere vellet, niſi candidus Curiæ calculus adderetur, Conſcriptis de ea re deliberantibus, venit Nomophylax: apud quem Lochetus, qui ſecundas obtinebat, interceſſit, vt qui primas, quaſi ſuo iure, ſibi vindicaret. Cui Nomophylax, Regis (inquit) animo ſedet, vt Marleus allegatur. Cúmque Conſcripti palàm dicere nolent, Nomophylaci in aurem ſinguli ſentẽtiam inſuſurrarunt: itáque conflato Curiæ conſulto, hæc ferè Locheto Nomophylax, Quod Principi (inquit) placuit, etiam Curiæ placet. Cæterùm, magnum eſt atque arduum, optime Lochete, quóque te beatum arbitrari poſſis, perſonam tibi impoſitam hactenus ſuſtinuiſſe: & quãdo per ætatem amplius non licet, ſatius eſt integra fama, honeſtè abire Magiſtratu, quàm ea perſtando imminuta, in quandam equi illius Horatiani ſimilitudinem turpiter incidere. Suffecto igitur in locum Realio tuum, quanta maxima fieri poteſt mitteris honeſtate, tantùm abeſt, vt primas te ſperes aſſequuturum. Hactenus ille. Quibus facilè perſuaſum habeo, illud de quadruplicis Magiſtratus ſimplicitate, confuſáque autoritate, Barmeum, magis animi cauſa, quàm ſeriò dixiſſe. Qua tamen ille cunque mente dixerit, habemus de ea re, tum Regis, tum Curiæ placitum, atque interim ſexagenarium (quod aiunt) de ponte deiectum.

III.

GVLIELMVM Cognatulum, Præſidem emeritum mitti, & Iuonem Spelleum in eius locum ac munus admitti placuit, ducenis (quas vocant) libris, ex prima quáque pecunia, miſſo illi attribu-

tis. IIII. Non. Iun. M. CCCC. XLII.

III.

IVRIDICIS diebus, & ſolennibus placitorum recitationibus, Quatuorprimo etiam vxorem de more lugenti, pullato eſſe non licere: ſed eum Magiſtratus inſignia geſtare debere. XVI. Cal. Decembr. M. CCCC. LXXIII.

De Claſſium inquiſitoriarum Ducto-
RIBVS, TIT. IIII.

I.

CLASSIVM inquiſitoriarum Ductores, non niſi ex infulatis eſſe creãdos, XIIII. Cal. Sept. M. CCC. XVII. Itaque poſtridie cooptatus Viuianus, vt eum honorem adipiſceretur, profani Conſcripti, quam ſuſtinebat, deponere coactus, infulati perſonam aſſumpſit.

II.

I. Sp. Cõſcripto, alteriúſque Claſſium Curiæ altero Ductore, N. Epiſcopo creato, Magiſtratu abire detrectante, Iacobo Berruyero eiuſdem Magiſtratus candidato vrgente, multis de ea re habitis comitiis, tandem Cal. Apr. M. D. XLVII. decreto Curiæ panægyrico, pronuntiatum eſt, Magiſtratum in caduci cauſam ceſſiſſe: nonnullis tamen arcanis de rebus, Principem Curia monitum voluit, Conſcriptis duobus ea prouincia data. Sed Aii Locutii, per rimulas, vel ſanctiſſimo iureiurando obſtructas, erumpẽtis numine factum eſt, vt ſtatim Princeps ſe ſatis ſupérque monitum ſcriberet, iuberétque vt nulla interpoſita mora, Berruyero Magiſtratus permitteretur. Quibus Curia primùm nihil commota, perſtitit in ſententia. At verò cùm Princeps vix aures Legatis accõmodaſſet, & ſolutum legibus imperiũ ſibi vindicaret, Curia ſummæ poteſtati cedere coacta, Berruyero, moribus maiorum, νομομαχίαν indixit. De arcanis autem illis hoc vnum habemus, quòd tametſi Principum edictis, Curiǽque decretis, Claſſium inquiſitoriarũ Ductores ſacris initiatos eſſe oporteat: Berruyerus tamen cùm ὄντως, tum καταχρηστικῶς, τρίγαμός ἐστι. Nam alteram in matrimonium vxorem habet, quæ alteri antea nupſerat. Sed quid peruium non eſt futurum, homini apud Principem & Principis intimum gratioſiſſimo?

IDIB. Nouemb. M.CCCC.XCII. vnum aliquem Curiæ quidem aſcribi, ſed quòd abeſſet maturitas ætatis, eum ipſa Curia abſtinere placuit. Curiæ ſanè ſentẽtia, quæ nõ nihil indulgẽtiæ præſe ferẽs, multũ tamen habet priſcæ illius grauitatis ac ſeueritatis. Scio equidem eſſe, fuiſſe, nec dubito fore, iuuenes eo ingenio, ea doctrina, ea prudẽtia inſtructos atque ornatos, vt cæteris ſummæ ſint, fuerint, futuri ſint admirationi. Sed nemo (mea quidem ſententia) negauerit, ſenes iiſdem animi dotibus præditos, vel hoc vno iuuenes ſemper antecellere, quòd longo annorum vſu aliquid habent, quod adhuc iuuenibus, per ætatem, non licuerit cõparare. De quibus ſi Catonem
» Ciceronis de Scipionis auo loquentem audire libuerit, Vteretur (in-
» quit) conſilio, ratione, ſententia: quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſum-
» mum conſilium maiores noſtri appellaſſent Senatum. Apud Lacæ-
» demonios quidem ii qui Ampliſſimum Magiſtratũ gerunt, vt ſunt,
» ſic etiam appellãtur Senes. Quod ſi legere & audire voletis externa,
» maximas Reſpub. ab adoleſcẽtibus labefactatas, à ſenibus ſuſtẽtatas
» & reſtitutas reperietis. Cedo quî veſtram Remp. tãtam amiſiſtis tam
» cito? Sic enim percontanti, vt eſt in Næuii Poetæ ludo, reſpõden-
» tur & alia, & hæc in primis, Prouenicbant oratores (aut, vt alii legunt
» prouehebantur ad res) noui, ſtulti, adoleſcentuli. Temeritas eſt, vi-
» delicet, florentis ætatis, prudentia ſenectutis. Et dicebat Greg. Naz.
» πολλὴν ἐμπειρίαν τῷ χρόνῳ συνελέξαμεν, ἐξ ἧς σοφία γίνεται.

II.

LVDOVICVS XI Curiæ reſcripſit, Malzaldo, quòd neutrius Iuris rude donatus eſſet, nihil obeſſe, quin Ampliſſimo Ordini adſcriberetur: & ita factum eſt, Cal. Febr. M.CCCC.LXIII. Cuius exempli autoritatem nihil labefactare videtur, quòd rem nominatim à Principe iuſſam addiderũt. Erat enim Malzaldus (vt ſatis eſt cõiicere) vir alioqui ad iudicia factus, ipſique Principi probatiſſimus. Principi (inquam) literarum non experti, acri ingenio prædito, prudenti rerum æſtimatori, hominum delectum perſpicacem habenti, eorúmque, quos delegiſſet, aucupi mirifico: & cui Franciſcus Valeſius primus, bonarum literarum inſtaurator, regnandi peritiſſimus, accepto ferre ſolebat, quòd ab eo Franciæ Reges ex ephœbis in viros trãſcripti fuiſſent. Nec me mouet, quòd is ſuæ ſentẽtiæ eſſe, & multa

pro arbitrio,ſummo imperio legibúſq; ſoluto agere diceretur.Nam & publicis tabulis compertum habemus,eum id temporis alia & leuiora & grauiora iuſſiſſe multa,quibus, pro Caſſiana illa integritate, non eſt obtemperatum.Sed finge nihil iuſſiſſe Principem.Quid refert eum,qui alioqui ſit idoneus, eſſe, vel non eſſe doctorē deſignatum? Extiterunt noſtra quoque ætate, qui nihil omnino præſtarent earum diſciplinarum,quarum à ſe perluſtratarū coëmpta circunferebant elogia.Fuere etiam qui nullo à ſe (quem vocant) conſcenſo gradu,alios de gradibus omnibus, quos illi ſe tranſcendiſſe gloriabantur, deiicerent. Non eſt igitur (mea quidem ſententia) quominus exemplum id appellemus,neque quo ei quicquam detrahamus autoritatis.

III.

VT Legibus XII. Tab.latis (quemadmodum Pomponius refert) cœpit interpretatio deſyderare Prudentum autoritatem, neceſſariámque diſputationē fori: quæ diſputatio, quod ius ſine ſcripto veniens,compoſitum à Prudentibus, non propria parte aliqua, vt cæteræ iuris partes,ſed communi nomine ius ciuile appellatum eſt:ita etiam nunc,poſt ius ciuile,cōtra Iuſtiniani Auguſti ſanctionem, innumeris propè voluminibus,illuſtratum dicam,an obtenebratum? ipſum, ſiue conſulendo, ſiue orando, ſiue iudicando, tractantibus, vſum fori neceſſariū eſſe, nemo,niſi eius diſciplinæ penitus expers, vnquam iuerit inficias. Non eſt enim idem omnium ætatum ſenſus: ſemper aliquid obrepit noui, quod paulatim, tacito conſenſu moribus & conſuetudine introducitur: ſemper eſt aliquid, quod te, non ſcriptæ leges, non gloſſemata, non conſilia (quæ vocant) non cōmentarii, ſed res ipſæ factáque doceāt: vt eam artem neque inter θεωρητικὰς, neque inter πρακτικὰς rectè cōnumeres, ſed ea vtriuſq; facultatis particeps, tertium quendam ſibi vindicet locum. Extat in eam ferè ſententiam grauiſſimum Curiæ decretum, quod factum eſt Prid. Calend. Iun. M. CCCC. XLVII: Lartinium Cōſcripti munere à Principe donatum,alioqui (vt credere eſt) ſatis idoneū, non antè in Curiam admittendum,quàm foro magis aſſueuiſſet.

IIII.

VLP. lib. VI. ad edictum, de cæco differens,an & Magiſtratus ge-

rere poſſet, deliberationem ita concludit. Melius eſt (inquit) vt dicamus, retinere quidem iam acceptum Magiſtratũ poſſe: aſpirare autem ad nouum penitus prohiberi. Quam ſentẽtiam, & Burgundionis ſtudium, ea tum apud nos autoritate præditi, vt Langeacum in Conſcripti demortui locum, ſufficiendũ Curiæ proderet, ita temperari placuit, vt ſufficeretur quidẽ, ſed Magiſtratus functione abſtineret, donec viſum recepiſſet. x i i. Cal. Decẽb. M. C C C C. X X X V I I.

V.

PROFANVM neminem ad initiati Cõſcripti munus eſſe admittendum. I X. Cal. Maii anno M. C C C C. L X X X V I. poſt Martinalia.

V I.

COMPANIVM, tametſi profanum, in Conſcripti tamen initiati munus admitti placuit, X V. Cal. Sept. M. C C C C. L X X X I X.

V I I.

EXTRA numerum munere donatum, interea dum iuſtum ac legitimum munus obueniret, admitti placuit. V I. Calend. Decembr. M. C C C C. L X I I I.

V I I I.

LITIS inſpectore deſignato, non antè aliam eidem attributum, nec antè dicaſtica ſolutum iri, quàm aliam ipſe confeciſſet, X I I. Cal. Decembr. M. C C C C. X X X V I I. Nunc autem lites, nec infrequenti ſortitione, in tantum cumulum, aliæ ſuper alias eodem congeruntur, vt ſeculum citius fortaſſe credideris exiturũ, quàm cumulo ad aream redacto, ipſa cumuli ſtrage locus repurgari poſſit.

I X.

CONSCRIPTVM peregrè proficiſcentem, litium inſtrumenta quæ habet, pro iuriſiurandi, quo ſe obſtrinxit, religione, relinquere, & iis omnibus fidem ſuam liberare teneri. V. Non. Mart. M. C C C C. X L I. quod & lege poſtea lata à Principe conſtitutum eſt.

X.

EIVS temporis quo ægrotauerat, ſua Cõſcripto nihilominus ſtipendia permiſſa. X V I. Cal. Iul. M. C C C C. X I X.

X I.

BELLOFAYO, Conſcripto, tametſi munia non obiuiſſet, ſtipendia numerari placuit. AEquum enim & bonum eſſe, rationem ha-

beri eius, qui munia obiturus erat, ſi per morbũ, aliúdue legitimum impedimentum licuiſſet. IX. Cal. Octob. M. CCCC. LXXXIII.

XII.

CONSCRIPTI Curiæ munus, quòd in Prætorianum Conſilium cooptatus, eum honorẽ iniuiſſet, in Caduci cauſam ceſſiſſe placuit. Illud enim iugis, ac perpetuæ functionis eſſe, niſi fortè bimeſtribus feriis abeſſe licuerit: & Prætorianis, ſuum cuique munus, alternis ſex menſibus etiam obeundum. XIIII. Cal. Aug. M. CCCC. XX.

XIII.

CVRIAE Conſcriptum decreti Curialis exequutorẽ, ſi ab eo prouocetur, nihilominus pergere placuit, nec, vt quemlibet aliũ, morari, vt illi rurſus decretũ exequi iubeatur. XI. Cal. Iul. M. CCCC. XCIX.

De ordine ſedendi, Tit. VI.

I.

GIBOO, Curiæ Conſcripto, furere incipiente, ne, tantiſper dum ille priſtinæ incolumitati redderetur, ſuo, in muneribus obeundis, Curia numero non conſtaret, adſcripſere Vallinum: qui aliquo pòſt tẽpore, ex adſcriptitio, iuſtus, ac legitimus effectus eſt. Cùm autem in Calamuli locum, ad Primanorum claſſem, aliquis ex claſſibus inquiſitoriis promouendus eſſet, inter Palearduum & Vallinum incidit controuerſia, vter vtrum anteuerteret. Dicebat Palearduus ſe, iuſta ac legitima cõſcriptione, Vallino priorem eſſe, atque adeò potiorem. Defendebat Vallinus, ſe, vtcũque antè munus obiuiſſe, próque Magiſtratu geſſiſſe, & rem non ad cõſcriptionis, ſed adſcriptionis tempus eſſe referendam, VALLINVM Palearduo placuit anteferri. Pridie Cal. Aug. M. CCCC. V.

II.

AB Inquiſitoria claſſe, cuius Iacobus Bulardus tum Ductor erat, Gulielmo Gyo primùm, deinde ipſo etiã Bulardo, ad Maius Tribunal aſcito, ambigi cœptum eſt, quis eorum antiquiore loco ſederet. Cauſabatur Gyus, non modò ſe iſtuc priorem vocatum, ſed etiam in Ampliſſimum Ordinem, ante Bulardũ, toto decẽnio cooptatum. E' diuerſo Bulardus, ineptiſſimũ ac ridiculũ fore, ſi ductus ductorẽ anteuerteret, quaſique duceret. Pro vniuerſæ Curiæ ſentẽtia placuit,

decoro ſeruiendum eſſe. IIII. Calend. Iunii M. CCCC. XXIII.

III.

EIVRATO à Larcherio patre, in filii gratiam, vectigaliũ XIIII viratu, & eo Magiſtratu, tam patri quàm filio, eorúmque ſuperſtiti, à Principe rurſus dato, filius ſolenni iureiurãdo adactus, in eius Curiæ collegiũ cooptatus eſt. Cùm autem pater, quem de duobus munia obire conuenerat, vacationem poſtularet, inter filium, & põſt eum cooptatos cõtrouerſum eſt, íſne illos, an eum illi ſeſſione præuerterẽt. Dicebat is, ſe illos, vt creatione ac cooptatione præceſſerat, ita & ſeſſione antecedere debere. Ab illis è diuerſo proponebatur, aliud reapſe Imperatorem, Regem, Conſulem, aliud non niſi deſignatum eſſe. Se, ſuo munere, ex quo Conſcripti fuiſſent, perpetuò eſſe functos. Patre, commune ſibi cum filio munus obeunte, filium interea temporis veluti priuatum agere. Patrem & filium, vni Magiſtratui, nullam aliam ob cauſam fuiſſe adſcriptos, quàm ne patre diem ſuum obeunte, Magiſtratum filius non caperet: aut, ſi turbato ordine mortalitatis, patrem filius anteuerteret, muneris ſimul & filii iacturam pater facere non cogeretur. Satis eſſe debere, rebus eorum ita proſpectum eſſe, vt ne malo malum cõduplicaretur. PLACVIT ſeſſionis ordinem non à cooptationis tẽpore, ſed à functionis initio eſſe repetendum, VII. Id. Iul. M. D. LI.

De iis qui præter Conſcriptos in CVRIAM ADMITTVNTVR, TIT. VII.

I.

AD III. Cal. Maii M. CCCC. II, decretum eſt, Hetæriarchos ad cõſeſſum in Curiæ orcheſtra non amplius eſſe admittẽdos. Quod à cõſtitutione Philippi, cognomento Longi, fluxiſſe facilè coniicitur: qua (vt inquit Budæus) cùm religio Principibus inceſſiſſet, diſtineri Antiſtites munere iudicandi, quo minus liberè diuino cultui vacarent, exacti ſunt à Curia, & ad diuinum obſequium ablegati: præter vnicum Abbatẽ diui Dionyſii: cautúmque ne vltrà in Curiã aſciſcerentur: tametſi ille idem, in Forenſibus, honorariorum Curiæ Conſiliariorum mentionem faciens, exempli cauſa, Pontificem etiam nominet Pariſienſem: & ii ambo hodie eo potiantur honore.

II.

PONTIFICIBVS, non niſi Patriciis, aut à dignitate hunc honorem habentibus (puta Antiſtiti Lutetiano, & Hetæriarcho Dionyſiano) conſiliariis diebus, in Curia ſedendi ius eſſe. IIII. Cal. Maii. M. CCCC. LXIII.

III.

ΘΑΛΑΣΣΙΑΡΧΙ'Α, quam Latinè maris Præfecturã, vulgò Amyralitatem appellamus, ἀπὸ τῆς ἁλμυρίδος, hoc eſt, ſalſugine, vel re maritima, voce (vt quidam exiſtimant) Gallis cum Græcis Mauríſque communi: quanquam dignitate, amplitudine, compẽdio, inter ſummos Magiſtratus connumeratur, nec cuiquam, niſi ex primi faſtus aulicis, attribui ſolet: Præfectus tamen in orcheſtra Curiæ ſedendi ius non habet. Quod prid. Id. Ian. M. D. LII, cùm Gaſpardus Collignius Caſtillionius, Magiſtri militum, Annæ Mommorantiani Ducis & Patricii, ex ſorore nepos, hocce Magiſtratu donatus, more maiorum, ſacramento dixiſſet, Egidius Magiſter, Curiæ Princeps, priſca grauitate, ipſius Ordinis verbis apertè declarauit. Sic enim ait, Quòd de ſeſſione tibi Thalaſſiarcho non licet, eidem Proregi, ac Lutetiæ inſulæque Franciçæ Præſidi licet. Tu ergo vt is, non vt ille, orcheſtram conſcendito, ſi voles, ac ſedeto.

IIII.

QVOD Biturigum Archiepiſcopus, antea Curiæ Conſcriptus, multos annos hoc ſuum ſtrenuè munus obiuiſſet, IX. Calend. Iul. M. CCCC. XCV, ei poteſtatem fieri placuit, conſiliariis diebus, ipſa in Curia non ſedendi modò, verumetiam vt Conſcriptorum cuilibet, dicendi ſentẽtiam. Magnum, me hercule, virtutis incentiuum, virtuti ac meritis tribuere, quod ſi negaueris, id iure facias: tantùm abeſt, vt inferas iniuriam.

V.

ALVETIO ſummæ Curiæ Toloſanæ Curioni, noſtra in Curia, locum, tam oratoriis, quàm conſultoriis diebus, tantiſper dum illi Lutetiæ agendũ eſſet, poſtulanti, Rege id ſe quoque velle denũtiante, reſpõderunt, PLACERE, vt cum profanis, loco ſecundum Principes Curiæ honoratiſſimo, niſi fortè Patriciorum Põtificũmue aliqui adeſſent, ille ſederet. IX. Cal. Maii, anno M. CCCC. LXIII. poſt

Martinalia. Nunc autem ſi quis eius generis Magiſtratus apud nos peregrinetur,& Curiam veniat, loco poſt noſtrates Quatuorprimos ſedet antiquiore.

V I.

NON vſqueadeò moroſè cóſtituta fuit ratio eorum, quibus, oratoriis diebus, in Curia ſedendi ius eſſet, quin aliquibus, quandoque aliquid indulgeretur. Nam III. Cal. Febr. M. CCCC. LXXXII. cùm Cluniacenſis Hetæriarchus Curiam veniſſet, generis eius ac dignitatis, qua non modò cœnobio, ſed & toti Cluniacenſium familiæ præerat, rationem habuerunt.

V I I.

ET Auſtriæ Ducis legatos eo ſeſſionis honore affici placuit. III. Non. Febr. anno illo M. CCCC. LXXXII.

De libellaribus ad Baſilicam Recuperatoribus, TIT. VIII.

I.

IVS fori ad Baſilicam Recuperatorii,ita eſt eximiũ, vt viatoribus, verbis ex diplomate regiis, cauſarum ad Recuperatores tranſlationem imperãtibus,actutum iudices parere habeant:& iis vel negantibus,vel detrectantibus,viatores ipſi pro poteſtate transferant: nullo tranſlatiuæ, ſi qua erit, controuerſiæ, ab iiſdem Recuperatoribus diſceptandæ, præiudicio. Quam in ſententiam extat Curiæ decretum,quod factum eſt VIII. Id.Iul. M. CCC. LXVIII.

I I.

APVD Ampliſſ.Ordinem Baſilicani Recuperatores,Legatum rerum priuatarum Lutetiæ iudicem, & Martinum Dulæum quędam poſtulauerant, quòd is apparitori, cauſæ tranſlationem imperanti, aſſultaſſet: ille verò eam ipſam,quaſi ius dicens, tranſlationem pernegaſſet. Prid. Cal.April. M. CCC. LXXXIX. placuit à Legato iudice perperam eſſe factum,cauſámque à ſe ad Recuperatores relegatam oportuiſſe, exiſtimaturos an ea transferri debuiſſet: quod vt facerent,hæc ad eos eſt relegata. Quòd autem ad Martinum attinebat, ipſe ſuæ illius aſſultationis vituperatus eſt,aut, ſi propius ad placiti verbum mauis accedere, ἐβλασφημήθη, admonitúſque in poſte-

rum vt tēperaret:alioqui culpam hanc,aliæ cōſimili,quam aliquādo ab Ampliſſ. Ordine ille deprecatus fuiſſet,ipſum Ordinem eſſe additurum. Quod placitum, verba de verbis,huc & libentius tranſtulimus & religioſius, tum quòd ea de trāſlationum cognitione, nihil apertius dici poteſt: tum quòd illa increpatio præclarum mihi eſſe viſum eſt priſcæ grauitatis ac ſeueritatis monumentum.

III.

LEGATO rerum priuatarum Lutetiæ iudici (quod & de aliis palàm eſt intelligi debere) nec ius,nec fas,ſed è contrario vetitum eſſe placuit,libellarium ad Baſilicam Recuperatorum apparitorem,iure codicillorum eximio, cauſam à ſe ad Recuperatores transferentèm, prehendi ac duci iubere. Hoc enim ad edictum nihil pertinere, quo Magiſtratibus, ſecundum ius poteſtatis ſuæ, conceſſum eſt, iuriſdictionem ſuam, pœnali iudicio, vtpote multæ irrogatione,aut etiam carceris coërcitione,defendere. Et,ſi Prætor in Prætorē,Conſul in Conſulem, nullum habet imperiū, túne tuum inhibebis, cùm non modò par, ſed & maior poteſtas intercedit? ſunt enim Recuperatores etiam huiuſmodi tranſlationum iudices, rectène an perperam factæ ſint, & ex eorum genere,quos à Principe delegatos,atque adeò omni ordinario maiores appellamus. III. Non. Maii, M.CCCC.XCVII.

IIII.

ETIAM conſilii Prætoriani Conſcriptos,iure forenſium codicillorum vti poſſe. VIII. Id. Sept. M.CCCC.XLI.

V.

GOYETVS,apud Præfectum vrbi Regis Cauſidicus,eò nomine, iure codicillorum eximio præditus,Forgetum,Regium Amanuenſem, ad libellares Baſilicæ Recuperatores in ius vocat. Præſcribit Forgetus Aulici famulitii priuilegium, & litem ad libellis Prætorii Præfectos transferri poſtulat. Reſpōdet Goyetus, Forgeto vtriuſque fori priuilegium habente, eligere ſe poſſe, in quo ius reddi malit: non ſecus atque ſi rem vindicaturus es, in optione tua eſt, quem iudicem adeas, perſonæ vel rei. Forgetus petita tranſlatione ſummotus prouocauit. PRONVNTIATVM eſt non liquere: nihilominus tamen, in ſpeciem vindiciarum, Baſilicanorum Recuperatorum

cognitionem fore: quemadmodum ante annos ſexaginta fuiſſe factum, prolata compertum eſt autoritate. VII. Cal. Mart. M.D.L.

VI.

CVRIAE Actuarios, quæ ſunt officia publica, certũ eſt omnia ſua munia per ſe obire non poſſe: ideoq; neceſſe eos habere, multorum amanuenſium opera vti. Sed quòd huius, iſtius, illius amanuenſes, quique cuiuſque muneri ſtrenuè fungendo incumbunt, eodémne omnes numero priuilegióque eſſe debent? Ecquis Cornutium & literis ornatum & ſumma excipiẽdi ſolertia prædítum, cuíque (vt inquit Martialis) currãt verba licet, manus eſt velocior illis? quis Meſſem? quis (vt vno verbo dicam) alios nobilioribus functionibus attributos, meris ſcripturariis componi ſuſtineat? ET DE iure forenſium codicillorum eximio (quod vulgò *Committimus* appellãt) diſceptantibus, an omnibus ex æquo tribuendum eſſet: PLACVIT, vt quatuor, ex principis Actuarii amanuenſibus: ex rerum capitalium, duobus: ex cauſarum Iſagogici, vni, non pluribus irrogaretur. XIX. Calend. Ian. M.CCCC.XCVIII.

VII.

F. Tremollius Sullianus, Villemuruinæ, Cerdonis & Idæ vicanis, apud libellares ad Baſilicam Recuperatores, hãc formulam intẽdit. Peto vicanis interdici, ne in poſterum ad paſcua, quæ apud eos mea ſunt, eant, pecoráue paſtum ducant, néue quidquam illic pro ſuo iure agãt. Quæſitum eſt, an eius rei, Recuperatorum iuriſdictio eſſet, quòd in rem actio eſſe, ideóque eorum poteſtatem effugere videretur. Chartarius reſpõdit, ſecundũ ea quæ proponerentur, eſſe poſſe. Dicebam, in rem actionis partes eſſe duas. Primam ac præcipuam, & quæ ipſum iudicem maximè ſpectet, rem, petitoris eſſe pronuntiari, quam iuris vel dominii declarationem appellant. Secundam, quæ defenſori prorſus incumbat, nempe rei ipſius reſtitutionem: à qua non multùm hæc formula diſſideret, alterámque partem alteri, nec admodum latẽter, ineſſe. Enimuero petita iuris vel dominii declaratione, rei reſtitutionem tacitè petitam videri: & è contrario, ſi reſtitutio petatur, etiam declarationem tacitè petitam intelligi. Itaque tametſi fortaſſe non verborum conceptione, mente tamen, & (quod Græci dicunt) τῇ δυνάμει, in rem eſſe actionem. Chartarius

contrà, quibus verbis actio concepta eſſet, ſummopere conſyderandum. Eum qui ageret, non expreſſim petere, rem, ſuam eſſe iudicari. Quod ille interdictũ volet, à poſſeſſionis iudicio non abhorrere, & ad recuperatoriam iuriſdictionem non poſſe non aliquatenus accõmodari. Ipſi etiam Ampliſſimo Ordini, ante aliquot annos, aliter placuiſſe quidem: ſed re ſub incudem reuocata, quod placuerat, diſplicuiſſe, vetitúmque fuiſſe, ne à Scribarum officio emitteretur. Quibus argumẽtis (vt ille aiebat) Recuperatores non modò huius generis actiones, verumetiam & confeſſorias & negatorias, de rebus incorporalibus proditas, quibuſcunque verbis conceptas, quaſi ſuo iure ſibi vindicarunt: & nos veram Chartarii, Scæuolæ noſtri, ſententiam exiſtimantes, quòd etiam Ordinis Ampliſſimi autoritate niteretur, huc cenſuimus eſſe referendam.

VIII.

SPORTVLIS iudicialibus libellariũ ad Baſilicam Recuperatorum hunc modũ conſtitui placuit, vt quarũ litium, agnatarúmue liticularũ iudicãdi gratia, nemo eorũ inſtrumentũ ſeparatim diſpexiſſet, ac ſigillatim percenſuiſſet, ab earum ſportulis in poſterũ eſſet temperandum. Quòd ſi quis cauſam, liticulãmue commentatus ex breuiario exponeret, ei vni ſportulas æſtimatum iri, nulli aliorum cõmunicandas. Quo nomine, Curiæ Cõſcriptis, qui hæc diſceptarãt ac conſtituerant, vicies milleni Pariſiorum aſſes, à Regia liberalitate, in tragemata numerati fuere. Calend. Aug. M. CCCC. XCIII.

De Regiæ procurationis Triumuiris, TIT. IX.

I.

PRIVILEGIVM Curiæ irrogatũ, Regiæ procurationis Triumuiros an cõplecteretur, addubitatum eſt. Neque enim Orcheſtram Curialem conſcendunt, neque quicquam pro imperio ac poteſtate decernunt: ſed in ſubſelliis ſedent, etſi quid orandum eſt, ex inferiore loco id faciunt, aperto per initia capite, quod ad ei, qui faſces habet, fuerit viſum. PLACVIT tamen eos comprehendi. Eſſe enim veluti quoddam Curiæ additamentum, quaſique corollarium. XI. Calend. April. M. CCCC. XVI.

I I.

TRIVMVIRATVM actionũ Principis populíq; vno Cognitore, ac duobus Cauſidicis conſtare, peruagatũ eſt. Sed non abs re quondam venit in cõtrouerſiam, quo inter ſe quęque loco eſſe oporteret. Si quidẽ vtrũque munus vno eodémq; numero habueris, facilè dicas eum, qui magiſtratũ primus inierit, vt tẽpore priorẽ, ita & ſeſſionis honore potiorẽ. Si verò altrinſecus ea cõponas, & rationẽ inieris, quantùm vnum per ſe alterũ antecellat: dubio procul Oratorem Cauſidicúmue Cognitori prætuleris. Si rurſus ſpectes Cognitorem, Cauſidicos, magiſtratus ſui collegas ſic habere à cõſiliis & cauſarum actionibus, vt tamen penes eũ ſint auſpicia Triũuiratus, quaſi apud choragũ (vt inquit Budæus noſter) ſuo ſi iure vti velit: vix, aut ne vix quidẽ, grauaberis eum Cauſidicis anteponere. Si denique tecũ ipſe reputes triplicis magiſtratus vnitatẽ, & (vt ille idẽ ait) treis ſenſus & mẽteis, ingenio, doctrina, moribus interdũ longè diſſimiles, velut in Geryonem coëuntes, libẽter omneis vna eadémque ſede locóue, ſi poſſis, cõprehenderis. Quæ omnia ab Ampliſſimo Ordine, pro ſua illa ſumma prudẽtia, ita tẽperata ſunt, vt vix quicquã melius vnquã. Inter enim Cauſidicos, alterũ initiatũ, alterũ profanũ, Cognitorem medium, ſedere placuit. X V I. Cal. Decẽbr. M. C C C C. L X X X I I I I.

I I I.

DVOBVS Regiis Cauſidicis tertium addi non eſt refragatum. X. Cal. Martii. M. C C C C. L X V.

I I I I.

OLEARIVM, Regis extra ordinem Cauſidicum admiſerunt, I I I. Id. Martii. M. C C C C. L X X I.

V.

OLEARIO Regio Cauſidico munere cum vita defuncto, huiuſmodi munus, quod extra ordinem creatum eſſet, antiquari placuit. Cal. Septembr. M. C C C C. X C I I. Sed pridie Cal. Mart. inſequentis à Principe recreatum eſt.

V I.

VT Regio Cognitori ſubcognitorẽ, ita & Cauſidico ſubcauſidicũ dare licere. Itaque à Regio Cauſidico ſuffectũ admitti, & ſuffectionis tabulas in acta publica referri placuit. Id. Deceb. M. C C C C. L I I I.

VII.

CVM Iohannes Barbinus, Regius Cauſidicus, id ſibi arrogaret, vt, dum vellet, Curiæ ſecretarium ingrederetur, & ſententiam diceret, III. Cal. Iun. M. CCCC. LV. factum eſt Curiæ conſultum, Regio neque Cauſidico, neque Cognitori aditus penetrādi, neque dicendæ ſententiæ ius eſſe. Cæterùm ſi quid Curiam volent, per apparitorem, (vt moris erat) denuntiarent.

VIII.

REGIAE aduocationis in Curia Triumuiro priuatis cōſultoribus operam dare, & ab alio quàm rege ſtipendia, autoramēta, congiaria auferre non licere, conſtitutum eſt. IX. Cal. Mart. M. CCCC. XXI. in perſona Iohannis Rappoi, in id Magiſtratus eo die cooptati, quadringenties vicenis aſſibus annuo autoramento cōtributis, cùm antea Præſidem biēnium, Senonenſis prouinciæ Præfectum aliquandiu geſſiſſet. Ius mediuſfidius perpetuò ſumma religione obſeruandum: ſed quod noſtra ætate, nonnullorum cupiditate violatum eſt, ac tandem Numinis beneuolentia redintegratum.

IX.

REGIO ad ſummam Curiam Cauſidico, ob æditas à ſe Regia in cauſa cōtradictorum diſſolutiones, Regiíque inſtrumēti confirmationes, pecunia decreta. VIII. Id. Mart. M. CCCC. XXXV. Quod noſtro ſeculo factū negant: ſed an ſumma cōtinentia & ardenti in rem Principis, populíque charitate, an propter ſtipēdia cōgiariáque, tum ſanè tēporis exigua, noſtra verò tēpeſtate ampliſſima, vt quicquam præterea captare verecūdum eſſet, non ſatis exploratū habeo.

De Actuariis & Amanuenſibus Curiae, TIT. X.

I.

NVLLI Scribarum, etiam Regiorū, præter vnum Curiæ Actuarium, Graphiarii (vt vocāt) nomen vſurpare licere. XI. Cal. Decēbr. M. CCCC. IIII. Nunc autem nihil ferè proculcatius.

II.

DE libellis ſupplicibus exponēdis, placuit, eos omnes actuario dari, & ab eo recitatis de cōſeſſus ſententia ex tēpore ſubſcribi, præter

eos,qui maturiore inſpectione digni exiſtimarētur,quos ab ipſis Cōſcriptis ex attributione,enarrari voluerūt. I I I. Cal. Ian. M. C C C C. X L.

I I I.

S I ab Actuario,litis inſtrumentum recenſeri,& cum elogio obſignari oporteat,partium cognitoribus,vt adſint,diem eſſe dicēdum. Cal. Decembr. M. C C C C. V I I I.

I I I I.

LITIGATORIBVS, tametſi deciderint, niſi bona Principis venia,pactóque conuento à Curia comprobato(quod ſuo quaſi vocabulo forenſes ὁμολογεῖν appellant) litium inſtrumenta ab exhedra Scribarum auferre non licere. V. Cal. Octobr. M. C C C C. X X I.

V.

IN quæſtionibus extra ordinē agitādis, eremodiciorū confectionem ſcribæ eſſe cauſarū Iſagogici. I I I I. Cal. Iul. M. C C C C. L X X X.

V I.

CONSVLTVM de cōmeatibus & eremodiciis factū,vt eorū ſchedaria diuerſis diebus ſcribæ cauſarū Iſagogico traderētur, poſteaquā aliquid mali cum vtilitate(vt ferè fit in rebus humanis) tractu tēporis aduexiſſet: Cognitoribus ipſis libello cōplexis ac poſtulātibus, de ea re Cōſcripti Patres ita cēſuerunt. PLACERE vno eodémque die vtraque ſchedaria geri ac regeri: ita tamen vt poſtquam dictus venerit dies,triduum perpetuū interiiciatur. X I X. Cal. Febr. M. D. L I.

V I I.

SCRIBAM cauſarum Iſagogicum, quanquam Regius Librarius non eſſet,diplomata omnia ſubnotare poſſe. X I I I. Calend. Octob. M. C C C C. X V I I I.

V I I I.

ACTVARIOS, mandata Curiæ diplomatica, cùm iis ſubſcripſerint,petentibus dare,neque irrogatos ad Signatorem mittere debere. V. Id. Febr. M. C C C C. L I.

I X.

SIQVA, in vrbe cōtinentibúſue, bona recognoſcere oporteat, & controuertatur cuius ea ſint ditionis: fiduciariam recognitionem, ad Curiæ non Apparitores, ſed Amanuenſes pertinere. I I I. Non. Febr. M. C C C C. L X X X V.

De Curiæ Apparitoribus & miniſtris, TIT. XI.

I.

STATORIBVS, viatoribus, aliiſue quibuſuis apparitoribus, præter eos, quos ſummæ Curiæ hoſtiarios appellāt, id nominis ſibi vindicare, ius non eſſe. XI. Calend. Decembr. M. CCCC. IIII.

II.

APPARITORIBVS, nō niſi Curialibus, ναρθηκοφόροις, vel, ſi malis, virgiferis eſſe licere. Aequitati enim conſentaneum eſſe, eos qui Ordini Ampliſſimo hanc nauant operam, eo potiſſimùm in loco, tantò aliis apparitoribus præſtare, quantò ille ordo cæteris ordinibus ac magiſtratibus antecellit. Cal. Iun. M. CCCC. XCV.

III.

QVOD Recuperatorum ad Baſilicam libellarium apparitor & ſatelles, Curiæ verbis ſupplici libello adſcriptis egerat, nec iūs, nec ratum eſſe placuit: id enim Curialium apparitorum, non illius muneris fuiſſe. VI. Cal. Aug. M. CCCC. LXXXIII.

IIII.

PRINCIPEM apparitorem, caput, quod pileo ex aureo panno conſuto, muribus araneis pelliculato, pinna vnionibus aſſurgente, alioqui opertum habebat, dum Curiam ingrederetur, aut ad eam eiúſue Ductores verba faceret, aperire debere. XV. Cal. Febr. M. CCCCLII. Quod etiam nūc obſeruari videmus, & eſt apparitorius iſte ornatus, vnum è paucis admodū veſtigiis quæ reſtant, priſcæ illius maieſtatis, qua Ampliſſ. Ordo ſpectabilis & viſendus, non modò Galliæ, ſed toti penè orbi ſummæ erat admirationi: vt iuueni mihi graphicè depingebat Geneſius Lucius pater iam ſenex, dum inter iuris ciuilis ſtudia, cognitoriam me doceret. Viderat enim integra adhuc ætate, aut certè recenti memoria audierat, diſceptatoriis diebus, tribunalitios iudices, togatos ac trabeatos ſolitos ſedere omneis: profanos (qua in parte ſunt Præſides) in purpura, ſacris initiatos, in colore cæruleo. Primis ſubſelliis (quæ adhuc liliata vocant) cum prouinciarum Præfectis ac Subpræfectis ſedebant (vt nunc quoque ſedent) emeriti Cauſidici, ſed alii præterea nulli. Secunda iugem

cauſis orandis operam non nauanti, ſacroſancta erant. Tertia cognitoribus attributa. Area ſubſelliis incluſa, quæ nunc omni hominum genere, aliis ſtantibus, aliis congenulatis, aliis veluti decumbentibus flagrat, nemini patebat vnquam. Princeps ille apparitor, præter eum capitis ornatum, quem diximus, etiam purpuratus, cauſas ex voluminibus inclamabat. Non orabat cauſidicus, niſi ceruicibus atque humeris epomidi pelliculatæ inſertis. Cognitor, tomentato capitii circulo capiti impoſito, & collo focali obuoluto, ſi ei eiúſue clienti oraretur, aut ipſe verba faceret, tantùm frontem aperiebat. De trabeatis, & ita, vt antè dictum eſt, diſcriminatis, cernere eſt adhuc in Numinis tabula, quæ pẽdet in exhedra ſecundanorum. Habes & vitreas feneſtras in templis, & in iis atque etiam in ſepulcretis monumẽta propè innumera. De tertiis ſubſelliis, cognitoribus attributis, eſt in iuriſiurandi formula, qua illi quotannis
" adigi ſolent. Iurabunt (inquit) quòd ſtabunt in vltimo ſcamno re-
" tro aduocatos ſuos. Poſſet quidem de iis atque aliis plenior aliqua fieri fides: ſed quid opus eſt pluribus? Ad rem igitur. Poſteaquam ritus illi ceremoniǽque negligi cœperunt, cœpit & maieſtas illa atque autoritas imminui: &, temporibus ſemper inclinãtibus, eò tandem res deuenere, vt vix vnum aut alterum ſanæ mentis inuenias, qui noſtra hæc tempora ſuperioribus commutata non optarit.

V.

IDIBVS Iulii anno M. CCCC. LII. à Regiæ procurationis atque aduocationis Triumuiris ſuffecti verba fecerunt ad Curiam de apparitoribus, qui ſupplices libellos, cùm primùm iis ab Actuario, de Curiæ ſentẽtia, ſubſcriptum eſſet, auferebant: quo fiebat, vt non facilè poſtea inuenirentur. Itaque poſtulabant, vt litigatoribus ea in re conſuleretur. PLACVIT, ídque mulcta indicta, libellos ſubſcriptos, non ita amplius eſſe auferendos, ſed cognitoribus, vt ipſi reciperent, relinquẽdos. Cõſultum certè quidem, quod ad eam litium partem attinet, conſultiſſimum atque vtiliſſimum: ſed quod, noſtra ætate, fuerit antiquatum. Poſteaquam enim apparitorũ munera, vt alia multa (prò dolor) nundinari cœperunt, & ſolida empta (vt noſtratium vulgus ait) heminatim diuendi: nonnullis eius ordinis hominibus, fortaſſe non ſatis officioſis, aut cæteris minus gratioſis, è re

potius ſua quàm publica poſtulātibus, factum eſt aliud conſultum: quo, veluti quodam communi diuidundo iudicio, eiuſmodi libellos, aliáque id genus denuntianda, ipſi, aut eorum certi, per vices, inter ſe ſortiuntur ac diuidunt. Qua ſortitione plurimùm incommodatur litigatorum, cognitorum, inſtitorum, amanuenſium rationibus. Enimuero præterquam quòd ſi in maleuolum, ac ſui officii parum memorem apparitorem libellus inciderit, is forſan omnino ſit interiturus, frequentiſſimè vnus & alter, imò etiam tertius, atque interdum ſeptimus elabitur dies, antequam de libello quicquam audire queant: & interim (vt minora alia incommoda miſſa faciamus) ab improbè captante aduerſario, alióue quopiam caſu, ſupplicator quantuncunque gnauus opprimitur.

VI.

APPARITORIBVS Curialibus vetitum eſſe voluerunt, in actis ſuis renuntiandis, commentarii ſpeciem, quem proceſſum verbalem appellant, ne vſurparent. XII. Cal. April. M. CCCC. LXIX.

VII.

QVAE litigatoribus, cognitoribúſue Curiæ apparitores denũtiabunt, eorum omniũ deſcriptum vt faciãt. VII. Id. Iul. M. D. XLIX.

VIII.

ET momentorum in foro captatoribus, & iuris litiúmque dirimendarum detrectatoribus, pro ſua cuiuſque libidine, magno vſui fuit, quod diplomatum, ſupplicum libellorum, commeatuum, eremodiciorum & aliorum id genus, quæ apparitores denuntiare ſolent, ipſi deſcriptum non facerẽt. Variis enim modis, quos hîc enumerare nec magni refert, nec fortaſſis expedit, ea ratione, hi quidem longius multò lites extrahebant: illi verò aduerſarios ſimplices interim ac minimè malos, interim etiam prudentes & forenſium præſtigiarum non ignaros, longè liberius ac facilius opprimebant. Cui malo, vt mederetur, factum eſt Curiæ conſultum in hæc ferè verba:

Quæcunque litigatoribus vel cognitoribus apparitores edent, denuntiabunt, horum omnium eis deſcriptum faciunto.

Si non fecerint, editio, denuntiatio, irrita, infecta habetor.

Recitatum XIX. Cal. Febr. M. D. LI.

IX.

CVRIAE ſtatori viginti aſſes in ſingulos dies decreti. VI. Id Sept. M.CCCC.XXI.

X.

SVAS apparitorum Curiæ inter ſe capturas eſſe communicandas. Prid. Cal. Mart. M.CCC.LXXXV. & V. Id. Sept. M.CCCC.XXI.

XI.

QVOD ad conuentus iuridicos, munúſque apparitorium in eis obeũdum pertinet, adeò Curiæ Accenſum, cæteróſque apparitores æquo iure cenſeri placuit, vt ne cauſarum quidem inclamãdum volumen quæ alioqui primæ ſunt Accenſi partes, plus ei quàm aliis quicquã tribuat. Id enim iuſti non eſſe officii, ſed indictiuæ potius ac tẽporariæ functionis. Decretum factum IIII. Non. Aug. M.CCCC.II. Roberto Cacheo Accenſo, Thoma Marco, & Rodolpho Nigro apparitoribus de ea re controuerſantibus ac concertantibus.

De albo Curiæ eiúſque miniſtrorum conſcribendo, Tit. XII.

I.

QVOD noſtra ætate ſummus Pontifex iudulſit, Regi vt liceret, quatuor Curiæ Principes, Cõſcriptos omnes, tres Actuarios, quatuórque Amanuenſes, ſacrorum beneficiorum potentibus prodere, quò illos, quíue illorum calculis proderentur beneficiis afficerent: aut ſi negarent, vel reſtitarent, is, cui ea prouincia mandabatur, afficeret: non ſine exemplo factum eſſe id planè oſtendit, quòd eius rei ergô, Curialiũ catalogus reperitur fuiſſe cõſcriptus, Cal. Sept. M.CCC.III. Sed quî factum ſit, vt res tam ad farinas ollámque pertinens, tot annos intermiſſa fuerit, prudens rerum æſtimator viderit alius.

II.

OCTOVIROS à libellis, velut Ampliſſimi Ordinis partẽ, ipſius quidem albo comprehendi placuit, ſed certè à Cõſcriptis omnibus poſtremos, IIII. Id. April. M.CCCC.XCVIII. Cur autẽ eiuſdem ordinis eos, qui antiquiore ſecundum Præſides, aut Proceres, Antiſtitéſue, ſi quos adeſſe contigerit, ſedere ſoleant loco, poſtremas in albo tenere viſum fuerit, non ſatis exploratũ habeo: niſi fortè quòd

hi non iugem ac perpetuam, vt illi, operam nauant, ſed honorariam quaſique perfunctoriam.

III.

POSTVLABAT Fráciſcus Lambertus, olim Curiæ conſcriptus, vt in albo ſcriberetur, quod ad ſummum Pontificem, ſacra beneficia obtinendi cauſa, mittere inſtituebant. SCRIBI certè quidem, ſed poſt omnia Curiæ ipſius officia placuit. v. Calend. Iun. M. CCCC. XXXIIII. Quod, veterum exemplo, factum eſſe, nemo non videt. Magiſtratu enim abeuntes, ipſum ſanè honorem ac poteſtatem deponebant: ornamenta verò priuilegiáque retinebant: nec qui geſſerant, cum gerentibus cõmittebantur: ſed inter functos, quemadmodum & maiorem quiſque poteſtatem & antiquius geſſiſſet, ita & locum nanciſcebatur.

IIII.

CVM de albo Curiæ conſcribendo, & ad nouum Regem, Carolum VIII mittendo, vt ſuis ipſe codicillis, more maiorum eam inſtauraret, maioribus comitiis ageretur: Sanctromanus, Cognitor Regius ac publicus, qui ſub imperioſiſſimo Principe, Magiſtratu abire coactus fuerat, quòd tribunitio ſpiritu, & iuſtitiæ tuendæ legibúſque deuoto, ſalutis & periculi cum Rep. ſocietatem coiuiſſet: quo nomine, vt à maioribus audiuimus, & Budæus teſtatum reliquit, ipſe ſui Magiſtratus memoriam, vel verius deſyderium, cùm in hominum ſermone conſecrauit, tum in Curia defixit: Sanctromanus (inquam) & Alligretus, cauſarum capitalium Scriba, officio etiam pulſus: Lahayus Præſes, nonnulliíque apparitores, extra iuſtum ac legitimum numerum creati, poſtularunt, vt ipſi quoque cõſcriberentur: illi, quòd Regiorum functio Magiſtratuum comes eſſet vitæ inſontis: hi quòd citra cuiuſquam iniuriam, iuſto ac legitimo numero additi fuiſſent atque admiſſi. ET EOS omnes, vt ius & æquum poſtulantes, exaudiri placuit. Nec ita multò pòſt ſupplantatoribus apertè motis, ſupplantatos atque indicta cauſa deiectos reſtituerunt, IIII. & III. Non. Sept. XVII. Cal. Decembr. & III. Non. Ian. M. CCCC. LXXXIII.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE LIB. V.

De Curiæ Cauſidicis, Tit. I.

1.

VINI, quod ex vitibus ſuis collegerat, condendi gratia, Annæ à Terreriis, Chappearum domino, primi nominis ſumma in Curia Cauſidico, certa cùm dolia Meſium Merlanium Sequana conueherentur: Philippus Bertinus, Mæſonum portitor, poſthabito mittentis elogio, portorium exegit: vnde nata eſt, & apud Baſilicanos Recuperatores agitata, nobiliſſima cõtrouerſia. Condicens à Terreriis id quod à ſe corraſum erat, dicebat ſe, triplici iure, portorio non fuiſſe obnoxium: origine, lare, functione. Quòd ad originem pertineret, nominabat patrem ſcutatum nobilem: auum, proauum, abauum, ſuperiores, poſt hominum memoriam, Equeſtris ordinis omneis: allegabat arces, ac præter cæteras, Chappearum munitiſſimam: adducebat ſtemmata, & (vt breuiter dicam) omnia nobilitatis argumẽta. De lare, dicebat ſe Lutetianum eſſe ciuem: ciueis Lutetianos omneis, ob ſua maiorúmque merita, ſiqui obſcuro alioqui loco eſſent nati, Principum diplomatis, natalibus eſſe reſtitutos. Sé functione quidem eſſe Cauſidicũ: ſed cuius ordinis Brolio cuidam cùm prorſus idem negotii cõtigiſſet, eum, vel ipſos Mæſoniani portorii dominos apud Ampliſſ. Ordinem condẽnaſſe. È diuerſo proponebant Mæſoniani, autores à Bertino laudati, in quibus Iohannes Longolius, vnus è claſſium inquiſitoriarũ Ductoribus, portorium, Principis eſſe beneficiũ: cuius nomine ſuam ei fidem ipſi obſtrinxiſſent. Portorio quidem exemptum Principem, Reginam, eorúmque filium natu maximum, germanos Lutetiæ Academicos, Sacras etiam Mendicantium familias, ſed præterea neminem. Quòd ſi qui alii ob natalium ſtemmata, portorio non tenerẽtur, ſua, ſi qua erant, condicenti nihil patrocinari: quòd is ea, ſua illa Cauſidici functione nobilitati diſſentanea inquinaſſet. Referebat à Terreriis, ea quæ Mæſoniani de ſui illius portorii amplitudine obtruſiſſent, nil niſi mera eſſe verba. Cæterùm eius qui defendit alterum in iudicio, ſiue patronum dicas, quòd ſit orator, ſiue aduocatũ, quòd vel ius ſugge-

rat, vel præſentiam commodet ſuam, officium eſſe laudabile, vitæque hominum perneceſſarium. Nec eos tantùm Imperio Reiue publ. militare credendos eſſe, qui gladiis, clypeis, thoracibus armantur: verumetiam eos, qui diſciplinis, atque in primis iuriſprudentia, magnis laboribus ſibi comparatis, aliquam ſui fiduciam habentes, ſuis conſiliis, ſua eloquẽtia, ſuis commentariis & ſcriptionibus interim de capite & fortunis, interim de ſumma rerum decertantibus opem ferunt, excitant afflictos, dant ſalutem, liberant periculis, & (ſi admittis) etiam retinẽt homines in ciuitate: vt cùm publicis, tum priuatis in rebus, non minus humano generi proſpicere ac prodeſſe videãtur, quàm ſi armis commiſſíſque prœliis, patriam, parentéſque ſeruarent. Proinde huiuſmodi hominum genus non modò nullis oneribus eſſe premendum, ſed è contrario præmiis, honoribus, priuilegiis afficiendum. Quæ omnia & veteres, iuſtis voluminibus editis, tam apertè oſtendiſſent, & Imperatores ſuis reſcriptis ita perſtrinxiſſent, vt vel ea neſcire, eſſet planè, quod omnes ſciunt, ignorare, vel non ignorata aut diſſimulare, aut agnita refellere, extremæ cuiuſdam temeritatis atque impudẽtiæ. REBVS inquiſitis ac relatis, & prolato perſpectóque litis inſtrumento, Recuperatores rectè condictum eſſe pronuntiarunt, IIII. Cal. Septembr. M.D.XLIIII. Et ne non ipſe ſolùm à Terreriis, ſed & totus ordo Cauſidicorum, ea ſententia non ſatis eſſet illuſtratus, niſi etiam Ordinis Ampliſſ. decretum accederet: neſcio quis Deus Mæſonianis miſit in mentem, vt prouocarent. Quod cùm feciſſent, PLACVIT perperam eſſe factũ, adiecta temerariæ prouocationis mulcta, Cal. Febr. M.D.XLV.

II.

AD VIII. Cal. Maii. M.D.L. Aduocatis & emeritis & merentibus alteris ad liliata Curiæ ſubſellia ſedendi iure donatis, alteris Curiæ ſepto aſcriptis, ex ſuo quibuſque catalogo inclamatis, pronuntiatum eſt, ídque mulcta indicta, PLACERE, vt tantiſper dum cauſis orandis, & ex tempore vel iudicandis vel conſtituendis vacabitur, omnes aſſidui Spartam exornent ſuam, neque quoquam aliò diuertant, præterquam ad requiſita naturæ. Quod cùm à Tricipite illo Magiſtratu poſtularetur, additum eſt ita fore, vt facilius ac commodius & reſponſitarent & orarent.

III.

CREDIBILE eſt,ab ipſis iuſtitiæ ius dicētis incunabulis, ſemper aliquos ſua ætate fuiſſe Cauſidicos, qui alios multis numeris antecellerent: & in quos vel illud iactari poſſet,Hominem occiderit neceſſe eſt, qui veſtra opera vti velit. Fuit Fretigneius quidam, de quo Epiſcopus & Sodales Tornacenſes ambigerent,ab vtra parte ille ſtaret. Dicebāt Sodales, eum ſibi eſſe à cōſiliis,antéque fuiſſe,quàm ab Epiſcopo aduocaretur: quod Epiſcopus quidem non inficiabatur: ſed à deceſſore occupatum dicebat. A' Sodalibus referebatur, Sodalitium permanere, Epiſcopum mutari. PLACVIT, vt à Sodalibus ſtaret Fretigneius,præterquam in cauſis quæ deceſſoris Epiſcopi tēpore auſpicatæ fuiſſent. VIII. Cal. Decēbr. M. CCC. LXXXIII.

IIII.

EIVSDEM ferè ſpeciei & illud eſt.Odoardum à Molēdinis,Cauſidicum,Diuæ Virginis matris Sodalitium Lutetiæ Pariſiorum vindicabat à conſiliis ſuum. Defendebat Epiſcopus longè antea, cùm adhuc Morinenſis Epiſcopus eſſet, eum à ſe in cōſilium ſemper adhibitum. Replicabat Sodalitium, rem qua de ageretur, non ex perſona , ſed Pariſienſis Epiſcopatus dignitate adepta metiendam. QVOD & Curiæ placuit,XIIII.Cal.Mart. M.CCCLXXXIII.

V.

NON temerè quæ à litigatoribus vt plurimùm animoſis ac ferocientibus,litium vel orandarū vel conſcribēdarum gratia, in commentarios referri ſolent, edenda ſunt omnia. XIII. Cal. Maias. M.D.XLIII. cùm Hardium Conquiſitorem vrbanum Mōterellus repetundarum per Cauſidicum inter orandum inſimulaſſet, & à Regio publicóq; actore poſtularetur, vt inquirēdi criminis ergô,Monterellus maleficii teſtes indicaret:ipſe reſpondit,rem ſemotis (quod aiunt) arbitris eſſe factam. Quapropter hocce tantùm placuit, vt ex Cauſidici oratione maledicta expungerētur: & ita forſan aut iuri ac legibus illuſum eſt, aut (vt apibus naturale eſt) infixo aculeo euolatum.Sed hoc in commune ſancitum eſt,

Cauſidicus, ſi in cauſæ commentariis criminoſum aliquid comperit,litigatorem, an criminis teſtes habeat,interrogato.
Si habere dixerit,crimen audacter obiicito.

Sin minus,temperato.

Qui ſecus faxit, poſtulatione, pro Ampliſſimi Ordinis arbitrio, ſubmouetor.

V I.

AD VI. Cal. Iulii M.CCCC. VI. pro ſingulis cauſarum actionibus aſſes Cauſidicis LX, Cognitoribus XL, decreti. Nunc autem multíſque antè actis annis,numus illis aureus,iis aſſes quinque Pariſienſes tribuuntur. Sed quî factum eſt, vt Cauſidicis honeſto loco conſiſtenribus, de gradu Cognitores ita deiecti ſint? Certè aut illius ſeculi Conſcriptos,iniquos æſtimatores dicere oportet,aut eius ætatis Cognitores ſpectabiles & viſendos, vt & nos Tyrones vidimus aliquos:noſtræ verò(vti res habet)maximam partem, è medio prodeuntes,& (ſi dicere audeo) quaſi togatæ nationis fæcem.

De Curiæ Procuratoribus, Tit. II.

I.

EX moribus maiorum Princeps in edictum tranſtulerat, ne cui per procuratorem,ſine Principali venia, litigare liceret. PLACVIT edicto recitando ac promulgando, Curiam neque fundum,neque autorem fore: ſed conſulto, quo ea res erat antiquata, ſtari debere. Vſum enim procuratoris (ſi Curiæ mentem aſſequimur) à iure ciuili,neceſſitate introductum eſſe: vt qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe vel nollent, vel non poſſent,ſaltem per alios poſſent,vel agere,vel conueniri: & eius generis venias non aliò,quàm ad numariam aliquam rationem pertinere.Menſe Martio,Anno M.CCCC.LI.

II.

CAL. Febr.M.D.XXIII.I.B. iuris quidem ciuilis rude donatum, ſed rerum forenſium tyronem ac rudem, in Cognitorum numerum (vt ille petebat) retulerunt: ea tamen lege, vt eius amanuenſis opera, qua pater, etiam Cognitor, vita functus, præcipuè vtebatur, ipſe etiam biennium vteretur.

III.

NEMINEM in Cognitorium ordinem aſcribēdum, donec is ad iuſtum numerum rediiſſet.Prid. Id. Nouembr.M.CCCC.LV.

IIII.

COGNITORVM numerũ,iuſto ac legitimo logè maiorẽ,eius muneris cãdidatis obeſſe placuit. VI. Non.Mart.M.CCCC.LXXXVII.

V.

PRIVILEGIA à Principe ſuis Amanuenſibus irrogata, & Curiæ oblata, vt ea promulgari, atque in acta publica referri placeret, quòd ad rem diplomaticam pertinebat, ita tẽperari placuit, vt Cognitoribus,quemadmodum in præteritum licuerat,ita etiam in poſterum diplomata meditari ac concinnare liceret. Id enim magna ex parte ad iuſtitiæ ius dicentis rationem pertinere. III. Non. Iul. M.CCCC.LXXXIII.

VI.

QVOD à Gulielmo Bellouaco, ſuæ litis procuratione ſuſcepta,is qui ſuſceperat, nec ad nomen quidem reſpõdiſſet, ita vt aduerſarius cõmeatum abſtuliſſet: & poſtea mandati conuentus,epiſtolam,qua mandatum ſuſcepiſſe fatebatur, eſſet inficiatus, non ſuam,ſed amanuenſis, qui ſe ignorãte ſcripſiſſet, eſſe dicens: ne quis hoc amplius prætexere auderet,factum eſt Curiæ conſultum in hæc ferè verba: Procuratores,cùm ad eos,quorum lites tuendas receperint,ſcribendũ erit:ipſi ſua manu literas exaranto,aut iis ſaltem ſubſcribunto. Qui ſecus faxit,omni cauſarũ procuratione perpetuò interdict' eſto. Conſultum mediis cauſarum altercationibus recitatum IIII. Id. Iul. M.D.LII.

VII.

CVRIAE conſulto, quod factum eſt pridie Id. Decembr. Anno M.CCCC.LXXXIII, voluerunt, vt quos ſupplices libellos Cognitores oblaturi eſſent, ſuo ipſi chirographo ſubnotarent. Vſu enim venerat (quemadmodum facile eſt coniicere) vt eiuſmodi libellis, aliis planè fruſtratoriis, aliis moratoriis ac lites mirandum in modum extrahentibus, aliis contumelioſis, & huius aut illius famam lædentibus, Cognitoribus eos ſæpenumero abnegantibus, Curia, aliis grauioribus negotiis præpedita, non parum oneraretur. C[illegible] malo noſtra quoque ætate gliſcenti, id etiam remedii adhiberi placuit: ſed quod in dies paulatim obſoleſcere videmus.

V I I I.

A C C E P T O de ſupplice libello, claſſis vnius reſponſo, eo celato, de eodem libello claſſem aliam tentari non debere. Itaque Cognitorem qui hoc admiſiſſet, mulctari placuit. V I. Non Maias M. CCCC.LXXV.

I X.

E O S dies, quibus diebus ſcriptæ lites Scribarum officio illatæ forent, epigraphis ſententiarum, quæ cum ſyngrapha clauſularia, à Cognitoribus eodem deferri ſolent, adſcribi placuit. V I I. Id. Ian. M. C C C C. L X X V I.

X.

A D V I I I. Cal.Maias,à Liberalibus M. D. L. Marilliaco, Regis Cauſidico, de collegii ſententia poſtulante, factum eſt Curiæ cōſultum, de cauſarum Procuratoribus: qui (vt dicebatur) dum inclamarētur, non modò non aduolarēt, ſed nec toto die, interdum nec poſtridie adeſſent: vnde incōmoda nec pauca, nec minima iuris dicēdi rationibus afferrētur. P L A C E R E vt faſtis omnibus, hora poſt ſextam dimidia, vel ſummùm ſeptima antemeridiana, Martis autē ac Veneris diebus, hora & ſeſqui pomeridiana, Procuratores omnes ad Baſilicam cōuenirent: vt quoties eos in Curiam euocari contingeret, è veſtigio reſponderēt. Qui ſecus faceret, ei multa centuſſis irrogaretur; irrogata protinus exigeretur. Præclarè mediuſfidius additum (quādo ita viſum eſt) rei iudiciariæ Colophonem. Sanè quod Princeps iubet, ordóue Ampliſſ. decernit, hoc, veluti è Tripode dictum, nobis eſt amplectēdum: & lex (vt dicitur) quanuis dura, ferenda eſt: ſiquidem iis Reſp. ſtatus vel in primis continetur. Sed non abs re fuerit, ſi eius diſciplinæ non expertes, & quos non vnius aut alterius, ſed multorum annorum vſus nonnihil edocuit, de ea re dicant quid ſentiant. Ita enim fore, vt qui ſummas rerum tenent, aliqua tandem ratione admoneātur, & ipſæ res aliquando fortaſſe meliore loco ſint cōſtitutæ. Non omnibus horis, omnibus cauſarum Procuratoribus in foro negotium eſt, fuit, futurum eſt. Cúmque fori frequentandi ratio quædam, non hæc ſubdura conſtaret, ſi nihil erat quod illic vrgeret, domi ſemper aliquid moliebantur, quod eò loci tam facilè tractari poteſt, quàm quod minimè: & quod tum vno, vel altero,

tertióue die conficiebatur, nunc decimo, viceſimo, triceſimo vix aut ne vix quidẽ explicari poteſt: nec enim iuris reddendi ratio tota eſt in iis, quæ ipſo in foro agi neceſſe habent. Siue orandæ ſint cauſæ, & repræſentanda iudicia, ſiue conſcribendæ, & ex renuntiatorum, quibus attribui ſolent, breuiariis, ampliore deliberatione conficiendæ: ſemper ea nobis comparanda ſunt, ſine quibus eò perueniri non poteſt. Et tribus aut ſummum quatuor horis, quas ſolas habiturus es, etiamſi quotidie quartam matutinã anteuerteris, quid agas? quid promoueas? litigatoribus ſubinde etiam interpellantibus, vt alia negotia, atque interdum domeſtica, imò & requiſita naturæ miſſa interim faciamus? Dixerit aliquis, huiuſmodi iuris dicendi compendio, permulta expediri poſſe: ſupplices potiſſimùm libellos, à quibus innumeræ ſummis controuerſiis liticulæ agnaſcebantur, & vnde rei ſportulariæ non paruæ fiebant acceſſiones. Poſſe quidem fateor, ſed & alia, nec longè diuerſa, nec minus commoda ratione, imò verò fortaſſe commodiore: ſcilicet, ſi quid erit cuius cauſa Procuratores audiri placeat, indicta quantumlibet graui mulcta, ſtatim (ni pareant) irroganda exigendáque, iubeantur à prandio, vel poſtridie mane venire, non perpetuò poſtes obſeruare, & tempus ita terere. Ad hæc difficile eſt omnes ad omnia ſemper ex tempore reſpondere. At ius iſtud (inquiet alius) tranſlatitium eſt: Iuris enim iurandi, quo Procuratores quotannis adigi ſolent, formula, ſic habetur: Iurabunt quod bene mane venient, & venire facient ſuas partes, & non recedent à Curia, quandiu domini ſedebũt. Habetur ſanè, ſed iam pridem iis (vt credibile eſt) de cauſis quas diximus, antiquatum eſt.

X I.

M. D. X L V I I. Cal. April. Cognitorum vnum aliquem, in Curiæ Curiam huius ergô inductum, & hominum frequentia flagrante auditorio, cauſa perorata ac repræſentato iudicio, impenſè detrectatorem, varium, ludificatorem compertum ne queribundus aduerſarius eiuſmodi præſtigiis ab eo diutius exerceretur, cætera litis cognitione Curia iuſſit abſtinere: dominúmque ex Curialibus Cognitoribus prouectis atque inculpatioribus alium dare, qui in lite peragenda viri boni numeros impleret omneis: reo Cognitori mul-

ƈta interim irrogata, ſed adempta ignominiæ nota.

XII.

TERGIVERSATIONIS inauditæ Cognitor quiſpiam appellatus, excuſabat bonam diffugii partem à cliente Aduocato clam ſe factam. Cæterùm quod ipſe fecerat, iuſſu clientis eſſe factum, verſuram omnem perſoluere polliciti, ídque ſyngrapha, quam ille ſimplex & apertus ita protulit, vt nũquam ſorex ſuo magis (quod aiunt) indicio perierit. PLACVIT, vt & cliẽte & Cognitore in Curiam inductis, ſyngrapha in ore atque oculis omniũ dilaceraretur: & vterque diſparis pecuniæ damnatus, ſuo munere cliẽs Aduocatus biennium, Cognitor annum abſtineret, recepta tamen ignominiæ nota. Tres alii etiam cognitores iiſdem ferè ſcopulis impacti. Ex aliis nonnulli, quorum nomina tum inuulgari non placuit, catalogus conſcribi, atque inter acta publica ſeruari iuſſus, contaminatæ opinionis atque exiſtimationis monumentum.

XIII.

PLVTEI reíque Cognitoriæ, quam vulgò pragmaticam vocant, nundinationem, ſecundum ius & fas, honeſtúmque ac bonum, iniri non poſſe iudicatum eſt: ſancitúmque ne quis Cognitorii muneris candidatus, aliúſue vnquam quid tale auderet. Cautum tamen atque receptum, ídque certam ob cauſam, vt viduæ Cognitoris tum agenti, vrbanè aliquid, virorum bonorum arbitrio, quotannis à reo penſitaretur: ſed ea receptione ad exemplum nunquam reuocanda. Placitum extemporarium VII. Id. Febr. M. D. XLIII. litigatores, Iohanna Verclea, Paracletus Michaelinus.

Quibus in Curia diebus, quáſque CAVSAS AGI OPORTEAT, TIT. III.

I.

CVRIAE conſulto, quod VII. Id. Octobr. M. CCCC. XXXVII, factum eſt de cauſis agendis, quibus quáſque diebus agi oporteret, PLACVIT iuſtis ac legitimis cauſis, hoc eſt Præfecturarũ ius à Curia petentium, prout earum ſuo cuiuſque ordine conuentus agere-

tur, Lunæ ac Martis, cæteris extra ordinem in Curiam inductis, Iouis dies adſcriberetur: huiuſmodi Iouianis litibus, pro eius, apud quem eo die faſces eſſent, arbitrio inclamandis. Cauſidicis Cognitoribúſque mulcta indicta vetitum, eum ordinem ne turbarent, néue committerent, vt à litigatoribus vnquam turbaretur. Quod ſi quis eorum quid migraret, Curiæ Accenſus obſeruaret, ac, vt animaduerteretur, renũtiaret. Optimam, me hercule, iuris reddendi rationem! quam & nos tyrones ſolidam atque expreſſam vidimus. Poſt autem, per aliquod tempus, vix eius lineamenta, vmbrámue cernere licuit. Tribus enim tum diebus, totis tribus horis, à ſeptima (ſcilicet) ad vndecimam ante meridiem: & præterea Martis ac Veneris, duabus pomeridianis, à tertia, (puta) ad quintam, ſed à Liberalibus tantùm, cauſarum altercationibus vacabatur, ídque diligentia vſqueadeò exacta, vt ferè vna eadémque machina, vno eodémque tempore, ſimul & cõmittendarum altercationum horam edere, & Curiæ fores pulſando expandere, & apparitori, ad eas claſſicum forenſe canenti, latera mouere videretur, & introeuntium ſtrepitus horæ ipſius enumerandæ poteſtatem non faceret: nec minor erat, ea hora ſedendi cura, quàm fuit aliquando præproperè ſurgendi libido. Vigebant adhuc leges à Carolo VI. & VII. de ea re latæ: quarum altera ſimplex & nuda illa quidem, ſed altera ab ea promanans, tam multis cautionibus fulta, tótque cuſtodibus commendata, vt eius vel apicem vnum excidere poſſe, nunquam tibi perſuaſiſſes. Nihil omnino cauſarum, niſi ex iuſti ac legitimi voluminis ſerie orabatur, præterquam ſi quid emergeret, voluminis intermiſſione vel anticipatione dignum, cuiuſque cauſa ſummus ordo eſſet, ordinem (vt aiunt) non ſeruare: quod neque de vnius faſces habentis, ſed etiam totius Curiæ ſententia, pro obiecta ſibi ab eis legibus religione, fieri oporteret. Suo quique tempore litigatores ventitabant, certa ſpe concepta, ſe domum non redituros, quin aut lites confeciſſent, aut ſaltem aliquid promouiſſent, quo eos nec itineris, nec impenſæ pœniteret. Cauſidici & Cognitores ex cauſarum voluminarium numero, & explorato earum pondere, veluti clepſydris temporum ſpatia metiebantur: ſua quibuſque negotiis tribuebant: ſic orandis, aliud agentes, deerant cauſis vt

ad eas iugiter incumbere crederentur. In ſumma bonarum horarum nihil vnquam cuiquam (ſi volet) excidebat. Poſtea verò, fato neſcio quo, aliqua temporis intercapedine, factum eſt, vt altercationibus ferè ſemper aliquid eximeretur, interim hora, interim ſeſquihora, totus interim dies. Cauſarum volumina & iuſta & peculiaria componebantur oppidò ſpecioſa, ſed quæ ſatis eſſet fuiſſe cōpoſita: tam enim multis ſchedularibus cauſis interpellabantur, tamque diu intermittebātur, vt vix toto trimeſtri ſpatio, ter trinæ voluminares conficerentur. Ita fiebat, vt litigatores rerum incerti penè omnes, vna tempeſtate concurrentes, ius peterent, ſibi inuicem ita officientes, vt pauci admodum exaudirentur: aliis præ temporis anguſtia poſt alios reiectis & tanta iactura ius præſtolantibus, vt longè ſatius fuiſſet, aut nunquam intendiſſe litem, aut ea cùm primùm ſuboriretur, cecidiſſe. Fiebat (inquam) vt rebus eum in modum conuerſis, tantus ex omni genere audientiæ candidatorum concurſu tumultus eſſet, vt crebrò Cauſidicorum orationes, atque ipſa etiam interdum Curiæ decreta, non niſi ægrè perciperentur. Fiebat præterea, vt & Cognitoribus & Cauſidicis pro ſuo cuiuſque officio neceſſitas imponeretur, cauſas à ſe ſuſceptas ſimul omneis concinnandi, diſpiciendi, & ad eas orandas ſeſe componendi, quas tamen non erat coniicere, quando eſſent oraturi: multis non horis modò, ſed & diebus integris interim elabentibus, qui maximis & vtriuſque illius ordinis hominum, & ipſorum litigatorum commodis cedere potuiſſent. Non enim cauſis tantùm orandis, & ex tempore iudicandis, iuris reddendi ratio continetur: verumetiam eis & exercendis, & modis omnibus ad iudicium comparandis. Cæterùm ἀδυνάτον ἐστι, hominem, niſi Mithridatica memoria præditum, rerum ita incertum, tot cauſas tanto tempore ſic memoria tenere, vt aliquid non excidat, quod, ſi diceretur, fortaſſe ad rei ſummam maximè pertineret. Dixerit aliquis, c x i x. capite legis à Franciſco Valeſio latæ, menſe Aug. anno M. D. x x x i x, quam à Gulielmo Poyeto Nomophylace, qui eam ſuaſit, Gulielminam appellant, ferè ſic habetur: Cùm ſemel atque iterum ex interuallo, agendæ cauſæ dictus erit dies, in eos qui vel aberunt, vel agere detrectabunt, eremodicia pronuntianto. Ea pronuntiata, vel Re-

gio diplomate, circunduci, nefas eſto.

Habetur ſanè, ſed & legiſlatoris & ſuaſoris (quibus bene precamur) pace dixerim, longè fortaſſe melius fuiſſet non haberi. At (inquiet) vt veteres illas, ita & ſanctiſſimas leges, noua iſta non abrogat, imò eodem collimant omnes, nimirum ad ſummũ iuriſdictionis compendium. Non abrogat quidem, ſed ita illi obrogat, vt, ſi ſeruetur, eam penè obruat, & captata iuris promendi methodus, in anfractus vix vnquam permeabiles, imò in ipſum propè chaos reuoluatur. Hinc præter ea quæ perſtrinximus incõmoda, captiones atque oppreſſiones innumeræ: à quibus qui res ſuas cupiat tutas, oporteat, vt temporum ferè omnibus articulis, ſe alterum ad eas Argum nihil minus exhibeat. Quibus de rebus, cùm in noſtris Cognitorum, non ita pridem, comitiis Regiæ procurationis Triumuiris hortantibus, habitis, nec ſemel aut iterum tractaretur, vna omnium ſententia exiſtimatum eſt, huiuſmodi malis non alia ratione mederi poſſe, quàm ſi noua iſta lege abrogata, veteres illæ ſuum ſibi vindicarent locum. Ita enim fore, vt omnia rectè atque ordine agerentur, & cauſarum cuiuſque prouinciæ volumina, ſuis quæque diebus conficerentur. Quod ſi quid ex iuſtis illis voluminibus ſupereſſet (quod non niſi duobus, aut ſummùm tribus, puta Pariſienſi, Pictonenſi, Aurelianenſi poteſt contingere) hoc etiam ex maiorum moribus repetebamus, vt alternis diebus perendinis, eiuſmodi reſiduæ lites commentariolis iuberentur agi, earum inſtrumenta proferri, & de iis iudices in cõſilium mitti. Fieret, vt detrectatoribus, iam mulctas in ſingulos cauſarum annos definitas nihil metuentibus, ſpes præcideretur cauſas in quadriennium vel quinquennium, atque interdũ nouennium, extrahẽdi, vt, voluminibus aliis ſuper alia congeſtis, veluti quodam φυγοδικησιώτων ἀσύλω fieri vidimus. quod, quantam non modò litigatoribus Cauſidicis, Cognitoribus omnibus, verumetiam toti Reip. afferret vtilitatem nemo non videt. Ea conſilia cùm ad Triumuiros, imò etiam ad nonnullos & Præſides, & primæ notæ Cõſcriptos deferrentur, placuerunt, & vniuerſo fortaſſis ordini, dum ſatis maturuerint, non diſplicebunt.

De Curiæ placitis vel decretis,

TIT. IIII.

I.

ΑΡΕΣΤΟ'Ν Græci dicunt quod placet & probatur, placitum, gratum, æquum. Qua ratione Plutarchus librum, de iis quæ Philoſophis placuiſſent & ab eis probata fuiſſent, περὶ τῶν ἀρεσκόντων inſcripſit: quod etiam Budæus vertit, De placitis Philoſophorũ: vnde ille deductum exiſtimat, vt Curiæ ſententiæ, Areſta vulgò vocentur, duplici rr, cùm potius vnico ſcribendum eſſet. Ius autem æqui & boni eſſe artem Vlpianus docet. Et verbum Dico, Varro lib. de lingua Latina 5, originem habere putat ἀπὸ τοῦ δικάζω, hoc eſt cauſam iudico. Hinc Iudicare (inquit) quòd tum ius dicatur. Hinc Iudex, quòd iudicat accepta poteſtate, id eſt, quibuſdam verbis dicendo finit. Hinc à dicando (vt eſt in vulgata editione) aut fortaſſe potius à iure dicendo iudicium, quaſi iuris dicium, ſi fas eſt ita augurari antiquitatem. Ex quibus palàm eſt ἀρεστὸν & iudicium, τὸ ψήφισμα, παρὰ μικρὸν, συνώνυμα ἐστὶ), & vtriuſque appellatione, placitum, ſententiam, decretum, ius, æquum & bonum, etiam ſi fortaſſe non ſit, tamen ſignificari. Hinc colligi poſſe, Curiæ decreta, quæ ab eius Actuariis, modò areſti, modò iudicii, modò neutrius nomine, profanis ſummo tribunali attributis tum relata ſubnotãtur, nomenclationis varietate diuerſa, autoritate, vi, ac poteſtate, eadem eſſe intelligenda: eámque varietatem, cùm è Cẽtumuirũm numero Claſſis inquiſitoria, quaſi colonia quædã deduceretur, ea tantùm de cauſa fuiſſe inductam, vt ſi quippiam referret ſcire, huius an illius, hoc vel illud, Curiæ claſſis placitum eſſet, id, vel ipſa ſubnotatione, compertum haberemus. Accidit vt Anglo, vrbe Regia & magna regni parte adhuc potiunte quidem, ſed numaria difficultate laborante, ad IIII. Calend. Decembr, M. CCCC. XXXII, Nomophylax, eam ob rem Curiam veniens, obnuntiaret fieri non poſſe, vt pluribus, præter Præſides, quàm duobus & viginti Conſcriptis, ſtipendia numerarentur. Aliis, ſi conſueta munia obire volent, ſua etiam ſtipendia, rerum meliore ſucceſſu, numeratum iri. Cæterùm Principi placere, vt in hebdomade ſemel atque iterum altercationibus audien-

dis operam daret: & interim eorum aliqui in claſſem inquiſitoriam ſecederent, litium breuiaria, quæ inquiſitoriæ diſquiſitionis eſſent, inſpecturi, & ea cum ipſis litium inſtrumentis allaturi, quas ad maius poſtea tribunal diſceptandas, reliquæ Curiæ renuntiarent. Quod cùm fieret, addubitatum eſt, Curiæ ſententiæ, de ſcriptis huiuſmodi litibus, ſic ad maius tribunal latæ, Placita, an Iudicia eſſent appellanda. ET Iudicia placuit appellari: quo nomine appellata fuiſſent, ſi per eam publicæ pecuniæ anguſtiam, ipſi inquiſitoriæ claſſi, cuius earum litium propria erat diſceptatio, eſſe licuiſſet. IX. Cal. Mart. M.CCCC.XXXII.

II.

REM ab altera claſſium inquiſitoriarum iudicatam, quòd de ea Quatuorprimi addubitarẽt, à primanorum claſſe, prioribus adhibitis iudicibus, rurſum diſceptari placuit, XVI. Cal. Febr. M.CCCC.IX. Ex quo licet augurari (mea quidem ſententia) quod quum Ampliſſimus Ordo, ipſáque (vt ita dicam) Curiæ compages, quæ ex antiſtitibus, nobilium primoribus, & iuriſperitis, aut literatis potius (hoc eſt, iuris omnis hominibus conſultis, ciuilis, pontificii, militaris, atque adeò rerum omnium politicarũ, veluti choro iudicum mixtura concinna viſendo) erat compoſita, vrgente cauſarum multitudine, & rerum cõmoditate poſcente, in partes diſtraheretur, duǽque primùm claſſes (altera inquiſitoria, poſtea in duas ſubdiuiſa, quòd anno M.CCC.XX. menſe Febr. factum fuiſſe tradunt) conſcriberentur: receptum fuit, aut certè intellectũ, vt in primanorum claſſe ſemper eſſent faſces autoritatis, ſemper claſſes idem ſentirẽt omnes: vtque in eam rem, ſiquid noui ac perplexi suboriretur, eam claſſem veluti oracularem cæteræ claſſes religioſè adirent. Nec eam coniecturam parum iuuare videtur, quod quancũque claſſem etiamnunc cauſa ſortiatur, ſi quid à Principe ea de cauſa reſcribitur, ſi quid à partibus ſupplicatur, oratur, commentatur, nulla vnquam illius aut illius claſſis, decuriǽue, ſed Curiæ generatim verbis placita cõcipiuntur ac recitãtur: ídque in maximo tribunali, è codice plurimùm ab Actuarii amanuenſibus: interdum autem, veluti ad Natalitia, Liberalia, & alia id genus, more maiorum viciſſim à Quatuorprimis, frequentibus Conſcriptis aſſidentibus, inſigni purpura ſpectabilibus,

ex omnibus claſſibus ad certum numerum coactis, & quaſi earum aut cunctæ potius Curiæ vice fungẽtibus. Vnde placita non niſi maioribus comitiis, aliquando recitari ſolita, non abs re fuerit exiſtimare. Ad hæc, placita, ſi, vt exequantur, ab officio conſignata auferenda ſunt, Regiis verbis concepta, non de claſſis vllius, ſed Curiæ ipſius ſententia, ab Actuario ſubnotãtur: præterquam in publicis aliiſque criminoſis iudiciis, quæ ſanguinario Amanuenſe (ſic enim olim fuiſſe vocatum audiuimus, quem nunc Scribam Criminalem appellant) ſubnotante, profanis Curialibus, vel (vt aiunt) Laicis, aſcribuntur. Nobis enim (inquiunt initiati, vt eſt in Euangelio) non licet interficere quenquam. His omnibus adductus, nequeo non demirari qua mente, quóue conſilio, vir noſtra ætate clariſſimus, de re literaria optimè meritus, & quem in ore atque oculis fero, aliquo in loco ita ſcripſerit. Curia (inquit) æquabili iuriſdictione per omneis claſſes, non vſqueadeò aſtricta eſt, vt idem eadem de re omnibus cẽſere neceſſe ſit: id quod nonnũquam exemplorum varietatẽ efficit. Eſt enim pauciſſimis de rebus ſuus cuiuſque claſſis ſenſus, etiam perpetuus: refẽrtque in iis ſpeciebus plurimùm ad iudicii euentum, qua quidque in claſſe iudicetur. Et alio in loco, Quibuſdam in rebus in iure ambiguis & cõtrouerſis inter iuris autores, vnius claſſis placitum, aliis non eſt prærogatiuum: adeò vna quæque claſſis Curiæ quidpiam habet ſui, quod extra fines illius exemplum non ſtatuit. Nequeo (inquam) non demirari, cùm ille idem alibi eodem volumine, contrà ſenſiſſe videatur. Curia (inquit) in areſtis ſuis faciendis, ſeipſam in poſterum onerat, vt iudices obnoxios, exemplis & quaſi præceptis aſtringit. Poſtea, Apud Curiam ſummæ iuriſdictionis auſpicia ſunt, & exempla ius dicendi prodentis. Deinde, Areſta exemplaria, in iudicãdis cauſis, citantur vt canones iuris dicẽdi. Quæ ſententia cùm Ampliſſimi Ordinis dignitati magis cõueniens, tum certè etiam longè receptior ac plauſibilior eſt. Nec enim quis vnquam temerè crediderit fieri potuiſſe, vt homines numeris omnibus ad iudicis officium pertinentibus abſoluti, (aut enim fuerunt, aut eſſe debuerunt) in Curiarum Curia, Gallici orbis theatro, poſiti commiſerint, vt fabula ſuis partibus omnibus non conſtaret, hoc eſt, Curiæ conſenſus, & perpetui in iudicando tenoris cõſtantia deſydera-

retur. Aliter atque ſi diuerſorum temporum, iiſdem de rebus, diuerſa Curiæ decreta eſſe dicerentur: non eſt enim idem omnium ætatum ſenſus: & quædam neceſſitate, aut temporum iniquitate expreſſa, vt olim Senatuſconſulta quædam, nemo negauerit: ſed eodem tempore iiſdem de rebus, vnum idem (vt ita dicam) Curiæ corpus, vnum idem os, calidum (quod aiunt) & frigidum efflare, & varia atque interdum ex diametro pugnantia proferre voluiſſe, puto neminem exiſtimaturum.

III.

SI ex decem in conſilium de lite miſſis, vnus & alter aut etiam tertius, cauſam conſilii eſſe ampliúſque deliberandum exiſtiment: nihil obſtare, quin id, quod ſeptem conſtituerint, ab eo, qui præeſt, pronuntietur. VIII. Id. Iul. M. CCCC. XC.

IIII.

EVM qui litem enarrauerit, ea de lite, claſſis iudicium perſcribere, cæteríſque iudicibus perlegere teneri. XII. Cal. Decebr. M. CCCC. XXXVII. Decretũ, me hercule, ſanctiſſimũ: quod quidem magna cum religione in claſſibus inquiſitoriis adhuc obſeruatur. In aliis verò ſi quis eſt, qui eam ſui muneris partem, & litigatoribus & toti Reip. non minus vtilem quàm neceſſariam, in Actuariorum amanuenſes, ſuóſue reiiciat, ſi ſecum ipſe reputauerit, quanta mala id aliquando nobis inuexerit, eum mihi facilè perſuadeo temperaturum.

V.

ΤΩΝ ἀρεσκόντων pronuntiationem morte Principis non impediri. VIII. Id. Febr. M. CCC. LXXXIX.

VI.

QVIBVS diebus in ſolenni purpura, more maiorũ Curiæ placita recitãtur, iis, perinde atque altercatoriis, libellares ad Baſilicam Recuperatores ſilere iuſſi. VII. Id. Decembr. M. CCCC. VIII.

VII.

PETEBAT Iacobus Borbonius, Regiis codicillis innixus, placiti pronuntiatio vt ſuſtineretur. PLACVIT morem codicillis non eſſe gerendum. X. Cal. Febr. M. CCCC. VI.

VIII.

NIHIL profuit, rei inter Cliuenſem & Oruallium iudicatæ re-

tractationem, Principis imperio pertẽtaſſe. Nam diplomate in eam rem impetrato ſummotus eſt, qui id moliebatur, & ad iuris remediũ, hoc eſt, ſupplicationẽ, relegatus. V. Non. Maii. M. C C C C. X C I X.

I X.

CVRIAE placita, niſi intra annum lege agatur, interceſſioni eſſe obnoxia, res eſt peruagatiſſima. Sed ſi per Principem factum fuerit, legis actio vt ſuſtineretur: cui annus, aut quod ex eo præterierit, imputabitur? PLACVIT, vt ei, ſecundum quem iudicatum eſt (quod per eum non ſteterit) nihil imputetur. Calend. Septembr. M. C C C C. V I I I.

X.

EA quæ poſthabitis ſummæ Curiæ rationibus, Principe iterũ ac tertiùm iubente, palàm recitantur atque in acta publica regeruntur, per vim atque impreſſionem recitata, regeſtáque exiſtimari placuit. X I I. Cal. Decembr. M. C C C C. X X X V I I.

X I.

DIES intra quos, Curiæ interfationibus, aliquid à litigatoribus alteróue eorum fieri iubetur, niſi ex quo iis eorúmue cognitoribus ſpeciatim pronuntiatæ denuntiatǽue fuerint, placuit cedere non debere. I I I I. Id. Iul. M. D. X L V I I I.

De Tragematis, Tit. V.

I.

X V I. Cal. Iun. M. C C C C I I I, verba facta ſunt in Curia, de Tragematis, quæ litiũ inſpectoribus, dum per Curiam liceret, erogabantur: an id quod in eam cauſam inſumptum erat, in litium ſumptibus æſtimandis, expenſum ferri deberet. ET non debere placuit.

I I.

X I I I I. Cal. Iun. M. C C C C I I I. palàm recitatis areſtis, Petrus Boſchetus, Equeſtris ordinis, è Præſidibus vnus, Curiæ verbis edixit, ſæpenumero ipſi Curiæ allatum fuiſſe, non paucis de Cognitoribus, qui ab iis, quorum lites cognoſcẽdas ſuſcepiſſent, æris vim magnam corraderent, Curiæ nomen litiúmque, tragematis ad cataſtrophen vrgendarum, ſpeciem prætexentes, contra quàm pro Curiæ integritate, iuríſque iurandi, quo illi obſtringebantur, religione deceret.

Eam ob rem, Cognitoribus, ni iuriſiurandi temeratores haberi, ordinéque moueri volent, vetitum eſſe, ne quid eo nomine, niſi Curiæ condonatione, in poſterum exigerent: ſi fortè grauis atque inter magnates cauſa incideret, cùm tragemata ad duas tréſue capſulas permitti ſolerent. O priſcam integritatem, ſeueritatem, grauitatem, dignitatem! O fœdiſſimum (qui ille cunque fuerit) Midæ contactum, quo ſaccharum, ſaccharóue conditum (quicquid illud erat) factum eſt aurum! Fuit qui diceret (quod & peruagatum eſt) multis antè ſeculis, labores litibus iudicandis impenſos, præmiis etiam numariis pēſari ſolitos, quæ dicaſtica, ſportulæ, & (quòd mercedis vocabulum nihil non ſordidum videretur) honoraria appellarentur: itaque coniiciendum eſſe, ea tēpeſtate, iudicantibus omnibus promiſcuè tragemata dari ſolita, ſed ea quæ litis inſpectori darētur, veluti corollaria quædam, & ad veras ſportulas fuiſſe acceſſiones. Ego verò contrà vel hoc vno affirmare auſim, quòd aurum ſportularium, etiamnunc tragemata paſſim appellamus, & in articuloſis expēſorum in litem rationibus, adhuc loquuntur in hunc modum: Pro litis (inquiunt) inſpectæ tragematis, numos aureos duos, vel quotquot impenſi fuerint: neque hoc vnum tantùm aut alterum eſt, quod nihil planè minus eſt, quàm quòd apertiſſimè ſonat.

III.

VENIT in diſceptationem, iuſta ſportularia litium inſpectarum, quas neſcii litigatores tranſegiſſent, vtrum à Principe, an à litigatoribus exoluerētur. ET id litigatoribus incumbere placuit. Prid. Cal. Decembr. M.CCCC.XCIIII.

De ſupplicatione erroris obtentu,

TIT. VI.

I.

TEMPORA aduerſus Curiæ placita ſupplicādi, & ſupplicationum lites ad calculos perducēndi, legibus definita, vel ætate, vel rerum neceſſitate impeditis, non currere: aut ſi currant, impeditos reſtitui poſſe: Læuiſio & Cruſſolio pronuntiatum eſt, Areſtis ſextilibus M.D.LI, Vallio, ad primam inquiſitoriarum exhedram, litis enarratore.

II.

SI, quem litigatores in conſilium miſiſſent, is eos ad ſeipſos remitteret, litis vtcunque inter ſe decidendæ gratia: eſſet, me hercule, quod quis facilius admiraretur, quàm quod æquo animo ferret. Et ego quidem certè reclamanti ſtatim aſtipularer, niſi compertum haberem, quòd XII. Cal. Aug. CCCC. VIII, lite areſto dirempta, & ſub erroris titulo ad diſquiſitionem reuocata, ipſóque areſto rurſus in conſilium miſſo, Patres Conſcripti in tam diuerſa tranſierunt, vt de partibus ad deciſionem adigendis cogitaretur. Sed tandem errorem irrepſiſſe conuênit.

III.

DE PROVOCATIONE à Pontificio iudice miniſtróue, poteſtate ac iuriſdictione velut abutente, interpoſita, & Ampliſſimi Ordinis iudicio confecta, ſupplici erroris patrocinio, cùm Curia expoſtulantem admittere, durum quidem prima fronte viſum eſt, nouum atque inuſitatum. Quia tamen id vnde prouocatum erat, reiuindicationem implicabat, expoſtulationem admitti placuit. Placitum à Chriſtoforo Thoo Cælio, de iure reſpondente, ſine die citatum. Prid. Non. Iul. M. D. LII.

GALLOS CVRIAE

LIB. VI.

De ſummis vectigalium Iudicibus,

ET QVAE SIT EORVM IVRISdictio, TIT. I.

I.

SALINATORE, eodémque Regio Amanuenſe, apud ſummos vectigalium Iudices reo peracto: eis euocatis atque auditis, pronuntiatum eſt, de ſalinatoria quidem, quantum illi cunque volent, iudicare licere: ſed hominis caput, exiſtimationem, Amanuenſis munus cæteráque omnia illis eſſe ſacroſancta. Itaque dum ſuis partibus functi eſſent, hominem ad ſua iura, hoc eſt, ad Curiam eſſe relegandum. XVI. Cal. Iulii. M. CCCC. XCIIII.

II.

SVPERIVS placitum quidam eò referunt, quòd Regii Amanuenſes eximio quodam iure ſint præditi. Alii quòd huiuſmodi iudicibus certo cauſarum, puta oblationalium atque indictionalium, generi attributis, extra eos cancellos egredi longiúſque excurrere non liceret. Citant, ſed ſine die exemplum, cùm apud eos iudices, ſummæ ſuæ iuriſdictionis liti, quæſtio capitalis incidiſſet, & ii vtrique iudicandæ incumberent: Principem huius rei admonitum, & illis & Ampliſſimo Ordini reſcripſiſſe, illis, vt de ſumma lite: huic, vt de capitali quæſtione decerneret. Ferunt alii, in actis eorum, capitale iudiciũ ad marginem connotatum, picto lictore, capitis damnatum obtruncante. Sed vtcunque ſeſe res habeat, hacce tempeſtate, in ore atque oculis omnium, in ſpecie quam nunc proferimus, legis Corneliæ iudiciũ exercuerunt. Treueterreo oblationem, aliúdue id genus petenti, is vnde petebatur, generis claritatem oppoſuit, approbauit, ac tandem vicit. Litis æſtimationem poſtulanti Treueterreus ita præſcribit, Præterquam ſi de ea re tranſegimus, & pactam eo nomine pecuniam tibi numeraui. Vt tranſactione, ita & nume-

ratione pernegata, decreta eſt inquiſitio: decem nebulonibus teſtimonium à Treueterreo denuntiatur: ii pro teſtimonio dicunt. Corrupti falſum dixiſſe accuſantur: διάκρισις conſtituitur, & ita præſcriptioni quæſtio capitalis agnaſcitur. Breuiter ii omnes cum Treueterreo ſubornatore, criminis comperti, horum iudicum etiam vltimùm iudicantium ſententia damnantur, ſubornator, & octo ex ſubornatis ad furcas, reliqui duo ad calamitoſam ἐξομολόγησιν, XVII. Cal. Iulii. M. D. LI. Quo die ad forum venalium, octo illi quadrifida furca, vna & altera, quaterni ſuſpendio vitam finierunt. Subornator autem ſumma ſcala conſcenſa, quæ ſimplici furcæ in medio poſitæ admota erat, cùm reſti ceruicibus inſertis, tantùm non ſtrangularetur, & ad ſpectãtium coronam verba faciens, extrema omnia ſe commeritum profiteretur, prǽque omnibus ſe dolere clamaret, ſua vnius cauſa, octo vitam morte, duobus exiſtimationem ſumma ignominia fuiſſe commutatam, atque ita miſer miſerè tempus extraheret: furca, pedis vitio, cum ſcala, lictore, ſuſpendioſóque collapſa, ope aliquorum adſtantium, qui illi reſtim ac vincula conſciderunt, pileúmque & veſtem, ac (vt nonnulli volunt) equum ſubminiſtrarunt, ſeſe ipſe iuri ac legibus eripuit.

De officio Octouirorum Monetalium et Aurificibus, Tit. II.

I.

INSPECTIONEM atque alia omnia quæ aurificibus præſcripta ſunt, ipſa etiam eorum opificia, ad Octouirorum Monetalium notionem pertinere. IX. Cal. Mart. M. CCCC. LXXXVIII.

II.

PRIDIE Cal. Ian. M. CCCC. XXI. in fiduciæ ſpeciem, placuit æs ſignatum ſublatum conflaríque iuſſum, quod antiquo ſeſtertio, noſtríſue decem denariis, non pluris, indicatum fuiſſet, aurificibus redimere licere: monetam nequaquam. Quòd ſi eius indigerent, illis Octouirorum Monetalium arbitratu proſpectum iri.

LEGATORVM AC RECVPERATO-rum, déque Præfecto vigilum, & conquiſitoribus vrbanis, & ſignatore, TIT. III.

1.

PRAEFECTO Vrbi de medio ſublato, cenſuerat Nomophylax vnà cum Prætoriano Conſilio, vt quandiu eius magiſtratus interregnum eſſe contingeret, Legatus rerum priuatarum iudex, eo fungeretur. Curiæ contrà, Regio Cognitori eam prouinciam mãdari placuit. v. Id. Mart. M. C C C C. X X. Quod ad noſtra quoque tempora vſurpatum eſt: & hoc, me hercule, nequeo non demirari. Enimuero Cognitoriũ munus & Præfectura, duo ſunt magiſtratus tot numeris inter ſe diſpares, vt nec alter alteri iungi, nec ambobus idem perfungi poſſit: quibus è numeris (neque enim omnes hîc percurrere neceſſarium arbitramur) ſatis hæc tria factura puto. Vnum, quod iſte ab Ampliſſimo prorſus Ordine alienus, anguſtis quibuſdam finibus concluditur: Illius verò poteſtas tam latè patet quàm ditio, quàm imperiũ ipſius Ordinis Ampliſſimi, cui additus ac propemodum inſertus eſt. Quod, vel hoc vno licet deprehẽdere, quòd Curialibus in prouinciis, qui res Principis agunt, huius magiſtratus, non ſuis Procognitorum auſpiciis agunt: quorum etiam acta, ſi ad Curiæ diſquiſitionem reuocentur, ferè eatenus aut rata aut irrita, quatenus ab eo magiſtratu agnoſcuntur aut abnuuntur, euadere ſolent. Alterum, quòd alter magiſtratus, alteri nihil non eſt obnoxius. Nam ſi Præfectus, dolo malo, in fraudem legis, ſententiam dixiſſe, hoc eſt gratiæ, vel inimicitiæ, vel ſordibus dediſſe, aut in controuerſiæ ſpecie concipienda, & iure expendendo reddendóque hallucinatus fuiſſe, atque ita litem ſuam feciſſe dicatur (qua in ſpecie receptum eſt prouocatores iudicibus, vt priuatis, diem poſſe denuntiare) Regii Cognitoris primæ ſunt partes, rem (ſcilicet) quæ ſit, vt æſtimet: & ſi Præfectum, Legatúmue integrum, innocentem, officióque ſtrenuè functum inuenerit, totam eius cauſam complectatur: ſin minus, non modò eum ſuæ tutelæ relinquat, ſed & (ſi res ita poſtulauerit) in eum inſurgat, mulctámque vel libello vel ora-

tione irroget. Quòd ſi Cognitori, inito eo interregno, tale quippiam contingeret, dubio procul oporteret eum, aut duas eadem in ſcena ſuſtinere perſonas, aut Cognitoriam interea deponere. Dixerit aliquis, Subſtitui poſſet, qui tãtiſper dum ea res ageretur, pro Cognitore fungeretur. Scilicet ſubditiтius ille (vt ferè hominum mores comparati ſunt) non apud ſe reputaret, Magiſtratum, cauſam de exiſtimatione dicentem, nullum non moturum lapidem, nihil non moliturum, quo vel ſuperior euaderet, vel vtcunque etiam per paluſtria (quod aiunt) ſeſe reciperet, quos ſibi infenſos fuiſſe exiſtimaret, odiis poſtea exerciturus. At ſubdititia illa iuſtitiæ machinula, non niſi organis duobus illis, Regiis Cauſidicis moueretur. Moueretur quidem, ſed neque hoc, omni ex parte, fortaſſe ſatis tutum. Tertiùm, quòd tanta eſt, tam magna, tam ardua hæc Cognitoria perſona, vt cui ea cunque impoſita fuerit, ſi parteis eius omneis perluſtratus, germanum in modum eas agere inſtituerit, vix oneri ferendo ſe parem, vix (inquam) auſit affirmare: tantùm abeſt vt etiam Præfecturæ ſufficere valeat. Is enim Magiſtratus (Cognitorium dico) ille eſt (vt graphicè Budæus noſter depingit) in quem omnes ſuas actiones Princeps, populus, vniuerſi, tranſcripſerũt, aſylum legum, arx iuſtitiæ, innocentiæ aut vim paſſæ aut iudicio circunuentæ propugnaculum, interceſſor rerum malarum, ſuaſor rerum bonarum, præſentis ſemper animi actor & defenſor, de ſententia iuris & æquitatis. φορτίον τὶ διὰ βαρύτατον, & cui leuando, non ſine magna ratione, Cognitori dati ſunt duo illi, quos ipſe habet à conſiliis atque orationibus.

II.

PRAEFECTVM Vrbi à Curia, non etiam à Nomophylace, tirocinii ſacramento rogari ius eſſe. Itaque ea pars codicillorum, qua id Nomophylaci mãdabatur, inducta, quódque de accepto iureiurando adſcriptum erat. Prid. Nonas Febr. M.CCCC.XXI.

III.

PVBLICANVM, qui, ob vectigal pro ſua libidine non ſolutũ, in macellarii procul Lutetiam properantis vaſa viatoria equóſque manũiniecerat, & ad Præfectũ Vrbi in ius vocatus ac fori præſcriptione ſummotus prouocauerat, PLACVIT rectè atque ordine ſum-

motũ fuiſſe. Enimuero ad huius iudicis cognitionem pertinere, ne à quoquam Regiæ vrbis annona vſquam attentetur aut vexetur. Et inſolita vectigalia exigere, quid aliud eſt quàm macellarios vel deterrere, vel tepefacere, atque adeò vexare annonam? Ex tempore ad exhedram rerum capitalium, IIII. Nonas Iulii. M. D. LI.

IIII.

ID quod vulgò dicitur, Præfecto vrbis ius eſſe de iis rebus, quæ eo ſignatore aguntur, & conſequentibus cognoſcendi: à paciſcentibus & eorum hæredibus ad tertios poſſeſſores non produci placuit. Ex tempore, III. Id. Mart. M. D. XLIX. Riantio & Roberto cauſam orantibus.

V.

PRAEFECTO vrbi, viarum purgandarum curam imponi placuit: poteſtate ei facta quoſlibet etiam priuilegiarios, omni interceſſione atque etiam prouocatione ſublata, coërcendi. X. Cal. Sept. M. CCCC. LXXVI.

VI.

VIARVM in vrbe Regia purgandarum impenſam ciuibus ipſis, pro ædium cuiuſque ratione, incumbere placuit. IX. Cal. April. M. D. VI. Quod longo pòſt tempore, ipſo ab Ordine Ampliſſ. repetitum, tandem in legem à Principe tranſlatum eſt, Gulielmo ſuadente Poyeto Nomophylace. Ex qua lege certi numi ſingulis ædibus ſunt impoſiti: quibus exigendis, eámque in rem impendendis, certi ex mechanicis (quos vocant) viciſſim per vrbis regiones aſſignantur: eius rei cura noſtris Aedilibus, hoc eſt, Regionariis Cõquiſitoribus, ſub Præfecti vrbis poteſtate conſtitutis, attributa. Puto equidem neminem non eſſe memorem, quam ipſe prouinciam ſuſceperit: neminem in officio non perſtare arbitror: ſic enim omnes (quãdiu (quod dicitur) nihil aliud paret) de omnibus exiſtimare debemus. Sed verò dum rem cùm ciuibus tum peregrinis iucundiſſimam ac ſaluberrimam, tam bene cõſtitutam, tam diligenter cogendis in numis, cætera tam negligenter adminiſtrari videmùs: facere nequeo, quin aliquid de concepta minuatur opinione.

VII.

PRAEFECTVM vrbi, quòd oblatos apparitorii muneris codicil-

los perlegerit, apud ſe palàm recitari paſſus fuerit, viatorem ſacramento rogauerit, nihil ab eo capere, amanuenſes pro earum rerum elogio Pariſiorum quatuor aſſes, ſignatorem totidem poſſe, interfatum eſt, VIII. Cal. Febr. M. CCCC. XXII. Poſtea verò ſummæ rei iudicio decretum, VI. Id. Maias, quæ proximæ fuerunt.

VIII.

CVM M. V. Præfecti vrbi, quòd ad Priuilegiorũ à Regibus Academiæ irrogatorum aſſertionem vindicationémque pertinet, vicarius, ætate florens ac valens, I. M. legatum rerum priuatarum iudicem iam ætate prouectum, corporéque non nihil obnoxium animaduerteret: à Rege poſtulauit, vt altero eorum vita excedẽte, munus muneri inſereretur. Euocato I. M. atque audito, Rege ipſo, in ſanctiori interioríque conſilio diſceptatore, ſupplicator poſtulatione excluſus eſt: edictóque ſtari placuit, quo Rex Franciſcus Valeſius primus conſtituit, vt eo decedente, qui hoc munere fungeretur, delibata decerptáque Iuriſdictio Supræfecturæ rerum priuatarum, vnde excerpta fuerat, reſtitueretur. Decretum palàm in Curia de Regis imperio recitatum, XII. Cal. Febr.

IX.

AD XIII. Cal. Mart. M. CCCC. XXIIII. factum eſt Curiæ conſultum, de Præfecturæ vrbis Recuperatoribus. PLACERE vt ii à decima ad vndecimam ſedeant:

Vt cauſa ab vno cognoſci exorſa, alteri ſancta ſit.

Vt cauſæ ab ipſis earũ cognitoribus, nõ ab eorũ amanuẽſibus agãtur.

X.

DOMICILIVM Præfectis vigilum Lutetiæ, non abs re à maioribus, vbi eſt, fuiſſe cõſtitutum. Stat enim vrbe media, ad caſtellum Præfecto vrbi, iuri dicundo attributum: quò & vigiles ipſi cõuenire ſolent. Itaque eas ædes locari non licere, ſed ab ipſo Præfecto vigilum Supræfectóue, ſui muneris iugiter obeundi cauſa, perpetuò incolendas eſſe. Ex tempore VII. Id. Ian. M.D. XLVIII.

XI.

VRBANOS conquiſitores ac regionarios, de rebus controuerſis, ſine cuſtode, inquirere non poſſe. IIII. Non. Ian. M. CCCC. LXXXVII.

XII.

SIGNATOR Vrbi Præfecto deſtinatus, illicitarum capturarum poſtulatus eſt, quòd publicas prædiorum in auctionibus addictorum autoritates, à ſe conſignatas auferri non pateretur, niſi duobus Pariſiorum aſſibus in quanque membranam perſolutis, totidémque in ſingulas creditorum interceſſiones, ſiue addictionem præceſſiſſent, ſiue eam eſſent inſequutæ. Defendebat Signator, ſic à maioribus eſſe factitatum: ideóque id ſe ſuo iure ſibi vindicaſſe. PLACVIT, pro cuiuſliber autoritatis conſignatione, etiam ſi mille membranas occupet, vltra duos aſſes, nihil deberi. Omnibus enim, ſuo cuiuſque ordine, bitumine commiſſis, poſtremæ, quaſi ea vna cæteras complectatur, vna manu, vnum ſignum tantùm appendi. Pro qualibet interceſſionũ addictionem inſequentium, totidem aſſes eſſe præſtandos, quòd apud Signatorem fiant, & is eas in commentarios referre teneatur: aliarum addictionem antecedentium, rationem haberi non licere, quòd ad Signatorẽ nihil omnino pertineant. Cæterùm quòd ille aſſiduus non eſſe diceretur, certis ac ſtatis horis, hoc eſt, à ſeptima ad vndecimam matutinam, & à ſecunda ad quintam pomeridianam, iuſſus eſt in officio permanere. Ex tempore, XVIII. Cal. Ian. M.D.LII.

De Præfectis Prouinciarum, & aliis

REGIIS IVDICIBVS, TIT. IIII.

I.

NOSTRA memoria, qui prouinciis præficiũtur, antequam ineãt Magiſtratus, à ſumma Curia præſentes ſolenni iureiurando adigi ſolent. Verùm inuenimus, nec vnum aut alterum, ſuperiore ſeculo, per vicarium ſacramento dixiſſe, puta, Iuridicum Toloſatem, IIII. Non. Octobr. aquis ſaltibúſque Præfectum, XIII. Cal. Nouembr. M.CCCC.XVII. Diœcetam Carcaſonium. Prid. Calend. Martii M.CCCC.XVIII.

II.

SI ſtationes, ſtipendia peditum, foſſores, equos tormentarios, viaticum, aliúdue id genus, Princeps imperauerit, iíſque de rebus lites vllæ ſuboriantur: germanam earum cognitionem ad iuridicos pro-

uinciis Præfectos, non ad oblationales indictionaléſue pertinere.

III.

PROVINCIARVM Præfectos ſtatis ac legitimis diebus ſuis in Curia adeſſe debere. Id. Decembr. M. CCCC. LIII.

IIII.

FVIT, me hercule, noſtra patrúmque memoria, vt, aurei illius ſeculi veſtigiis aliquot adhuc manentibus, magiſtratus hominibus, non homines magiſtratibus ornarentur, nec quiſquam ad honores ſordibus eueheretur: vtque Iuſtitiæ à ſuis (vt ita dicam) ſacerdotibus, maioribus ſemper hoſtiis litaretur. At verò poſteaquam rei (vt prætexere ſolent) numariæ difficultate, Magiſtratus muneráque publica nundinari cœperunt, præter innumeras malorum myriades, quæ hinc Reip. inuectæ ſunt, hoc quoque nec minimum obrepſit: vt adminiſtri Iuſtitiæ dati, à ciuium litibus minuendis ac conficiendis, ad ſuas de Magiſtratibus, muneribus, eorúmque iuribus texendas, ſaxúmque iudiciale voluendum auocarentur. Itaque factum eſt, vt non modò eorum litibus ſæpenumero Curia flagraret, ſed & cæteris propè tempus eximeretur. Inter cætera, iis de rebus, Curiæ placita, illud in primis celebratur, quod recitatum eſt IX. Calend. Ian. M. D. XLIII. Litigatoribus Maturino Galtero, &

De honorariis Iudicum obnoxiæ SENTENTIAE, TIT. V.

DISPLICVIT Ambœſiæ Præfectum, vim auri à litigatore, tragematum nomine, ſemotis (quod aiunt arbitris) accepiſſe: illíque vetitum eſt, nequid in poſterum tale committeret. Cæterùm rem tragematicam ita conſtitui placuit, vt litium, quas poſtulantibus litigatoribus ille inſpexiſſet, iudicaſſet, tragemata, non ſuo vnius arbitrio, ſed de omnium ſententia, qui illi in conſilio adfuiſſent, æſtimarentur. AEſtimata, darentur Actuario, à quo ille acciperet, ſéque accepiſſe teſtaretur, breuiculo ſententiæ adſcribens, quod, à ſe & aliis, qui ſententiam dixiſſent, ſubnotatum, apud acta depoſuiſſet. Sic enim omnem abfore ſordium ſuſpicionem. Placitum extemporale pomeridianum VII. Cal. Sept. M. D. XXX.

De Regiis Subcauſidicis & Pro-

COGNITORIBVS, TIT. VI.

AMBOESIAE Præfectus Regiis apud ſe Cauſidico & Procognitori, quòd criminoſæ liti publicam operam dediſſent, honorarium in priuatos litigatores æſtimauerat, exigíque iuſſerat, omni poſthabita prouocatione. ET PLACVIT perperam eſſe factum, vetaríque ne vnquam tale quicquam admitteretur. Placitum extemporale pomeridianum, VII. Cal. Sept. M. D. XXX.

De Militaribus rerum capitalium

QVAESTORIBVS, TIT. VII.

I.

PRAEFECTORVM prouinciarũ, in militares rerum capitaliũ Quæſtores, placuit imperium eſſe nullum. Ex tẽpore, III. Id. Decembr. M. D. XLVIII. Litigatores Suppræfectus Laudunenſis, Laurentius Polalerius Quæſtor.

II.

REGIORVM codicillorum, vel noxæ reos eximentiũ, vel inſontes commendantium comprobationem, ad militares rerum capitalium Quæſtores, tametſi alioqui ſua ſit iuriſdictio, non pertinere. Eodem die, iiſdẽmque litigatoribus.

De Inquiſitoribus in genere,

TIT. VIII.

I.

INQVIRENDI, aliúdue agendi prouincias, non aliis quàm Curialis ditionis magiſtratibus eſſe decernẽdas. Prid. Id. Ian. M. CCCC. XCIIII. Quod ad noſtra quoque tempora valuit: ſed nunc in deſuetudinem paulatim abit, tametſi optima ratione introductũ eſſe videatur. Siquid enim animaduerſione dignum, ſuſcepto in munere, admiſſum fuerit: planũ eſt, facilius eſſe huc eum euocari, qui noſtræ, quàm qui alienæ ſit ditionis, quod non ſine alius Curiæ, vel Principis venia fieri ſolet. At eam impetrare, neque minimi ſemper eſt ſumptus neque negotii.

II.

DE controuerſia quam Turonicus Inquiſitor, certis de ſui muneris iuribus, habebat cũ Iuridico eius prouinciæ maiore, PLACVIT vnius Inquiſitoris partium eſſe, de controuerſiis omnibus inquirere, præterquam de quibus eam ſibi Iuridicus prouinciam reciperet: quod cùm faceret, Inquiſitore, non alio, ſubſcriptore vteretur. Cæterùm ſi litigatores inquirẽdi prouinciam peregrè mandari poſtularent, eſſe audiendos. IX. Cal. Febr. M.CCCC.LXXXVIII.

III.

INQVISITOREM ſeorſum ab optione, aut alterum ab altero, non rogare teſtes, quanti noſtra interſit, nemo non videt. Hoc igitur mulcta graui denuntiata, iure optimo, Curia vetitum voluit, V. Id. Febr. M.D.XLVII.

IIII.

REORVM elogia priuatim nemo habeto.
Ea apud acta publica depoſita ſunto.
Curiæ conſultum factum IIII. Id. Ian. M. CCCC.LXXXVII.

De pactorum Perſcriptoribus,

TIT. IX.

I.

PVBLICOS pactorũ Perſcriptores, quos noſtri homines Notarios appellãt, coram paciſcentibus pacta perſcribere, perſcriptáque perlegere oportere. Prid. Non. Septembr. M.CCCC.XXIII.

II.

PACTORVM Perſcriptoribus, non etiam Quæſitoribus vrbanis ac regionariis bona recognoſcere, familiam erciſcere, commune diuidere ius eſſe: Quæſitoribúſque vetitum, ne quid contrà moliri auderent. VI. Id. Apr. Anno à Martinalibus. M.CCCC.XXIII.

De Secundariis, vel non Regiis

IVDICIBVS, TIT. X.

I.

ALENCONIO Duci Iuridicos agere cõuentus, quod Scacarium appellãt, Curiæ decreto licet quidem: ſed vero quodam modo mu-

tilos, nihílque non obnoxios. Nam præterquam quòd duntaxat quædam autoritas eſt iudiciúmque fiduciariū, non antè licet, quàm maioribus, nempe Regiis, captis auſpiciis, veniáque impetrata aliquot è Curiæ Conſcriptis cooptandi, qui, cum aliis à Duce deſignatis deſignandíſue, prædiarias lites aliáſque legibus ac moribus patriæ comprehenſas vltimùm iudicent: receptis interim de vi à Duce ſuíſue eius mandatu illata, agnitáue, iuríſque negatione iudiciis, ac Epiſcopatuum Regaliorúmque & iuris prodendorum ſacerdotum, in locum demortuorum ſufficiendorum, controuerſiis, maieſtatis etiam aliorúmque criminum ſpeciebus eximiis, nulláque ſummi imperii captione. Placitum recitatum VII. Id. Iulii. M. CCCC. LXXXVII.

II.

PENES collegia iudicum Regiis auſpiciis iudicantíum id honoris ſemper fuit, vt eorum acta, decreta, placita, in cuiuſque collegii verba, nullius iudicum nomine perſtricto, conciperentur: neque vlli alii iudices eo honore digni ſunt habiti. Quapropter & multis Curiæ conſultis vetitum eſt conditionis obnoxiæ conuentus agentibus, ne quid edant ſine ſui nomenclatura.

De viatoribus, Tit. XI.

I.

ELEGANTER & rectè à maioribus celebratum eſt, ſuum digno cuique honorem eſſe tribuendum. Et ſi cui dicendus eſt dies, vel in eum lege agendum, quid viatori, vel etiam Principis ipſius abrogatur dignitati, ſi eum, in cuius ditione id fieri contingit, viator primùm ſalutauerit, ab eóque petierit, vt ſibi ea in re, imò verò Principi, cuius miniſter eſt, non modò per ſuos adſit, ſed per ſe quoque, ſi res ita poſtulauerit? Quod cùm à viatoribus negligi Dux Vindocinenſis quereretur, illis omnibus vetitum eſt, ne quid intra ditionis illius fines, niſi petita venia, pro poteſtate agerent: præter eas ſpecies, quæ, in lege à Philippo Pulchro de ea re lata, ſunt enumeratæ. Ex tempore, Pridie Id. Aug. M. D. LII.

I I.

AD III. Id. Sept. M. CCCC. XXVI, viatoribus initiatis imperatum eſt, vt intra Candelalia & vxores ducerent, & perſonam, x. Cal. Nouembr. quæ proximæ fuerant, ei ordini præſcriptam induerent: alioqui ordine mouendi. Quæ quibus de cauſis conſtitui debuerint, temperamus: finem tantùm dicimus, quem præcipuum exiſtimamus, vt ſcilicet eiuſmodi homines, ſancti verticis præſidio, ſua ſponte caſſi, & facilius continerentur, et ſi quicquam ſecus admitterent, ad pœnas commodius repoſcerentur.

I I I.

SATIS exemplorum editum eſt vnius in Rep. mali, vt non minus ei quàm cæteris medendum eſſet. Enimuero fuerunt (vtinam amplius non ſint) homines multi tam improbè litigioſi, vt aduerſarios propriis litibus exercentes, non antè ſuo ſatis animo facerent, quàm ſi alienis, aut redemptis ex profeſſo, aut vſurpatis clanculum, etiam diuexarent. Inter cæteros, quibus id calamitatis à foro vſu venit, fuere, nec vnus aut alter, quibus ipſi Cognitoriam operam impendimus. Vnus præcipuè, cui ob litem vſqueadeò infenſus fuiſſet aduerſarius, vt in iuueniles hominis annos curioſius inquireret, & multis iam annis decretam corporis comprehenſionem, non modò ſuis partibus planè defunctam, ſed & reo iam olim comperendinato, exuſcitaret, efficerétque vt is duceretur, iis, ad quos ea res pertinebat, nec opinátibus. Qua de re poſt multa inter priuatos lata iudicia, tandem in communem omnium vtilitatem, ad VI. Id. Iul. M. D. XLVI. factum eſt Curiæ Conſultum. APPARITORES iuſſi omnes, lege cùm egerint, non tantùm quid cuiuſque nomine fecerint renuntiare: verumetiam quo inſtigante, cuiúſque per manus id acceperint, vnde à ſe lege ſit actum.

I I I I.

APPARITORI, ſe, alicuius rogatu, ſui muneris quidpiam feciſſe renuntianti, eius, qui rogaſſe dicitur, abnegationem, fidem non abrogare, niſi etiam qui abnegat, eo ſe nomine, lege Cornelia de falſis acturum, ſolenni profiteatur inſcriptione. Eius rei placita multa quidem, ſed ἀνώνυμα laudabat Franciſcus Marillia-

cus Cauſidicus, dum Lucæ Loduneo aduerſus Iacobum Chaſteum ſcriptitaret.

De carcerum cuſtodibus & carratico, TIT. XII.

I.

CVSTODIAS, ſeu ſacras, ſeu ſacris initiatas, à ſuis Pontificibus ad tranſlatitii criminis quæſtionem poſtulatas, carcerariæ mercedis ſpecie, negari non debere. Res enim ſuas, hoc nomine, Pontifices profanas hypothecæ dediſſe intelligendos. Id. Decembr. M. CCC. XCII.

II.

REX Henricus Valeſius ſecundus ſanciuit edicto, quod Nonis Ian. M. D. XLVII. palàm in Curia recitatum eſt, atque in acta publica regeſtum, ne poſthac pro carceratico, Phylaciſtæ, pluſquam per octo dies, cuſtodias remorentur, interea dum de earum fortunis compendiaria diſceptatione cognoſcatur: vt ſi ad incitas redactæ comperiantur, vectigalibus quæ à Phylaciſtis regi penduntur, id eatenus imputetur, quatenus eſt edicto comprehenſum. Si contrà idoneæ, ipſæ pignorum captione coërceantur.

De Magiſtratibus municipalibus, TIT. XIII.

I.

EDICTI palàm in Curia recitati, Cal. Ian. M. D. XLVII, atque in acta publica regeſti, capite primo, ſancitum eſt ab Henrico Valeſio ſecũdo ſummarum Curiarum principes, Curiales, aliíue vbivbi à Rege adminiſtri iuſtitiæ dati, Cauſidici, Cognitores, Pragmaticíue, Magiſtatus municipales ne ambirent, néue in eos allegerentur, néue eos inirent, caperentue. Altero capite, inferiores vllæ aliæ ciuitatũ publicæ functiones, præterquam in rem cuiuſque ciuitatis publicam, ne venirent. Qua quidẽ ſanctione, bona Opt. Principis venia, eorúmue qui eam Principi ſuaſere, præter communem omnibus, ex ſecundo capite, auaritiæ notam, togatorum penè omnium

nomini labes, nec certè leuiſſima videtur aſperſa. Nam Iuridicos omneis, præſertim Curiales, in quibus non ſecus ac militibus, ſtrenua obeundi muneris aſſiduitas in primis cõmendatur, in aliquam (vt ita dicam) emanſionis ſuſpicionem vocauit, & captatæ non modò popularis auræ, verumetiam aulicæ gratiæ interim aucupatæ: quod tamen Principibus ipſis, noſtra patrumque memoria, aliquando vſui etiam fuiſſe compertum eſt. Cæteros atque in primis Cauſidicos (nam ii ciuilem, & certè frequenter, Quatuoruiratum apud nos inierunt) nec obſcurè quidem perſtrinxit. Alios, quòd primi in foro nominis, καὶ ἐν τοῖς δώδεκα (vt nonnullis forſan imprudentibus aliquando excidit) capturis ad Baſilicam inhiantes, Rempublicam nonniſi perfunctoriè adminiſtrauerint. Alios, quòd ſi per doctrinã & eloquẽtiam, eiuſmodi vitæ inſtituto, eis rem in foro ſuam facere licuiſſet, ita ſunt homines, vt ad publicã nunquam ſeſe cõtuliſſent. Omnes fortaſſe, quòd fori moribus, vt cõparati ſunt, impediri magis Reipub. moderatio, quàm iuuari poſſet: & iuriſprudentia, quæ Reip. maximè conſtituendæ cauſa, tot ſeculis tantíſque ſudoribus collecta eſt, eòtandẽ ferè detorta ſit, vt eam, ad Rem ipſam publicam, litibus in dies ſuccreſcentibus, non modò perturbandam, verumetiam euertendam, conflatam eſſe dicas. Sed ſi Deus Opt. Max. aliquando dederit, ἔσται πάντα καλῶς.

II.

PRAEFECTO, Patribus, Decurionibus Rupellanis ob rebellionem exautoratis, ipſóque ordine deleto, & poſtea Principis indulgentia reſtituto, nouorum Magiſtratuum creationem ciues indixerunt Habito delectu creatíſque magiſtratibus, prouocatis nonnullis obiiciebatur, infecta exautoratorum radice editos, & qui pecuniã (ciuibus licet autoribus) numeraſſent, eiuſmodi honore eſſe indignos. Reſpõdebant prouocati, ordinis reſtitutione labem rebellionis elutam: cæterũ, ſe nihil pecunia tentaſſe: ciuibus ſuis tantùm paruiſſe, qui dum creationẽ indicerent, addiderant, eorum qui crearentur, quemlibet, Reip. gratia, centum numeraturum. PLACVIT vt rebus infectis factis, magiſtratus ab integro crearentur. Nec patrum exautorationem, quòd ordinis reſtitutione, veluti poſtliminio quodam, filii priſtina iura recepiſſent: nec pecuniæ numeratio-

nem, quòd electioni cauſam non dediſſet, prouocatis vllatenus obfuturam. Ex tempore v. Id. Iun. M. D. L.

De publicis Iuris Profeſſoribus,

TIT. XIIII.

I.

MORIBVS à nonnullis vel ſtatutis, vel Curiæ decretis, in academiam Aurelianicam, haud ita pridem inductis, comparatum eſt, vt cùm primùm iuriſprudentiam profitentes magiſtratum inierinr, eorum munera in caduci cauſam ceſſiſſe exiſtimentur. Contigit vt Iohannes Truchius Iuriſconſultus, homo, lectiſſimorum omnium ſentẽtia, omnibus virtutis, doctrinæ, eloquẽtiæ numeris abſolutiſſimus, eo ex ordine ad Regem euocaretur. Cúmque tum magiſtratuũ nihil aliud eſſet, quo eum opportunè Princeps optimus exornaret: longè meliora merẽtem, ſperaréque iuſſum, Curiæ interim aſcripſit Allobrogicæ: gratiámque fecit profeſſorii muneris, ad tempus, per vicarium obeundi: vt intra id temporis, facto periculo, conſtitueret vtri ſe functioni addictum mallet. Quod alii profeſſores vt audiũt, extemplò collegam non de ſe modò, academia, ciuibus, verumetiam vniuerſa Rep. optimè meritum, &, quem par erat eius rei antea commonefacere, profeſſorio munere caſſum euulgãt, alium in eius locum ſufficiunt, aliáque cõplura deſignant, aut certè malus aliquis, eorũ nomine, genius. Quis enim ſibi facilè perſuaſerit, huiuſmodi viros qui æqui boníque notitiam profitẽrur, quicquam vnquam nimiũ feſtinanter, quicquam temerè, quicquam incõſyderatè facturos? At Truchius, domum ad res cõponendas reuerſus, facit, vt prouinciæ Præfectus, Regiis verbis, profeſſoribus edicat, vt gratiæ pareãt. Prouocatione res ad Curiã defertur. Decernit interea Princeps, vt tametſi Truchius, gratia nondum à Curia cõprobata, magiſtratum inierit, ea tamen rata ſit, & contra eam deſignata, irrita facit omnia. Euocãtur profeſſores: mirum quot perſonis ſcena ſuccreuerit, quot litigatores in litẽ ſeſe demiſerint, quæ tragœdia inde fuerit excitata. Re admodũ ſemel atque iterum concertata, addidit Petrus Lizetius, Curio ſummus, vir multis (vt palàm eſt) nominibus clariſſimus, atque inter cætera, pro ingenii acumine, in tractandis, &, cùm

res ita poſtulat, repræſentãdis iudiciis ſolertiſſimus, academiam non Regiis tantùm, ſed etiam Apoſtolicis fundatam auſpiciis, non alterutrius, ſed amborum gratia, autoritate, potentia niti. Itaque videndum, Regíſne ſolius eſſet, an etiam ſummi Pontificis, morum, ſtatutorúmue academicorum gratiam facere. Conſurgitur in conſilium, diſceptatur, & iudicibus non ſatis inter ſe conuenientibus, comperendinatur. Tandem ad VII. Cal. Mart. M. D. XLVIII. fit Curiæ decretum. Comprobatur vtrunque diploma. Recipit Truchius ſarta tecta omnia, atque in primis profeſſorii muneris fructus: tempus de functione conſtituendi, à decreti recitatione auſpicandum: poteſtatem per vicarium interim profitẽdi, eam fructuũ partem, quæ areſto, anno M. D. XII. pronuntiato, huiuſmodi vicariis attributa eſt, accepturum. Quæ omnia, cùm ob exẽplaris decreti nobilitatem, tum etiam propter eius ſecundum quem factũ eſt, celebritatem, exiſtimauimus eſſe digna, quæ non modò noſtris qualibuſcunque commentariolis, verumetiam tabulis æneis exciperentur.

De Medicis, Tit. XV.

I.

„ VLP. lib. primo opinionum ſcripſiſſe traditur, ſicuti medico imputari euẽtus mortalitatis non debet, ita ei id quod per imperitiam commiſit, imputari debere: prætextu enim humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo hominis, innoxium eſſe non debere. Traditur (inquam) ille idem lib. XVIII. ad edictum, Proculum retuliſſe dicentem, ſi medicus ſeruum imperitè ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia competere actionem: & Caium lib. VII. ad edictum prouinciale tradidiſſe ferunt, idem iuris eſſe, ſi medicamento perperam vſus fuerit. Sed quid, ſi neque imperitè, quia doctus, neque omnino perperam, quia morbi genus perſcrutatus ſit, inieritque rationem, cur hoc, quàm illo potius remedio vteretur, verùm audacius aliquid ac vehementius conſtituerit? ET medico eius audaciæ inſimulato, atque idcirco in Curiam inducto, denuntiatum eſt, ni temperaret, eam in illum animaduerſuram. Neque enim & hoc erat rectè, ſed quadantenus prauè perperámque medicari. VII. Cal. Maias. M. CCCC. XXVII.

De Gymnaſiis & Gymnaſiarchis,

TIT. XVI.

I.

ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΙ'ΑΝ, ludíue literarii principatum inter ſacra (quæ vocant) beneficia, non eſſe connumerandum, ſed ταῖς οἰκονομίαις adſcribi debere: quibus, qui eas inſtituerint, eorúmue ſucceſſores, quos præficere libuerit, poſſunt. Itaque litigatoribus ſummotis ambobus, Huxo (ſcilicet) ac Saluagio, & foro ac lite exeptis: hoc, quòd plus in prouentibus haberet, quàm quod ſcholæ Pariſiis Turonicæ, de cuius adminiſtratione controuerſia erat, legibus liceret: illo quod ταύτην τὴν οἰκονομίαν à ſummo Pontifice, veluti beneficium impetraſſet: eam curam Lodoico Querculo, Hebraicarũ literarum profeſſori doctiſſimo, mandauere, tantiſper dum gymnaſii res peruerſè conſtitutæ in ordinem reſtituerentur. Primæ inquiſitionum Claſſis decretum, Maynardo litis enarratore, pronuntiatum VII. Id. Maii. M. D. LI.

II.

QVOD Thraſunculus aliquis, indignatus à viatore ſe monitum, ad diuæ Virginis matris, vt inter ſacra deambulare ac confabulari deſineret, ipſi viatori è gymnaſio quodam ſtruxiſſet inſidias, & eum ad necem propè vulneraſſet, Aduocatione Regia poſtulãte, factum eſt Curiæ conſultum in hæc ferè verba:

Gymnaſiarcha, neminem in gymnaſium, gymnaſiíue partem, niſi qui fide bona, literis operam dare inſtituerit, admittito.

Ianitorem, qui introeuntes & exeuntes Cerberea diligentia obſeruet, adhibeto.

Vno quoque die, omnia gymnaſii cubicula perluſtrato.

Suorum omnium, per ſingulos menſes, regionario Conquiſitori nomina edito.

Ex tempore, V. Id. Iun. M. D. LII.

Politica alia quædam, Tit. XVII.

I.

AD XV. Cal. Iun. M. CCCC. publici noſocomii ſues vrbe abigi placuit. Quod quàm politicum eſſet, quámque neceſſarium, vt fortè prioris, ita & poſterioris temporis euenta docuere. Nam præter

cætera, quæ de ea re noſtra ætate allata ſunt, hoc ipſi cõpertum habuimus, Infantem (ſcilicet) ad noſocomium è regione expoſitum, faſciis, quibus erat inuolutus, de tabernæ prominente menſa, qua iacebat, pendentibus, à ſue Antoniana in pauimentum pertractatum, faciéque depaſta miſerè exanimatum.

II.

EA lues, quam Galli modò Hiſpanicam, modò Neapolitanam, Itali & Hiſpani Gallicam: noſtri verò medici, vt aliquò tandem nominis conſiſteret, ſcitè quidem veneream appellarunt: ſeculi huius auſpiciis, vſqueadeò tetra ac contagionis plena iudicata eſt, vt illa qui laborarent, perinde atque elephanticos, vrbe exigi placuerit. IIII. Non. Mart. M. CCCC. XCVI. Sed poſtea, ſucceſſu neſcio quo, tam crebra, támque familiaris facta eſt, vt ſua conſuetudine, hocce conſultum in deſuetudinem abire compulerit.

III.

MOLITVRAE mercedẽ non amplius triticariã, ſed numariã fore. XIII. Cal. Mart. M. CCCC. XIX, & IIII. Cal. inſequẽtis Apr.

IIII.

PISTORIBVS interdictum eſt, molitores ne eſſent, néue molitoribus operam darent, néue cum eis ſocietatem inirent, centies vicenis aſſibus interminatis, ac numellari ad forum venalium verſatione. V. Id. Iul. M. CCCC. XX.

V.

PISTOREM, panem iuſto ac legitimo minorem venditantem, pecunia primùm, deinde numellari ad forum venalium verſatione, poſtremùm exilio mulctandum eſſe. Prid. Calend. Apr. Anno à Martinalibus M. CCCC. XVIII.

VI.

VINVM conducere vehendum, & poſtea illud aduerſus conductionis fidẽ delibare, diluere, cõſpurcare (quod planè furtũ eſt) tam erat eius artis hominibus frequens ac familiare, vt quoties illi id aſſumerent, viderentur quodã modo ſuo iure ſibi vindicare. Vſqueadeò (inquam) in iis rei alienæ cõtrectationibus conniuebãt penè omnes, vt eas tandem in mores dixiſſes eſſe abituras, niſi aliqui eius generis fures in ipſos Curiæ Cõſcriptos hoc quoque audere cœpiſſent. Au-

ſos igitur ac criminis compertos, Haqueuillano reos peragente, calamitoſa exhomologeſi, fuſtibus, æréque mulctari placuit: vectoribúſque omnibus, ſi quid amplius tale deſignarent, ſuſpendium interminari, atque eam in rem decretum per compita, portus, foráque vinaria Curialis ditionis omnia, præconio promulgari. IIII. Id. Febr. M. D. L.

VII.

SI publica neceſſitas vrgeat, non modò priuatos, verumetiam ipſum Principem, eam ſubleuare teneri placuit: vtpotè cùm anno M. CCCC. XIX. Lutetiæ, maxima ligni penuria laboraretur, VI. Cal. Decembr. factum eſt Curiæ conſultum, Regem ex ſyluis Bondiſia & Senartia ſuis, ad LX. iugera venundare teneri: binis quibuſlibet iugeribus ſexies, aut ſummùm octies vicenis aſſibus indicatis: lege etiam mercatoribus dicta, ne pluris ſeptem aſſibus & ſemis, ligni confecti modulum, vicenis, centenos lignorum maiuſculorum faſciculos diuenderēt. Quæ à nobis accuratius recitata, moroſus fortaſſe quiſpiam πάρεργα eſſe dixerit. Sed ſpero non defuturos, quibus interim non ſit iniucundum habere, quo temporum demirentur varietatem: atque in primis Curiam Regiis de rebus tum ita decernentem, nunc in ordinem coactam: & ligni multò maiorem, noſtra, quàm illa ætate caritatem, tametſi hactenus tanta eius inopia non fuerit. Nec longè diuerſum paulò pòſt (Non. ſcilicet Decembr.) cōſtitutum eſt in eos, qui vicina Lutetiæ nemora habebant: nempe etiam vendere, ſed æquabili pretiō, teneri.

VIII.

ID iuris ac dignitatis, quod à viris in fœminas tranſfundi, atque etiam poſt fata quadantenus veteres manere voluerunt, in exemplum eò vſque protractū eſſe videmus, vt fœminæ viris opificibus & tabernariis ſacramento adactis viduæ, eorum artes per famulos idoneos paſſim exerceant. Eius rei exemplum editum eſt XIII. Cal. Decembr. M. CCCC. XXVII, Iohanna Alano Poquelino vidua, & tonſorum collegio, de ea re diſceptantibus. PLACERE vt ea vidua, per atrienſes, tonſoriam exercere poſſet: non autem ſecare, aliúdue chirurgicum audere, niſi per experientes, nec antequam ii recuperatoribus à Curia dandis ſeſe approbaſſent.

L.i.

IX.

CONTROVERSIA, quam & Pannarii & Sartores interpolatoribus mouerant, inficialiter conſtituta: interpolatoribus interea vetitum eſt, puro panno veſtimenta ne ſarcirent, quæ inter promercalia eſſent habituri. IIII. Id. Iun. M. CCCC. XXVII.

X.

NON vt martium pelles, ita etiam alias, ſcheda contegere licere. Itaque publicationis, mulctæque arbitrariæ indictione ſancitũ eſt, ne quis pelles in eam formã contextas venum exponeret: pellione, qui ſecus fecerat, interim pecuniæ damnato, & pellicularia biẽnium abſtinere iuſſo. XVII. Cal. Aug. M. CCCC. XXI.

XI.

SANCTIONE vetitum eſt, aurifices in fabricãdis operibus, auro, argento improbo ne abuterentur: néue quicquam expolirent, quod antè non ſignaſſent. VI. Id. Mart. M. CCCC. XXVIII.

XII.

TOYΣ πρεξενητὰς Reipublicæ quidem cõducere palàm eſt, ſed non omnes. Rectè igitur placuit certo numero definiendos eſſe, qui ſeſe inſpectoribus approbarent, & non modò prædibus ad certam pecuniæ ſummam cauerent, ſed & laudatores darent: quod ſpeciatim de re pannaria decretum eſt. XVI. Cal. Maii. M. CCC. LXX. poſt Martinalia.

XIII.

PERSONAS, quàs adhuc multi facies ementitas, alii & vulgatius quidem maſcas (forſan παρὰ τὴν σκιαμαχίαν, voce mutila & ſyllabis inuerſa) vocant: inter ea quæ Reip. non modò nihil proſunt, verumetiam obſunt quàm maximè, neminem puto non connumeraturum. Hiſce nanque (vt ita dicam) tectoriis, & quibuſdam veluti præſidiis, nulla non ſtupra, nulla non adulteria, nulla non latrocinia, nullæ non cædes, nulla non alia facinora, noſtra quoque ætate, deſignata fuere. ITAQVE placuit earum nundinatione vbicunque, atque in primis ad Baſilicam, omnibus interdici. VI. Cal. Maii. M. D. XIIII.

De ſtatu hominum, Tit. I.

I.

VIX vnquam aliquis prima fronte laudauerit eum, eámue, quem quámue, quis quæue, quantumlibet ſolutus vel ſoluta, ex adultero vel adultera ediderit vel ſuſtulerit, iuſti ac legitimi, iuſtæue ac legitimæ, filii filiæue iure donari. Hoc enim adulteria & ſtupra non modò non eſt coërcere: verumetiam homines ad malum ſatis alioqui procliues quodammodo inuitare. Sed ſi Principis ſupra leges conſtituti poteſtatem penitius introſpexeris, & quàm penes eum ſit arbitriũ & ius & norma ab altero bonis alterius ſuccedendi, huiuſmodi veniam, ſi tamen eam perrarò dari contigerit, nemo facilè improbauerit. Quamobrem eius generis veniæ, quam filiæ, Bellouacæ primùm à patre putatiuo, deinde ab ea venia, Leſtardatiæ nuncupatæ, parens naturalis impetrauerat, morem geri placuit. Areſtis Liberalibus M. D. LI. magna (vt videbatur) audientium admiratione.

II.

A PRINCIPE, Theob. Lucemburgius, Laudunenſium Antiſtes, impetrauerat, vt filii naturales, quos ipſe antequam ſacerdos crearetur, ex concubina ſuſtuliſſet, pro iuſtis ac legitimis haberentur: effeceràtque vt veniæ diploma non modò apud rationum Præfectos, verumetiam apud ſuum partium iudicem in acta publica relatum eſſet. Quia tamen non etiam illud Ampliſſ. Ordo cõprobaſſet, & ipſe filiis teſtamento legata ſcribens, eos quoque naturales aut (vt vulgò dicitur) baſtardos appellaſſet: ea re à Carolo Lucemburgio, Briennæ Comite, in controuerſiam adducta, tam naturales haberi placuit, quàm ſi à Principe nihil eſſet impetratum. Diplomatum enim non impetrationem, ſed exequutionem attendi: quæ niſi numeris omnibus abſoluta ſit, oleum & operam luſeris. Quod & ipſum teſtatorem non præteriiſſe, facilè fuerit coniicere: alioqui

neque naturales appellaturum, neque eis legata, ſed ipſam hæreditatem fuiſſe relicturum. Areſtis Natalitiis, M. D. X L V.

De minoribus viginti quinque annis, TIT. II.

I.

MINOREM viginti quinque annis, qui ob præſentem pecuniam rémue aliam ſibi datam, alioqui futuram dantis hæreditatem eiurauerit: hæreditatem poſtea petere non poſſe, ſed ne ius naturæ quidem, ſæpiſſimè reſponſum & iudicatum eſſe, ego didici, & Chartarius affirmat, his potiſſimùm rationibus. quòd ſcilicet (vt in prouerbio eſt) vnum aliquod præſens futuris duobus antecellit: & euenire eſt, vt qui nunc dat, vniuerſum poſtea patrimonium decoquat: aut eius hæreditas ære alieno exhauriatur: aut tale quidpiam accidat, vt ne floccus quidem ad hæredem peruenturus ſit. Et hæc quidem quòd ad prouincias, quæ moribus reguntur, pertinet: nam legibus & iure ciuili Romanorum aliter conſtitutum eſt.

II.

ADVLTAE virginis, orbæ parẽte ac dote caſſæ, fundum, ob eam nuptui collocandam, de gentilium & propinquorum ſententia, ſine decreto tamen, tutor ſic alienauerat, vt veluti à futuris coniugibus partus haberetur. Soluto matrimonio, vxore de patrimonii alienatione conquerente: tametſi palàm eſſet id à maioribus factitatum, placuit tamen alienationem contra ius eſſe factam. Areſtis Natalitiis, anno M. D. X X X V.

III.

ANXIAM illam, in lege agendo, mobilium excuſſionem, Franciſci Valeſii primi conſtitutione ſublatam, ad prædia minorum diſtrahenda non pertinere: ideóque minoris prædium noua formula captum, plurimóque licenti, ſolennibus etiam programmatis omiſſis, addictum, auferri placuit, menſe Ian. M. D. X L V. Regnartio ex Cauſidicis altero.

TIT. III.

I.

» ANDIVM moribus ita cauetur, Homo genere clarus ſi ſacris filiam ceremoniis addixerit, pars hæreditatis alioqui filiæ cõpetitura, filio natu maximo acquiritor. Ex hoc Duretallius maior aduerſus fratrem natu minorem colligebat ac contendebat, ſororis, quam mater addixiſſet, partem ad ſe omnino pertinere: quòd hominis appellatio promiſcua eſſet, & maſculino vocabulo etiam fœminæ cõtinerentur. Minor contrà, eam non eſſe Gallici ſermonis proprietatem, vt ſi quis hominem diceret, fœmina quoque intelligeretur. Cæterùm, mores contra ius commune comparatos ſtrictè eſſe accipiendos, exhæredationes non adiuuandas. Qui mores conſcripſerant, ſi de vtroque cogitaſſent, dicturos (vt aſſolet) fuiſſe, Homo, fœminàue, clarus, claràue. BENIGNE placuit natu minorẽ cum maiore ad ſororis partem admitti. Placitũ, Marilliaci Regii ac publici, tunc autem priuati Cauſidici patrocinio conflatum: Hoſpitali Conſcripto, litis enarratore, vt ipſe Marilliacus, ſine die tamẽ, indicauit.

II.

ΕΜΦΥΤΕΥΣΕΩΣ χάριν datus eſt fundus Mæuio & Titiæ cõiugi, eorúmque liberis ex legitimo matrimonio natis ac naſcituris. Controuertebatur an liberi, quos alter cõiugum, altero vita functo, ex alio matrimonio ſuſtuliſſet, edidiſſet, iis verbis comprehenderentur. ET PLACVIT eſſe cõprehenſos: aliter atque ſi conſtantis tum matrimonii mentio tantùm habita fuiſſet. Areſtis Liberalibus, M. D. LII. Collierius admonuit.

III.

BONIS eccleſiaſticis, non quidem diuinis & ſacris (quod vulgò ſpiritale) ſed humanis tantùm ac profanis (quod temporale vocant) cùm res ita poſtulat, manum iniicere licere, antiquum eſt ac certè religioſum: ſed vnde nõnunquam malignandi arrepta fuerit occaſio. A viatore in ſacerdotem ſacríſue initiatum his ferè verbis lege actum erat: Quandoquidem tu iudicatum ſoluere detrectas, prouentui & temporali tuo manum iniicio. Iniicis tu quidem (inquit detrectator) & ego Ampliſſimum Ordinem appello. Huius prouocationis cauſa reddebatur, ET copulæ naturam eſſe, diuerſa con-

iungere. Viatorem & prouentui, hoc eſt ſpiritali (ſic enim detrectator intelligi volebat) & temporali, cùm alterum non liceret, manum inieciſſe, atque adeò perperam eſſe factum. Reſpondebatur ET copulam non ſolùm diuerſa coniungere, verumetiam aliquando interpretari, facereque inter duo appellatiua, aut, ſi mauis, ſubſtantiua, ſignificationis non omnino diuerſæ poſitum, vt alterum eorum in ſubſtantiuum conuertatur, non ſecus atque ſi ex prouentu & temporali, prouentum temporalem dicas. PLACVIT detrectatorem prouocatione ſummoueri, addita temerariæ prouocationis pœna. Ex tempore XIII. Cal. Mart. M. D. XXXV.

De prædiis clientelaribus & Patronis et clientibus, Tit. IIII.

I.

FVNDVM inferiorem, prouinciæ in qua ſitus eſt, moribus, non eius in qua ſuperior, Curiæ placuit eſſe moderandum. Litigatores, Patroni à diuo Simone: Michaelis Chartarii hæredes, Clientes. Iacobus Spifama, litis enarrator. Placitum recitatum VII. Id. Septẽbr. M. D. XXXVII.

II.

CLIENTI Cauſidico aduerſus Patronum, ab eo ſtare, cui à conſiliis antè fuerit, non prohiberi: modò ne clientela ipſa controuertatur, aliúdue quo, nomini Patroni quicquam inuri poſſit. VIII. Id. Mart. M. CCC. LXXIIII.

III.

IOHANNEM Elbiæum, quòd à Nannetenſi Antiſtite ſuo fuiſſet oppreſſus, antiſtitii clientelæ ac iuriſdictioni eximi placuit, quoad oppreſſor ille cõmuni ſpiritu frueretur. V. Id. Iun. M. CCCC. LV.

IIII.

STEPHANVS Dous Fraxineus, quẽ propter patrimonii amplitudinẽ, noſtri homines ſacerdotũ ditiſſimum appellabãt, vita excedẽs, treis ex fratribus, totidémq; ex ſororibus, nepoteis, hos cognatos, illos agnatos, ab inteſtato hæredes reliquit. Inter eos, de fundis clientelaribus lite exorta, cognati, retinẽdæ poſſeſſionis interdicto,

ius experientes, dicebant, exploſa iuris ciuilis aſperitate, & XII. Tab. æquabilitate repetita, illi, & hoc lege noua, additum eſſe, vt gradus vnus, vnáue perſona à iure cognationis in ordinem agnatorum transferretur: & non modò filii, filiæue fratris mei, ad hæreditatem meam, vt agnati, venirent, verumetiam & ſororis filii: & hi omnes ex æquo mihi ſuccederēt. Defendebant agnati, tametſi hoc ita eſſet, municipiorum tamen moribus eſſe cōparatum, etiam ſorores ad fundos clientelares ex tranſuerſo obueniēteis non admitti: neque eas ſuo fato functas, ad filios, plus iuris trāſmiſiſſe, quàm ipſæ haberent. Hiſce conſentire feudorum (quæ vocant) conſuetudinem, quæ agnatos duntaxat, non etiam cognatos admittit. A cognatis referebatur, media illa iuriſprudentia, vnde fortaſſis mores promanarunt, non alia ratione factum eſſe, vt perſona fœminea, quæ gradum conſanguinitatis exceſſiſſet, iure agnationis ad hæreditatem non admitteretur, quàm quòd commodius eſſe videbatur atque vtilius, frequentiores ad maſculos quàm ad fœminas hæreditates confluere: propterea quòd vtiliores ſe maſculi præſtent Reip. dum aut bella gerunt, aut ſacra faciunt, aut publicis funguntur muneribus. Se verò eſſe qui hæc omnia præſtare parati eſſent, nec matrum ante fratrem mortuarum rationem haberi licere: ſed eorum ipſorum, qui eo tempore, quo is, de cuius hæreditate agebatur, mortuus erat, eodem gradu, ei proximi, quo & agnati fuiſſent. Cæterùm, eam beneficiorū conſuetudinem, barbaram atque inhumanam eſſe: neque nos eo iure vti ſolere. Poſt Libellarium ad Baſilicam Recuperatorum ſententiam, appellata Curia, cùm de rebus, quas ad Carnutûm mores exigere oportebat, eſſent in litis inſtrumento, rerum ab ipſa Curia ſimiliter iudicatarum exempla quædam: de noſtratibus autem nihil extaret quo ſatis compertum haberent, an ea pars morum, quæ fœminas arceret, ad earum quoque filios produceretur: ſuopte Iudicum impulſu, & ſine vlla interfatione, ad Præfectum vrbis itum eſt, ſciſcitatum ab eo, eiúſque fori pragmaticis, de ea re quid fieri ſoleret. TANDEM quòd ad res in Carnutûm agro poſitas attinebat, agnatos quidem ſuperiores, in cæteris verò inferiores eſſe placuit. Areſtis Natalitiis M. D. L.

V.

VNIVERSORVM vxoris prædiorum (moribus quidem noſtris) conſtante matrimonio, virum velut vſufructuarium eſſe, noſtrorum hominum nemo eſt qui neſciat. Accidit vt clientelaris fundus, perfidiæ aliòue nomine, Patronæ vxori committeretur. Diſceptabatur commiſſi fundi ius & autoritas, vxoríſne fuiſſet an viri. ET VIRI fuiſſe placuit: id enim fructibus adnumerari. Citabat Chartarius de iure reſpondens.

VI.

PRAEDIVM beneficiarium, perexiguo ſolario vectigali (teruncio puta) cum fide recepto, intercedentibus aliquot millibus numûm Cliens alii tradiderat. Bochardus prædii Patronus, è veſtigio illi manum iniicere atque incumbere, quoad dum iuſta quintanorum ac ſubquintanorum perſoluerentur, ſolenniáque alia fierent omnia. E' contrario Cliens intercedere: occlamare, ſe, de prædio velut corio (quod aiunt) ſuo, citra autoratrices exuuias, ludere potuiſſe. Patronus Clientem fraudis inſimulare: dicere, libellario contractu, fraudem manifeſtari. Cauſa acriter acta atque defenſa, ſecundum Clientem pronuntiatum eſt. De qua re, cum Curia, ſupplici erroris patrocinio, Bochardus expoſtulauit. Placitum à Chartario de iure reſpondente citatum.

VII.

QVIDAM exiſtimauerũt maieſtatis dãnati fundos cliẽtelares, qui in fide ac patrocinio Principis ſiue μέσως, ſiue ἀμέσως eſſent, omneis publico Principis patrimonio, in perpetuũ eſſe adſcribẽdos, hoc eſt (vt aiunt) vniẽdos, ac in Regiæ coronæ corpus referendos. Dicebãt enim huiuſmodi beneficia, quæ initio à Principe manaſſe certum erat, ad eum omnino omnia maieſtatis crimine reuerti, quoſcũque Cliẽtes ex eodem beneficio primarius Cliens ſibi poſtea deuinxiſſet: vt cui, quod ſui admiſiſſent, quodammodo eſſet imputandum. Sed aliter viſum eſt Selectis Iudicibus, qui ad exhedram in Baſilica recuperatoriã, quod Reginæ cubiculũ appellant, de Regis imperio, maieſtatis iudiciũ in Biezium, Tribunũ militum, exercuerunt. Cùm enim hominem capite plectẽdum eſſe decernerent, res eius bene-

ficiarias omneis Principi quidem commiſſas eſſe cenſuerunt: ſed eo nexu quem antè diximus, non niſi eas quæ Regii planè beneficii, non alius interpoſiti, eſſe comperirentur. Quæ ſententia cùm apertè benignior, tum certè quidem verior eſt. Nam præterquam quòd inhumanū eſt, nos alieni criminis dare pœnas, quis vnquam beneficium à Principe acceptum, vni vel pluribus, totum vel in partem, cliētelæ nomine poſtea dediſſet, ſi beneficium partémue illius, per quaſcunque manus id ambulare contingeret, non ſua, ſed clientis culpa, ſe amiſſurum exiſtimaſſet? Sufficiat ergo maieſtatis crimen autoris ſui ſanguine expiatum eſſe: ſufficiat, rebus eius beneficiariis omnibus læſæ maieſtati litatum. Ita fiet, vt Principe huiuſmodi beneficia ſibi quidem commiſſa, ſed publico patrimonio non perpetuò adſcripta, à ſe poſtea (vt ipſe tenetur) abdicante: benefico domino, cui ex alio crimine clientela committi poterat, ius ſuum integrum maneat: non ſecus quàm ſi à beneficiario, ad eius hæredes ſucceſſione, vel ad alios quocunque contractu perueniſſet. Placitū pronuntiatum III. Non. Aug. M. D. LI.

De prædiis ſolario iure vectigalibus, TIT. V.

I.

TAMETSI ſolario iure domini, quem vulgò cenſualem appellant, propè inermis atque exanguis ſit iuriſdictio: ſuopte tamen imperio, placuit eum obnoxii fundi poſſeſſorem, ad fundum profitendum poſſe compellere. Ex tempore * Iun. M. D. XLVIII.

II.

REGNOTIVS Royerio filiam in matrimoniū collocaturus, certam pecuniam dotis nomine, ſe daturum ſpoponderat, partes circiter duas numeratò, reliquam prædio vrbano, tanti æſtimato, filiæ hæredi futuræ prærogando: ſed ea lege, vt quandocunque ipſe pernumeraret, prædium redhiberetur. Hocce cùm ſolario iure dominus olfeciſſet, vt ſunt id genus homines captātiſſimi, è veſtigio fructus aduentitios petere occœpit, dationem in ſolutum, atque adeò vēditionem inſimulās. Quod quidē Libellaribus ad Baſilicam recuperatoribus, ea de re additis, æquū eſt viſum: ſed verò Curiæ à Roye-

rio appellatæ contrà. Perſcripta, prolata eſt autoritas. v. Id. Iun. M. D. XLVIII.

De priuatis vectigalibus & penſitationibus, Tit. VI.

I.

CONTENDEBAT Parthenaius, ſi quis ex ſuis hominibus aliqua tranſiens, vectigal non dependiſſet, etiam vi armata, ſe vniuerſitatis bona pignerari poſſe: idque de more, quem præſidenter quidem vſurpabat. Sed eum more damnari explodíque placuit. Alteri enim ab altero debitum exigere, & priuato ius ſuum armis vindicare non licere. IIII. Id. Iun. & XVIII. Cal. Iul. M. CCC. LXXXIX.

II.

SI frumentum, quod in ſingulos annos dominus à villico pactus eſt, tempore ſolutum non fuerit: villicum, non quanti plurimo frumentum ab eo tempore venierit, ſed in communem cuiuſque anni tantùm æſtimationem teneri placuit. Ex tempore Menillio & Durantio cauſam orantibus, Pridie Non. Febr. M. D. XLVIII. Quod (niſi maximè fallor) nec eſt ἀκριβοδίκαιον, nec ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου, ſed ἔνδοσις quædam, quæ tandem in aliquam fraudandi licentiam facilè ſit exitura, moribus hominum ſemper in deterius prolabentibus. Fiet enim, vt villicus olim fidelis & apertus, nunc fallax & ſimulationis artificio eruditus, diem de die ducat, vſque dum nactus opportunitatem, magno frumentum vendat, & poſtea minimo redemptum, domino perſoluat. Dixerit aliquis, Extitere domini, qui villicis moras nectentibus, non eorum, ſed ſua ipſorũ gratia indulgerent, atque ita temporis articulum captarẽt, quo villicos frumento carentes, pretii magnitudine obruerent. Ego verò aut extitiſſe, aut extare poſſe non negauerim, neque id inſignis cuiuſdã eſſe malitiæ: ſed cui villicus occurrere, quòd dominici fundi fructus collegerit, poſſit: &, quòd obligatum dies ſatis interpellauerit, debeat. Quòd ſi villici magis quàm domini rationẽ haberi debere viſum eſt, vereor ne villico ipſi hoc etiam acceſſerit incõmodi: vt dominus in exigẽdo vectigali antea moderatus & mitis, aſper & durus eſſe cogatur, & tum villicũ vrgere, cùm ſe fortaſſe ille minimè poſſit liberare.

III.

IN penſitationis venditione paciſci non licere, vt certo tempore, cúmue libuerit, emptor à venditore ſortē poſſit exigere. Foret enim quod eſſe noluerunt, cuiúſque auertendi gratia, vēditionis ſpeciem obduxerunt, non clàm, non diſſimulanter, ſed palàm & apertè fœnerari. XVII. Cal. Iul. & poſtridie. M. CCCC. XXV.

IIII.

ANNVVS frumenti modius anno M. D. X. vectigalis nomine, centies vicenis aſſibus, aut, ſi mauis, centum (quod aiunt) venditus libris, habita ratione temporis, toleratus eſt quidem, ſed temperatus tamen, quaſique in ordinem coactus, & debitor eum perinde pendere damnatus, atque ſi ſinguli in ſingulos quindenos aſſes conſtituti fuiſſent: poteſtate facta, vectigalis quotieſcunque redimendi. Ex tempore Riantio & Rupefortio cauſam dicentibus. III. Id. Martii M. D. XLIX.

V.

EX prouētibus vectigalis pecunia conſtituti aliud vectigal, perinde atque ex vſuris alias vſuras, comparari non poſſe, nemo dubitat. Sunt enim huiuſmodi vectigalis prouentus vſuris finitimi: hócque ab iis tantùm diſtant, quòd vectigal in venditionis ſpeciem conceptum eſt, & in eius, cui eo nomine pecunia data eſt, arbitrio poſitum, quando eam rependat, atque ita vectigal redimat. Sed verò controuerſum eſt, prædii venditio in prouentuū ſolutionem facta, an valeret: prædio, ſcilicet, eiúſque fructibus, vectigalis ex alterius vectigalis prouentibus comparati inſtar habētibus. ET valere placuit: fieri enim potuiſſe, vt ex ea pecunia, qua prouentus perſoluti eſſent, dominus vectigalis ab ipſo debitore ſtatim prædium ſibi compararet: & duos actus, nihil interim ſibi contrarios, quid vetat eodem tempore, pactóque eodem explicari? Quin (vt ait Vlpianus) ſi ex cauſa mandati pecuniam mihi debeas, & conuenerit vt eam crediti nomine retineas: videtur mihi data pecunia, & à me ad te profecta. Placitum recitatum * M. D. XLVIII. Litigatores hæredes Stephani Doi, & *

VI.

SI toto inter præſentes decēnio, vel inter abſentes vicēnio, vecti-

galis emptor nec à venditore, vel eius hæredibus annua, nec à tertio hypothecarum poſſeſſore, nominis nouationem exegerit: poſſeſſore, vſucapione ſe tueri poſſe, nemo ambigit. Sed quid ſi à venditore, hæredibúſue, ſingulis annis vectigal emptori penſitatum fuerit, vt nihil eſſet quod cõquereretur? ET poſſeſſorem, vſucapionis præſcriptione placuit eſſe tutum. Meritò ſanè: debuit enim emptor vigilare, & ſuis rebus diligentius proſpicere. Placitum pronuntiatum * Litis enarrator Lodoicus Mommirallius.

VII.

VECTIGAL, ſi ea lege cõſtituatur, vt lui perpetuò poſſit, luitioni eius nullo tempore præſcribitur. Non enim ſuæ cõditionis non eſſe poteſt, nẽpe ſemper redhibitoriæ: aliter atque cùm ex interuallo facta eſt luẽdi poteſtas. Nam cùm nihil magis naturale ſit, quàm res ad ſua redire principia, dum factæ poteſtati præſcribitur, vectigal ad ius illud ſuum primarium, hoc eſt perpetuum, quodam quaſi poſtliminio reuertitur. Quam in ſententiam extat Curiæ placitũ, paradoxum illud quidem, ſed claſſibus conſultis omnibus perſcriptum, pronuntiatum VI. Id. Martii M. D. XLVII. litigatoribus Rapoello & Carpentario, litis enarratore Cantaclario.

De vſu nemorum, Tit. VII.

I.

EXEMPLIS propè innumeris exploratum habemus, ab ingratis hominibus, eò improbitatis eſſe deuentũ, vt beneficos eorúmue nepotes munificẽtiæ ſuæ, etiam ſi nolint, tamen pœniteat. Inter eius farinæ homines, nec poſtremæ notæ fuerunt ii, quibus olim nemoribus vti conceſſum eſt. Rebus enim vtendis tam proteruè, tam libidinoſè, tam nequiter abuſi ſunt, vt nouarum legum ſanctione iudiciorúmque ſeueritate opus eſſet: rebus ipſis alioqui non modò peſſum prorſus ituris, ſed & morbo fortaſſe longius latiúſque graſſaturo. ITAQVE vſuarios ob nemora, coniuratione vique armata, ab vniuerſitate deuaſtata, ipſorum nemorũ vſu ac litis æſtimatione eiúſque impendiis mulctari placuit. Neque fruſtrà coniurationis mentionem habuimus: Ea enim, ex Curiæ interfatione quæſita ac comperta, damnandæ vniuerſitatis cauſam præbuit. Alioqui

ſingulares, non vniuerſitas plectenda erat. Placitum pronuntiatum I I I. Non. Iun. M. D. X X X. Litigatoribus Lodoico Hangeſtio, Maria ab Athiis eius vxore, petitoribus: Ciuibus Royæ, comopolitanis ac vicanis Amici magni, Amici parui, aliiſque reis. Petro Brulartio litis enarratore.

I I.

VSVM ſuapte natura ſolidum, & totum (vt aiunt) in toto & totum in qualibet parte, in arctam nemoris partem contrahi placuit: reliquo nemore ad dominum libero redeunte. Placitum pronuntiatum. I I I. Non. Mart. M. D. X X X I. iiſdem petitoribus, Petro Videlaneo reo, eodem Brulartio litis enarratore.

I I I.

VICANOS vſuarios non quoſlibet eſſe intelligẽdos, ſed eos duntaxat quorum domus ante quadraginta annos extructæ eſſent, aut veteribus fundamentis ab eodem tempore ſuperſtructæ. Placitum pronuniatum * Id. Septembr. M. D. X L V. litigatoribus Lenuncurtio Cardinale, diui Remigii Rhemenſis Hetæriarcho, & vicanis Giurienſibus, claſſe Regio patrimonio adſcripta diſceptatrice.

Placitorum ſummæ apud GALLOS CVRIAE

LIB. VIII.

De dote, Tit. I.

I.

DOTIS cautæ nec tẽpore numeratæ, marito, qui ſumptibus ſuis vxorem exhibuerit, vſuras deberi, aliter atque ſoluto matrimonio non reſtitutæ, niſi conuenerit, vtriuſque iuris eſt, & exploratiſſimi. Sed ecce, Lucius Titius Mæuiæ nothæ ſuæ decem millia, vnde ſe exhibere poſſet, meliúſque in matrimonium collocare, teſtamento legauerat. Mæuia, nec cùm nupſiſſet quidem, ſed certè iam vidua, Lucii Titii hæredibus legatum non præſtantibus iudicium intendit, qui litem etiam aliquot annos extraxerunt: an præter legatum & vſuræ deberentur? ET quodammodo deberi iudicatum eſt. quod

enim interfuerat Mæuiæ,legatum tempore præſtari, tanti æſtimatum eſt,quanti Curiæ viſum. Placitum pronuntiatum Cal. Mart. M.D.XXXVIII. Litigatores, Guidona, notha Caluignia, Lodoica Borbonia,Lodoicus Tremollius,alii nonnulli.

De donationibus propter nuptias,

TIT. II.

I.

DONATIONIS propter nuptias,quam nonnulli ἀντίφερνον,vulgus doarium appellat, noſtris Pariſiorũ moribus duæ ſunt formæ. Altera,ſtatæ atque ipſis moribus introductæ: Altera, pacto conuento præfinitæ ac conſtitutæ. Stata ipſiſque moribus introducta,eſt ſemiſſis prædiorum omnium,quæ vir habet, quo die vxorem ducit, quæque illi poſtea conſtante matrimonio à parentibus ac maioribus obueniunt. Præfinita ac conſtituta rurſus in duas parteis diuiditur, quarum vna eſt certi ac definiti vectigalis, annuæue penſitationis, interim perpetuæ, interim redhibendæ: altera certè pecuniæ ſemel vxori,ſi viro ſuperſtes fuerit,perſoluendæ: vtraque ſpecie aliquando vxoris, ac eius hæredum cõmodis ceſſura prorſus, aliquando ad viri hæredes poſt mortem vxoris reditura. Et quanquam vtriuſque formæ propter nuptiãs donationis par eſt ratio, idémque argumentum, conditione tamẽ longè ſunt diſſimiles. Nam præfinitæ ac conſtitutæ ratio non habetur, nullíque ex ea ſperandi ſunt fructus,niſi ex quo in iure, quod donatum eſt, petitum fuerit. Stata verò ac moribus introducta, iure vſque adeò eſt eximio, vt tametſi in diem, & ſub conditione facta ſit,nempe dum vir, vxore ſuperſtite,liberíſque exiſtẽtibus, fatis conceſſerit: res tamen donatæ, ex ipſo ductæ vxoris articulo,traditæ atque vſucaptæ intelligũtur: & earum tam nexu,mancipióque liberi ſunt domini, vt etiam eiurata vtriuſque parẽtis hæreditate,omni eorum ære alieno à nuptiis contracto, liberas omnino recipiant.Hoc poſito fundamẽto,Florentius Theobaldus Mariam Grãdem præfinita, vel,ſi illa volet, ſtata propter nuptias donatione à ſe ornatam, vxorem ducit. His de medio ſublatis, vnicam eorum filiam à cognatis & propinquis oblatam, Regiæ vrbis Orphanotrophi,quos à Sancto Spiritu nuncupant,ſuſcipiunt,

alunt, exhibent, donec illa adhuc infans vita decedit. Protinus Gaſperna & Maſſetus, eorúmque vxores, infantis vita functæ amitæ, qui, ſi viuenti tam officioſi fuiſſent, quàm fuerunt eius hæreditatis amantes, litis ſaltem moleſtia, magna ex parte, carere poterant, duo iudicia intendunt. Alterum in Orphanotrophos, de iuſta hæreditatis poſſeſſione: alterum in emptorem certarum rerum, per ſtatam propter nuptias donationem, vindicatione. Et ne fabulæ à perſonis quicquam deſyderaretur, prodierũt Philippus & Caterina Grandes, auunculus & matertera, contendentes ſe ex ſorore neptis hæredes pronuntiari, ac donationis propter nuptias optionem, à ſorore in neptem, & à nepte in ſe eſſe tranſmiſſam: atque ita præfinitam, quam optabant, ſibi adiudicari poſtulantes. Vtriſque opponunt Orphanotrophi, ſuos ſe orphanos non educare modò, verumetiam eos pro cuiuſque modulo artibus inſtruere, quibus & ſibi & Reip. aliquando prodeſſe poſſint. Cúmque ſuæ tutelæ facti ſunt, ſe ſua illis, quæcunque acceperint, reſtituere. Quòd ſi minores xxv. annis in Orphanotrophio diem ſuum obeunt, reculas eorum (nec enim huic loco commendari ſolent, quibus res eſt ampla domi) veluti quaſdam exuuias, & nonnullam educationis mercedem ad Orphanotrophium pertinere: non ſecus atque ſi vir aut mulier liberos non habens, monaſticam vitam elegerit, & monaſterium ingrediatur, bona eius ad monaſterium quod ingreſſus eſt Iuſtinianeis conſtitutionibus ſpectare iubentur: ſéque poſt conditum Orphanotrophium, eo iure eſſe vſos. Cæterùm nec agnatos, nec cognatos, de ea (vt ita dicam) hæreditatula digladianteis, eſſe ferendos: qui tutelæ atque educationis onus omnes vſque adeò detrectaſſent, vt Orphanotrophio infantem, imò verò lactentem adhuc, offerentes, eam propemodum expoſuiſſe viderentur. Referunt agnati Orphanotrophos, pupillis inſtar tutorum, adoleſcentibus inſtar curatorum, legibus quidem eſſe conſtitutos: poſſe res eorum & in iure & extra ius, ſine ſatiſdatione tueri: bona deſcripta atque æſtimata, ſi fortè æs alienũ vrgeat, vel res ſint tẽpore perituræ, vẽdere atque alienare: pretia ſeruare: nullis rationibus neque tutelaribus neque curatoriis eſſe obnoxios: ſed de rebus eorũ Orphanotrophio vllo modo adſcribendis, ne ἰῶτα quidem vel apicem vnum

inueniri. Quod autem de infante Orphanotrophio oblata ac propè expoſita obiiciebatur, id à mulierculis duabus, amitis quidem illis, ſed quid agerent planè ignorantibus, eſſe factum. Cognatos porrò omnino eſſe indignos, qui vel ſpectarentur in ſcena. Donationem enim ſiue ſtatam ac moribus introductam, ſiue pacto conuento præfinitam, à patre profectam eſſe: matrem in re donata nihil, præter vſumfructum, habuiſſe: ideóque eam ad paternos hæredes, maternis exploſis rediiſſe. PLACVIT agnatos (Gaſpernam dico ac Maſſetum, eorúmque vxores, infantis amitas) in omnibus eſſe ſuperiores. Ex quibus hæc quatuor colligimus. Vnum, Orphanotrophos minoribus XXV. annis, apud ſe de vita decedentibus non ſuccederē. Alterum, propter nuptias donationem, ſiue ſtatam ſiue præfinitam, vt à patre proficiſcentem, agnatos, aut (ſi mauis) paternos hæredes ſequi. Tertium, alterutrius optionem ad hæredes trāſferri. Poſtremum, de ſtata propter nuptias donatione, quantocunque interuallo ad nos perueniat, interdicto vti poſſidetis agi poſſe. Tertiæ claſſis placitum, Sennetonio litis enarratore, pronuntiatum areſtis Natalitiis, M. D. L I.

II.

LATA ſecundum viduam, περὶ τῆς ἀντιφερνῆς ſententia, indéque interpoſita prouocatione, petebat vidua, vt prouocationi non cederetur, proferens legem de huiuſmodi ſententiis prouocatione non ſuſtinendis. Dicebat prouocator, actionem non in perſonam, ſed in rem eſſe conceptam: ſe neque viri hæredem, neque fundum à ſe poſſeſſum τῇ ἀντιφερνῇ vllo modo eſſe oppigneratum. Referebat vidua, vbi lex nihil diſtingueret, nec nos diſtinguere debere. PLACVIT ſentētiam prouocatione non ſuſpendi. Ex tempore XIIII. Calend. Decembr. M. D. XLIX. Simone Heruillio & Iohanna Billoræa diſceptantibus.

III.

VIRI hæredem, cùm ἀντιφερνῆς, moribus comparatæ, iudicio, vxor vidua ſuperaſſet, petiit vt ille iudicatum faciens, ex prædiis omnibus τῇ ἀντιφερνῇ obnoxiis, quod eam contingebat, traderet. Ab hærede reſpōſum eſt, nihil ſe morari iudicatum, præterquam quòd è prædiis certum, litem hæreditariam componendo ac decidendo,

permiſerat aduerſario: æquè boni, aut melioris prædii conditionem ferens. Sed conditione vidua vti noluit, hæredem fraudis inſimulans, quòd is, poſt acceptum iudicium, prædium alienaſſet: dolúmque pro poſſeſſore damnandum. TANDEM lata pro conditione pronuntiatum eſt. Enimuero ἀντιφερνῶ vſuſfructus inſtar habere: ideóque id hæredi, penes quem eius rei dominium, mancipiúmque eſſet, licuiſſe: imò verò &, ſi non licuiſſet, tamen fuiſſe condonandum. Litigatotes Iohanna Bellaïa, Claudius Caſtillionius. Litis enarrator, Iohannes Cerarius. Placitum recitatum Pridie Id. Febr. M. D. XLIII.

De commiſſa inter coniuges rerum communitate,

TIT. III.

I.

NOSTRA in Gallia, neque lege, neque teſtamento tutores, ſed tantùm ex inquiſitione dari receptum eſt. Itaque parentum ſuperſtiti, filiis tutores petere non minus incumbit, quàm olim iure Romanorum, matri: quæ ſi id facere neglexiſſet, ius non eſſet habitura vindicandorum bonorum, quæ filii inteſtati reliquiſſent. Tutores (inquam) petere, qui confeſtim officio ſuo fungentes, repertorium (quod vulgò inuentarium appellatur) conficiant: &, ſi non fecerint, nec neceſſariam & iuſtiſſimam cauſam allegare poſſint, cur factum non fuerit, in id teneantur, quod pupillorum interſit, ex iureiurando in litem æſtimandum. Iure igitur optimo, magnáque prouidentia, Pariſiorum moribus inductum eſt, vt altero coniugum vita functo, relictis liberis minoribus XXV. annis, ſi ſuperſtes repertorium non fecerit, vel aliàs commiſſæ matrimonio rerum communitati non derogauerit, ídque liberi è re ſua eſſe putent: petere poſſint communicationem rerum omnium ſuperſtitis, cùm pecuniæ, tum ſoli, quas comparauerit, vſquequo repertorium confecerit, etiam ſi aliud matrimonium iniuerit. Sed qualecunque repertorium, an numeris omnibus abſolutum & ſolenne deſyderes, cùm alioqui ex actu nullo etiam voluntas declaretur? ET PLACVIT, ad

vitandam huiuſmodi communitatis prorogationem, abſolutum ac ſolenne deberi, quantumlibet anguſta res communis eſſe dicatur. Placitum pronuntiatum x. Cal. Ian. M. D. XXIX. Chipartius doctiſſ. mihíque amiciſſ. admonuit.

II.

ETIAM à muliere, quantumcunque iuris ignara, iſtac in ſpecie, ſolennia omnia exigi placuit. Placitum pronuntiatum XIII. Calend. April. M. D. XLII, Boqueto & aliis, in Mallarium communitatis prorogationem intendentibus. Cuius deſcriptum mihi fecit Collierius noſter, rerum inſignium iudicatarum obſeruantiſſimus.

III.

NOSTRARVM diœceſum alias moribus, alias ciuili iure Romanorum regi, nemo eſt qui neſciat. Vbi autem moribus agitur, puta Lutetiæ, vt animorum ac corporum, ita & vniuerſæ pecuniæ & prædiorum duntaxat quærendorum, inter coniuges initur ſocietas: vbi verò iure ſcripto viuitur, vt Lugduni, ſuas quiſque ſibi res habet, præter dotem, quæ à muliere, vel alio pro ea, marito datur, ipſi vxori, ſoluto matrimonio, vel hæredibus eius reſtituenda. His in modum præuiæ cuiuſdam inſpectionis habitis, Titio & Mæuia cõiugibus Lugdunum incolentibus, Titius prædium vrbanum Lutetiæ comparauit. Eo vita functo, petiit Mæuia, Lutetianis moribus innixa dimidiam quæſiti prædii partem. Defendebant Titii hæredes, neque pacto conuento, neque iure ſcripto, quo quidem Lugduni vterentur, vllam Titio cum ea rerum interceſſiſſe communitatem. LITE ſupra quàm dici poſſit exagitata, tandem Mæuiam petitione ſummoueri placuit. Nàm in eiuſmodi controuerſiis ſpectari non oportere, quid eò loci agatur, quo res parta iaceat, ſed quo, qui quæſiuit, larem tum familiarem habuerit. Placitum quod à diua Maura nuncupatũr, conflatum auſpicante Martio, M. D. XLIX. Bœleueo litis enarratore, pronuntiatum *

IIII.

SI conuenerit vt vir in prædia vxori comparanda, dotalis pecuniæ partem inſumeret, nec fecerit: ſoluto matrimonio, eam pecuniam, velut æs alienum, ex rebus ſocietatis inter virum & vxorem moribus inductæ, ſoluendam eſſe, & reſponſum & iudicatum eſt.

V.

TEMERE institutæ prouocationis mulctam inter virum & vxorem, eorúmue hæredes diuidi poſſe placuit. Pridie Id. Ian. M. CCCC. VI.

VI.

MORIBVS noſtris, ſtatim à iuſtis rei vxoriæ peractis, communicatio pecuniæ, æris etiam ſui & alieni in præteritum itidem in poſterúmque: rei autem prædiariæ in poſterum tantùm procedere cenſetur. Itaque mortuo viro, dimidiam æris alieni perſonalis, ab eo cõtracti, partem, vxor diſſoluere tenetur. Quòd autem æs alienum perſonale ſcripti mores ita perſtringerent, vt nullam hypothecarii facerent mentionem, ſæpenumero controuerſum eſt, an eiuſmodi ære vxor etiam teneretur. ET pro vniuerſo claſſium Curiæ conuentu decretum eſt teneri, ſed quatenus è prædiis communibus ad eam perueniſſet: alioqui futurum, vt prædiorum, quorum fortaſſe coëmendorum gratia, æs alienum vir contrahens, hypothecas dediſſet, pars apud vxorem libera maneret, atque ita cum aliena iactura ipſa locupletaretur.

VII.

LVCIVS Titius, priore cõſtante matrimonio, fecerat nomen. Eo ſine liberis mortuo, à ſecundæ vxoris hæredibus, pars nominis dimidia petebatur. Dicebant hæredes, defunctam nihil cum creditore contraxiſſe. Referebat creditor L. Titium etiam tum, cùm altera vxor in manum conueniret, eum nihilominus fuiſſe, qui ab initio fuerat, debitorem: & ob commiſſam inter eos municipii iure communitatem, vxorem tacitè medium iniuiſſe nexum. CVRIA, conſilii rem eſſe pronuntiauit: & interim hæredes, accepto repromiſſore, iuſſit quartam dependere. III. Cal. Mart. M.D.XLVII.

VIII.

" SOCII mei ſocius (inquit Vlp.) ſocius meus non eſt. Cùm enim
" ſocietas conſenſu contrahatur, ſocius mihi eſſe non poteſt, quem
" ego ſocium eſſe nolui. Itaque ſi ſocius meus eum admiſit, ei ſoli ſo-
" cius eſt: & qui eum aſſumpſit, cõmunicabit: nos cum eo non com-
" municabimus. Regulam (niſi maximè fallor) certiſſimam, perpetuam, & quæ nulla vnquam exceptione ſubuerti poſſit. Sed in ſpe-

cie, quam nunc proponimus, quis ille ſocii ſocius habendus eſſet, diu multúmque dubitatum eſt. Puteanus Fõtanam ſibi vxorem adiunxit: ex qua cùm liberos aliquot ſuſtuliſſet, his relictis, diem ſuum obiit. Fontana, repertorio ſolenniter non confecto, Mallario iterum nupſit: póſtque aliquod tempus, eo ſuperſtite, mortua eſt. Cùm igitur vnam & alteram duobus matrimoniis Fontana ſocietatem coïuiſſet, priorîſque ſocietatis prorogatio moribus eſſet inducta: quæſo, quam earum præcipuam ſocietatũ, quémque Fontanæ ſociæ ſocium eſſe dixiſſes? eiúſne liberos ex priore matrimonio, an verò Mallarium, cui ſecundò nupſiſſet? quorum vtrunque defendebatur, vt illi de dodrante rerum omnium communium, hic de ſemiſſe contenderet. RE mirandum in modum concertata, & prolatis omnibus, quæ vſquam reperiri potuerant, rerum antea iudicatarum exemplis, potiorem Mallarii ſecundi viri, & Fontanæ vxoris ſocietatem haberi placuit: ac Fontanæ ex priore matrimonio liberos, ſui patris hæredes, non Mallarii, ſed Fontanæ vxoris & ſociæ ſocios eſſe. Proinde bonorum omnium inter Mallarium & Fontanam communium, ſemiſſem eſſe Mallarii: ad defuncti autem viri liberos & hæredes alterum ſemiſſem, non petitum dodrantem, pertinere: puta quadrantem iure prorogatæ cum Fontana ſocietate, & alterum quadrantem, vt Fontanæ ipſius etiam liberis hæredibúſque. Placitum pronuntiatum XIII. Calend. April. M. D. XLII. Boqueto & eius vxore, nonnullíſque aliis cum Mallario, ea de re ambigentibus: illud idem, cuius à Collierio dati ſupra mẽtionem habuimus.

De diuortiis, Tit. IIII.

I.

AEQVVM ac bonum eſſe, Curiæ viſum eſt, vt dum diuortii cauſa cognoſcitur, vir & vxor in matrimonio ſint, mutuóque in officio contineantur: & quemadmodum vxor, ita & res apud virum eſſe non deſinant. ITAQVE Sandouillano & Florigniæ vxori pronuntiatum eſt placere, vt nulla ſummæ quæſtionis prærogatiua, Florigniæ, quæ diuerterat, interim reuertendum eſſet, atque etiam ab ea reddendæ res, quas ipſa, inito diuortii conſilio, amouiſſet. V. Cal. Mart. M. CCCC. XCII.

II.

CVM T. à C. viro ſuo diuertiſſet, eíque diuortii libellum miſiſſet, prorſus idem placuit. XV. Cal. Septembr. M. D. XXXVI.

III.

EXTEMPORALI iudicio, nihil diuerſum abſtulit G. Marthanus, à quo Marqueta vxor diuortium fecerat. Quod tolerabile quidem eſt, quantùm ad res attinet: ſed de perſonis, eſt profectò prima fronte quod durum videri poſſit. Vix enim eſt qui ferat, dies & noctes eius conſuetudine vti, à quo ſit accerſitus, vel quem ipſe capitis acceſſiuerit: niſi Euangelicum illud totis animi viribus am-
„ plexatus ſit, Diligite inimicos veſtros: benefacite iis qui oderũt vos:
„ aut ſaltem vel humana ratione, futurum ſperet, vt eiuſmodi conſuetudine miteſcat animus: & (vt in prouerbio eſt) amantium iræ amoris redintegratio ſit. Decreuit id quidem (vt videre eſt) ſemel, iterum ac tertium, aut fortaſſe frequentius Ampliſſimus Ordo: ſed certò ſcio Marquetam, ſuperſtite diuortii cauſa, ſeorſum à viro, vita exceſſiſſe. T. illam, quam proximè dixi, in eodem adhuc hærere luto: neque id omnino improbatum fuiſſe. Toleratum enim, imò verò iudicatum, vt, cùm ſui ipſius, tum etiam vnius aut alterius filiarum, eo matrimonio editarum, alendi exhibendíque gratia, rerum ſuarum partem ſibi haberet.

IIII.

QVOD exemplo certè non caruit. Paulò enim ante primum illud decretum, nempe X. Cal. Febr. M. CCCC. XCII. Nouoburgio & vxore de diuortio ambigentibus, interea dum ea lis conficeretur, res inter eos communes apud maritum placuerat eſſe debere: ſed ſi media ex parte ab eo caueretur. Cæterùm pecuniæ ducentas, quas Pariſiis libras appellant, ſubſidii cauſa vxori eſſe numerandas. Cuius decreti partem, quæ ad ſatiſdationem pertinet, magni equidem faciendam eſſe duco, aduerſus eos, qui operæpretium arbitrantur ſe facturos, ſi Oceano aquam importent, hoc eſt, ſi vndique corradant, quo fiſcum alioqui exundantem adaugeant. Aiunt enim moribus, res omnes, quæ mobilium appellatione continentur, ſimul etiam quæſita, in mariti iure ac mancipio eſſe: proinde

eum, ſi capitale quid admiſerit, ea, vt cætera omnino ſua ipſo cum homine committere. At verò nulli cauemus, niſi cui (ſi ita eſt vt ait) ius ſit, aut eſſe poſſit ea in re, cuius nomine nobis ei cauendum eſt. Et eiuſmodi mores (qui fraudem nominatim abeſſe voluerunt) quamobrem ea, quæ alioqui illis ipſis moribus inter coniuges ſunt communia, maritis permiſiſſent, niſi vt quoties iis (quæ plurimùm maritorum laboribus parantur, parta, vxorum diligẽtia conſeruantur) vtendum eſſet, liceret quidem, neque neceſſarius eſſet vxoris conſenſus, fortaſſe plus æquo tenacis, aut viro non vſquequaque morigeræ: fide tamen bona, & ſine vlla vxoris captione, quam etiam (vt Neruæ & Caſſio placuit) ſocietas vitæ rerum mariti quodam modo dominam faceret? Vulgò quidem certè in vtramque ſententiam prolata fuiſſe decreta ferunt: ſed quod de iis nihil certum habemus, temperamus.

De donationibus inter viuos,

TIT. V.

I.

IN donationibus, quas inter viuos appellant, quid obſeruandum ſit, ex lege à Franciſco Valeſio primo lata, facile eſt deprehendere. Sed quod ad donationes antea factas pertinet, extat celeberrimum Curiæ decretum, quod Tamboneoum appellatur: quo, donatio abſenti facta, nulla procuratoris, ſed nec pactorum quidem perſcriptoris, aliúſue publicæ perſonæ interpoſita ſtipulatione, nulla pronuntiata eſt.

II.

PATER alteri liberorum, maiorem prædiorum ſuorum partem, quàm ille hæreditario iure habiturus eſſet, donauerat. Cúmque res eò deueniſſet, vt ambigeretur, ídne omne quod à patre donatum erat, filii patrimonium eſſet, an verò quæſitum haberetur: ſemel, iterum atque iterum placuit, eatenus patrimonium exiſtimari, quatenus patri filius hæres futurus erat, ſi donatum non fuiſſet: Reliquum autem, quæſiti naturam imitari. Placitorum alterum tertiæ claſſis, pronuntiatum Areſtis Sextilibus M. D.

L I I. Berthelotio litis enarratore: Alterum *

I I I.

PVBLIVS Mæuius Actuarii, & pactorũ Perſcriptoris, & Saltuarii munera, quatenus eius patebat imperium, Lucio Titio, eiúſque vxori, ac filio, ob Lucii Titii benemerita, dederat. Imperio venditione mutato, & muneribus à nouo domino aliis aſſignatis: diſceptatum eſt, ea ἀντίδωρα an auferri potuiſſent, quòd ad donatoris tempus videretur eſſe reſtringẽda. Quibus erant ablata, dicebát, perinde eſſe atque ſi fundi vſufructu pro parte mihi dato, tu poſtea fundum alii purè vẽdideris, vſumfructum nihilominus deberi: emptore victo, ad te (ſi libuerit) reuerſuro. PLACVIT ἀντίδωρα, quæ veluti quoddam ſunt permutationis genus, eſſe reſtituenda. I X. Calẽd. Apr. M. D. L. Franciſco Vindocinenſi, Claudio Subminio, & aliis ambigentibus, Goeurotio litis enarratore.

I I I I.

DIPLOMATE muneris, ob benemerita, Lucio Titio dati, ſic habebatur, Vtẽdum fruẽdum quoad viues, & in noſtro famulitio eris. L. Titio munus ablatũ repetenti, nihil obeſſe placuit, quòd is neque in donatoris, neque in noui per venditionem domini famulitio eſſet. I X. Cal. April. M. D. L. Franciſco Vindocinenſi, Claudio Subminio, & aliis diſceptantibus, Goeurotio etiam litis enarratore.

V.

IMPP. Conſtantius & Conſtans Orfito P. V. reſcripſerunt, tandiu valere donationem, quandiu donatori liberi extarent nulli. Sed donatori Molineo, primæ notæ Iuriſconſulto, donationem, liberorum cauſa reuocãti, frater, cui donatum erat, obiiciebat, ad rem nihil facere reſcriptum, quòd dum is matrimonium contraheret, ille interueniens vel donaſſet, vel antea ſe donaſſe profeſſus fuiſſet: & publicè intereſſet quàm maximè, ne vxores huiuſmodi donationibus fidentes, earúmue liberi deciperẽtur. PLACVIT donationem, ſine vlla vxoris, liberúmue fraude reuocari: ſcilicet, ſi, & quatenus eius, cui donatum erat, facultates, donationi à ſe vxori propter nuptias factæ (quod vulgò doarium appellant) non eſſent ſuppetituræ. Areſtis Liberalibus M. D. L I. Berthelotio litis enarratore.

De legatis & mortis cauſa donationibus, Tit. VI.

I.

QVIBVS non poſſumus, eorũ liberis nos dare legare poſſe (qua de re valde ambigebatur) celeberrimo Curiæ decreto receptum eſt, quod Quinetanũ appellatur. Cuius decreti cauſas Chartarius & Alberius duas eſſe putant. Alteram, quòd moribus noſtris, nobis per filios noſtros non adquiritur. Alteram, quòd res liberis datæ legatæ, ad parenteis, non niſi mortalitatis ordine turbato, peruenire poſſunt: & triſtis euentus nunquam ſpectandus eſt.

II.

NEC diuerſum ex tempore iudicatum eſt Margaritæ Iubertiæ XIIII. Cal. Mart. M. D. LII. Ecce enim, Viri filiæ, quam ipſe ex alio matrimonio ſuſtulerat, vniuerſam pecuniam (quæ vulgò mobilia vocant) vxor teſtamento legauerat. Legatum petenti hæredes obiiciebant, moribus eſſe cautum, ne vir vxori, vxórue viro quicquam donare, legare, néue vllis, rectè vel obliquè, alter alterũ commodis augere poſſet. Vxorem, à viro paupere, blanditiis eò pellectã fuiſſe, vt morbo decũbens, quo intra quintum diem interierat, ædes, quæ ex euerſo eadem opera patrimonio ſupererant, ipſa etiam venderet: in id venditione commenta, vt vir, adumbratæ filiæ nomine, mobilium legato, quicquid æris, poſtrema illa venditione cõflatum eſſet, exhauriret. Itaque legatum eſſe nullum: aut ſi quà cõſtaret, aſſe ad quincuncẽ redacto, legatũ ad vnciam eſſe reducendũ, quòd amplius quinta patrimonii parte, moribus legare non liceret. CAVSA, vt ſperabatur, inficialiter conſtituta, & ambigẽtibus ad Præfectũ vrbi relegatis, vindicias vtrinque petitas, ita dici placuit. Secundum legatariam, ſolenni teſtamento præditam, ex vncia quincuncis, hoc eſt, quinta controuerſæ pecuniæ parte: ſecundum hæredes moribus innixos, ex reliquo quincunce.

III.

CVIVS patri dari legari non poteſt, ei nos dare legare poſſe receptum eſt quidem: ſed vt in cæteris, ita in hoc quoque dolum abeſſe oportet. Quid enim ſi vxor, cùm vbicunque, municipii iure, ma-

rito potuit, tum etiam vbi non licuit, eius filiæ donauit? ET eius generis donationem non valere placuit: fraudem enim & re & conſilio aperte interueniſſe. Areſtis Liberalibus, M. D. LI. Anna Fagia & Alacribus de ea re diſceptantibus. * Iacobo Viola litis enarratore.

IIII.

BRICIA teſtamento legatum ita reliquerat: Ex fundo Suppliciano frumenti modium & ſeſqui noſocomio Lutetiano do lego: ſed ita, vt ſi pueros diuinæ Triadi nuncupatos ſeorſum ab eo agere cõtigerit, nearocomium mediam legati partem, imò verò ſolidum conſequatur, ſi teſtamenti mei curatores volent, atque ita decernãt. Accidit vt conditio extaret, & nearocomii curatoribus integrum legatum petentibus, teſtamenti curatorum alter noſocomio, alter nearocomio ſuffragaretur, & ob eam diſſenſionem noſocomium medium legatum retinere contenderet. Cauſa perorata, Curia rem eſſe conſilii pronuntians, vindicias ſecundum nearocomium dixit. XVII. Cal. Maii. M. D. XLVIII.

V.

ALEMANAE, res ſibi à Carpentario, viro ſuo, mutua donatione ſolenniter datas, à donatoris hæredibus tradi poſtulanti, ita præſcriptum eſt, Præterquam ſi tu ipſa quod petis, habes, & te in hæredem, qui iuris, non etiam rei ſit poſſeſſor, agere liceat. Dicebat Alemana, ſe habere quidem, ſed certè ſic habere, quaſi non haberet: nempe in teſtamenti cauſam, cuius curam teſtatoris iudicio gerebat: quod cùm pium eſſet ac religioſum, petenti nihil officere deberet. Hæredes contrà ſatis eſſe, ſibi, per eam, quacunque ex cauſa, habere non licere. PLACVIT, præſcriptioni morem eſſe gerendum. III. Non. Mart. M. D. XXXIIII.

VI.

SED quid ſi per alium ab eo qui petit, fiat, quominus hæres vt iuris, ita etiam rei poſſeſſor efficiatur? Et nihilominus idem eſſe placuit. III. Non. Decemb. M. D. XXXV.

VII.

AT verò (vt ferè fit) poſteaquam hic iuris æquiſſimus ordo ad iniquum trahi compẽdium occœpiſſet, & rebus in hæredum mancipio poſitis, ii lites mirandum in modum extraherent, & ita eos

quibus vel donatum vel legatum eſſet,fruſtrà haberent: XIII. Cal. Maias. M. D. XLIII, Iohanne, Barbara, Antonina Trunconibus, & Iohanne Montercello diſceptantibus, extemporali iudicio introductum eſt,vt hæres,nexu mancipióque dominus quidem efficeretur: ſed breui (quod aiunt) manu, nulláque interpoſita mora, legatum donationémue præſtaret,etiam ſi donatio vel teſtamentum falſum nullúmue eſſe diceretur: niſi vitium tam apertum eſſet, vt vel manu reperiri poſſet: qua in ſpecie, petitorem ſatiſdare oporteret.

VIII.

EX teſtamento in ſpeciem ſolenni conſignatóque,quantumlibet falſum illud aut certè nullum hæres contenderet: interea tamen, ducto à contractibus ad ſupremas voluntates argumento, placuit, accepto repromiſſore,legatum præſtari debere.Ex tẽpore, XIIII. Calend. Mart. M. D. LII. Margarita Iubertia & Mathur. Caëneo diſceptantibus.

IX.

SED ſi teſtamento, ſua vel aliena manu exarato, teſtator ſubſcripſiſſe dicatur, atque etiam illud, deſtinato ſpeciatim à Curione ſacerdoti,vt ſuum,ſub mortem tradidiſſe:& publico teſtamentorum procuratore, fortaſſe appoſito, poſtulante, iudex Pontificius ex inquiſitione clam hæredibus facta, teſtamentum eſſe pronuntiauerit, eíque fidem publicam irrogauerit: an eo in controuerſia poſito, legata interim præſtanda ſint, cùm ex chirographo, teſtibus quãtumcunque probato, controuerſam pecuniam, fiduciario iudicio, dependere non ſoleãt? ET Lucæ Ruioo,Iohanníque Gentili,& eorum vxoribus pronuntiatum eſt non liquere, ampliuſq; eſſe deliberandum. XVI. Cal. Mart. M. D. LII.

X.

ETSI teſtamentum manifeſto vitio careat, legatum tamen, intereadũ de eo controuertitur,etiam ſi ſatis offeratur,non ſemper eſt præſtandum. Quid enim,ſi ei,eiúſue filio,filiæ̀ue legatum ſit, quem hæredes, ſi protinus non reuincant,tamen anticipatis teſtificationibus in ſuſpicionem vocent, ei teſtatricem, dum ipſe viro eius eſſet à ferculis, quaſi dominam ſeruo,ſeſe miſcuiſſe,& poſt viri mortem, ementito matrimonio, in ea turpitudine,quoad vixit,perſeueraſſe?

Qua in ſpecie, fiduciariæ præſtationis liticulam ad ſummam controuerſiæ reiici placuit. Placitum pronuntiatum XVIII. Iul. M.D. XLVIII. Litigatores, Allegrei, Iohannes Fagius, Iohanna filia. Litis enarrator G. Borgoinus.

De curatoribus teſtamentorum,

TIT. VII.

I.

TESTAMENTI curatores à teſtatore deſignati, ſi, quo tempore tabulæ ſunt apertæ, deſyderentur, alios in eorum locum ſubſtitui poſſe placuit: & factum eſt, cùm mortuo Carolo VI, nemo eorum extaret, quos ipſe arbitros teſtamentarios & ſupremorum ſuorum mandatorum procuratores fecerat. XII. Calend. Nouembr. M. CCCC. XXII.

De conditionibus inſertis,

TIT. VIII.

I.

SVSANNAE Borboniæ, cùm ſtirpe Regia, tum multis aliis nominibus illuſtriſſimæ, Claudius Rieuxius, nominis inter Aremoricæ Britanniæ proceres celebratiſſimi, in matrimonii gratiam, ex prædiis ſuis certa, ad tria millia annua dederat, & ea, ſe precario Borboniæ nomine, poſſidere conſtituerat. Qua donatione perfecta, eodem tamen contractu, mera Borboniæ liberalitate factum erat, vt ſi ex eo matrimonio filius, aut liberi extarent nulli, vſuſfructus tantùm, quòd ad ſe pertineret, donatus intelligeretur: & ſi futurorum coniugum ſobolem deficere contingeret, res ad donatoris agnatos & gentiles reuerterentur: niſi ſi quis ex ea ſobole, de ea re quidpiam aliud conſtituiſſet. Biennio (vltra quod Rieuxio, per fata eo in matrimonio eſſe non licuit) è Borbonia nati ſunt filius filiáque. Filio, cùm adoleſceret, de medio ſublato, filia verò ſuperſtite, inter Borboniã & filias, quas Rieuxius ex priore matrimonio ſuſtulerat, controuertebatur, donatio an perpetua foret. Dicebat Borbonia, quòd liberi extitiſſent, & filius interiiſſet, vſuſfructus conditionem euanuiſſe, & ſe primario iuri redditam eſſe. È diuerſo reſpondebatur,

vt ea vſufructuaria maneret, ſufficere cōditionē ſemel extitiſſe,etiā ſi momento tantum duraſſet,hoc eſt,filiū fuiſſe natū,etiamſi ſtatim occubuiſſet. A Borbonia referebatur,liberalitatē, quam in filium,ſi quis illi naſceretur,exercere voluerat,iniquū ad cōpendium nō eſſe contrahendā: nihilque minus æquitati cōſentaneū, quàm exiſtimare,turbato ordine mortalitatis,eam, cū filio dulciſſimo, res quoque mācipio nexúque ſuas perdere,& contra votū parentum,ac naturalem erga ſuos charitatē,eas potius ad extraneos tranſferre,quàm ſuperſtiti filiæ ſeruare voluiſſe. PLACVIT eius filii, qui viua matre deceſſiſſet,rationē non haberi: itaque res à matre ad filiam peruenturas: &,ſi filiæ ſoboles deficeret,quò conuentū erat, tum demū redituras. Aniorrano litis enarratore. Prid. Non. Aug. M. D. L.

II.

ILLIERSII,iuuenis ac valētis nuptias Grauillia, iam vetula,cùm larga effuſáque donatione redemiſſet, ille vtcunque memor & gratus, antequam illam duceret, conceſſerat,vt certæ partis rerum donatarum, dum ea viueret, eius eſſet arbitrium. Eam poſtea partem Grauillia teſtamēto legauerat,ac deceſſerat. PLACVIT non valere legatum. iis enim verbis DVM VIVERET intelligendum, Grauilliam inter viuos donare, vendere, pignori dare potuiſſe quidem, ſed non teſtamento legare, mortíſue cauſa donare: nempe legato ſiue mortis cauſa donatione in id tempus collata,quo res,iuris teſtatoris donatoríſue non eſſet. Placitum pronuntiatum.

III.

SALAZAREA,tranſactis in alio matrimonio melioribus annis, nouum cum Pocario,ætate Florenti, matrimonium initura, illi eo nomine fundum ita dederat,vt ſi fatis prior ille concederet, fundus ad ſe reuerteretur. Cúmque Pocarius homicidii reus abſens delatus, indicta cauſa damnatus eſſet, eiúſque bona omnia publicè poſſiderentur: dicebat Salazarea, abſentis damnationem mortis inſtar habere, ſéque ante pœnam eſſe. Opponebatur, inter donandum de ficta morte nihil actum. Itaque de vera ac naturali intelligendum. Poſſe etiam Salazaream prius mortem oppetere,ſícque fieri,vt nullus reuerſioni relinquatur locus. HENRICO Valeſio II. cum proceribus vniuerſáque Curia, pro tribunali ſedēte iúſque palàm dice-

re auſpicante, hominũ frequentia flagrante auditorio,& cauſa à Seguerio, AEmerio, priuatis, Marilliaco Regiæ aduocationis triumuiro, pro conſeſſus dignitate atque amplitudine argumẽtíque ratione, paſſis facũdiæ copiæque dicẽdi velis, perorata: Nomophylax, Iohannes Oliua, cõſulto Principe, Proceribus, Cõſcriptis, pronũtiauit, Principi nõ liquere, ampliúſque eſſe deliberandũ. Bona interim, vti publicè poſſidebãtur, ita & poſſideri debere. IIII. Non. Iun. M. D. XLIX.

IIII.

MATRIMONII pactis comprehẽſum erat, vt, ſi marito ſupereſſet vxor, bonorũ omnium, quæ ad eum ſpectarent, ipſa vſumfructũ haberet: liberos, ſi quos ex ea ſuſtuliſſet, alẽdo exhibẽdóque. Accidit, vt mortuo marito, filiis exulantibus, Iohannes Tillius, Curiæ Actuarius, multis nominibus cõmendatiſſimus, & à quo magnum aliquid expectatur: Tillius (inquam) qui exulanteis, ob calumniã, pecuniæ condẽnauerat, rem iudicatã exequẽs, ea bona pignori auferret. Tum mater intercedere, dicere filiorũ exilio, quod mortalitati cõparabat, plenũ vſumfructũ ſe conſequutã. Tillius cõtrà, huiuſmodi vſufructu, eam in domo prærogatiuã, qua, viuẽte marito, vxor vtebatur, ſolùm intelligendã: ideóque eũ ad alimẽta eſſe contrahendũ: reliqua omnia ad filios pertinere. Cæterùm qualis ille cunque vſuſfructus eſſet, filios re vera viuere: rem indicatã, mortis fictione nõ eſſe fruſtrandã. QVIBVS de rebus, ſiue à dubio atq; euariante iure, ſiue à ſtudiis & gratia (quod alicui excidit: ego autẽ cùm pro Tillii ipſius integritate, tum etiã pro Ampliſſimi Ordinis dignitate nunquã exiſtimauerim) vix minor in iudicãdo, quàm in agẽdo cõtrouerſia fuit. Nam ad maius tribunal primùm, deinde in prima inquiſitionũ claſſe, calculi adæquarũt. Sed tãdem cùm ad ſecũdanos deuentũ eſſet, ii Colophonem addiderũt, & Tilliũ in cauſa ſuperiorẽ eſſe cẽſuerunt, Harlæo & Hoſpitali alternantis aleæ decretoribus. Placitum pronuntiatum. Prid. Cal. Aug. M. D. L.

De fideicommiſſariis hæreditatibus,

TIT. IX.

I.

IN Fuxii teſtamẽto ferè ſic habebatur. Gaſto dulciſſime fili, mihi

ex aſſe hæres eſto. Sed, cùm morieris, te rogo, vt ſi quis tibi filius ex iuſto ac legitimo matrimonio natus erit, hæreditatẽ ei reſtituas: ſin nullus, Iohãni fratri tuo. Mortuo teſtatore, inſtitutus hæres ex quadam puella, cuius conſuetudine abutebatur, puerum ſuſtulit: quem poſtea, dum illam duceret vxorem, ſacris nuptialibus adhibuit, vt filius ſibi æquè ac iuſtus & legitimus foret. Tum Iohannes, hæredis inſtituti frater, hanc in ſe cudi fabam animaduertẽs, fratri iudicium intẽdit: petit vt huius filii, veluti qui ante matrimonium natus ſit, rationem haberi non licere pronuntietur. Defendebat inſtitutus, filium, per matrimoniũ quod inſecutum erat, legitimũ eſſe factum, & iuris (vt vocãt) fictione, perinde eſſe, atq; ſi ex iuſtis nuptiis editus fuiſſet. Referebatur, filium quidẽ ita legitimũ eſſe habendũ, vt ſuus patri, non itẽ auo hæres futurus eſſet: id enim ſaluo teſtatoris iudicio fieri non poſſe. ET huiuſmodi filiũ, teſtatoris iudicio placuit eſſe cõprehenſum. VII. Id. Iun. M. D. XXXVIII. Macrulo litis enarratore.

II.

DIV multúmque dubitatum eſt, an filio hærede inſtituto, & alio illi ſubſtituto, exiſtente ſubſtitutione, præter legitimam, hoc eſt, tertiam bonorum partem, quæ iure naturæ ex nouella Imp. Iuſtiniani conſtitutione debetur, etiam reliqui beſſis quartam ex Senatuſconſulto Trebelliano competentem, (quæ partes ſemiſſem faciunt) detrahere liceret. ET tãdem licere placuit: alteram, vt ſuo ac legitimo hæredi, qua nec ipſe fraudari potuiſſet: alteram, vt cuiuis extraneo, ſi hæres inſtitutus fuiſſet. Nec aduerſus hanc facere, quòd teſtator ita loquutus eſſet, Volo omnia mea bona ad ſecundum hæredem peruenire. Generalibus enim teſtatoris verbis non adimi, quod lege, vel Senatuſconſulto nominatim conceditur. Et obſcura verba ſic eſſe interpretanda, vt, quoad eius fieri poſſit, leges habeant locum. Imò verò in dubio, veriſimilius eſſe, teſtatorem à legibus & Senatuſconſultis recedere non intendiſſe. Itaque generalia illa verba ita fuiſſe accipienda, vt de omnibus bonis, quæ ex Senatuſconſulto ſupereſſent, intelligerẽtur. Et qui eam quartam detrahi nolit, oportere, eum id expreſſim, & quaſi conceptis verbis prohibere. Dixerit aliquis, otioſa ergo illa: ſuffeciſſet enim ſecũdum hæredẽ nominaſſe. Sed (quæſo) quid prohibet pluribus verbis idem inculcare, & (vt

Græci dicũt) ζωπλοχῶν? Verùm otioſa ſint licet, planum eſt tolerabilius eſſe, hoc vitioſũ (vt ita dicam) admittere, quàm Senatuſcõſulto locum non eſſe. Inter cætera huius argumenti decreta, extat illud, quod pronuntiatum eſt, * M. D. Sanctandreano, Tribuno militum, & Monrenartiis ambigentibus, Clerico litis enarratore.

De hæreditatibus, quæ ab inteſtato DEFERVNTVR, TIT. X.

I.

HAEREDITATEM non aditam non tranſmitti, regula quidem eſt, ſed quæ hanc in primis exceptionem admittit, PRAETERQVAM IN FILIIS, propter naturalem parentum in filios obligationem. Itaque placuit patris hæreditatem à filio non aditam, ad nepotem eſſe tranſmiſſam. Areſtis natalitiis, M. D. L I.

I I.

MATRIS hæreditatem, liberorum maximus, cæteris eam agnoſcentibus, cùm repudiaſſet, controuerſum eſt, an proximus ab eo in erciſcunda familia is habendus eſſet, cui moribus ſuum ætatis nomine ratum eſt præcipuum. Dicebat hic ſe in maximi ius ac locum intraſſe, ſimul atque ille hæreditatem omiſiſſet: perindéque eſſe ac ſi aut nũquam extitiſſet, aut ante delatam hæreditatẽ de medio ſublatus fuiſſet. Hanc fratris à maximo maximi reliqui tum fratres tum ſorores intentionẽ depellebãt, ſed longè diſpari ratione. Illi quidem potius fingendũ eſſe fratrum omnium maximum, poſt aditam hæreditatem, ſine liberis vita exceſſiſſe, atque ita ius ſuum ad ſe, nempe trãſuerſarios hæredes tranſtuliſſe: in quo ſuccedẽdi genere, pro more ciuitatis, fœminarũ ratio non habetur, neque inter maſculos præcipui ius vllum ſibi vindicat locũ: aut certè non petenti partem, velut è trãſuerſo veniẽtem, ſolis maſculis accreuiſſe. Hæ verò, nihil eſſe affingendum, nihil quod morti rectè cõpararetur, nihil quo naturæ veritatẽ imagine obumbrare oporteret. È trãſuerſo nihil obueniſſe: vnã liberis omnibus matris hæreditatẽ eſſe delatam, quam ſi qui vel omiſiſſent, vel repudiaſſent, cæteris pro ſua cuiuſque parte ius eſſet accreſcẽdi. PLACVIT liberorũ omniũ maximi partem cæteris omnibus ex æquo, fratribus ac ſororibus accreuiſſe. Placitũ pro-

nunciatum v. Id. Septembr. M. D. L I I. fratribus ac ſororibus Bocheriis ambigentibus, Alberto litis enarratore.

I I I.

TITIO per patrem, Mæuio per matrem, Sempronio cognatis, de eius hæreditate contendentibus, dicebat Titius ſaltem ſibi deberi paterna, quo defunctum genere contingebat, tametſi vno gradu ab eo lõgius abeſſet. A Mæuio referebatur, regulæ, paterna paternis, materna maternis tribuẽti, non eſſe locũ: quòd ipſe, quanquã materno genere, vno tamẽ illo gradu propior eſſet: neque moribus Titio liceret, patris perſonam induere. * Curiæ claſſi, cæteris claſſibus (quòd ea res ad exẽplum ſæpius reuocatũ iri videretur) cõſultis ac cõſpirãtibus, placuit Mæuiũ ex aſſe hæredẽ eſſe. Placitũ pronũtiatũ. *

I I I I.

FRANCISCO Roſſello ſine liberis mortuo, eius hæreditatem aut certè bona, quæ illi à patre obuenerant, petebat Nicolaus Roſſellus, propius ſobrino. Defendebat Iacobus Geraldus, defuncto cõſobrinus, ea ad ſe pertinere, quòd hoc vno gradu petitorẽ anteuerteret. Anteuertis quidem (referebat petitor) ſed quæ cõtrouertuntur, non ab Auia Lunella, per quam ſolùm tu defunctũ, non etiam per auum (vt ego) contingis, profecta ſunt, imò verò ſunt patris labore parta. SECVNDVM eum vnde petebatur, Præfectus vrbi pronuntiauerat: ſed Curiæ contrà placuit res controuerſas paterno petitori paternas adiudicari. v. Id Sept. M. D. L I I. Fauierio litis enarratore.

V.

SOLIS nepotibus ex pluribus vel fratribus, vel ſororibus, vel vtriſque vtrinque coniunctis, patruo ſuo, diſpari numero, hæredibus exiſtentibus, Azo, cæteríque eius ſectæ Iuriſconſulti, omnes in capita ex æquo: diuerſæ verò ſcholæ autores, vt Placentinus, Accurſius, tametſi auditor Azonis Bartholus & alii, eos in ſtirpes vocari cenſuerunt. CVIVSMODI controuerſia cùm reſortitione in Curiam veniſſet, I I I. Mart. M. D. X X I I, ſecundæ Claſſium inquiſitoriarum placuit, ſecundum Azonianos eſſe pronuntiandum. Prouocatoribus Iohan. Camuſatio & eius vxore, Nicol. Galcheri Faii vidua, aliíſque litis conſortibus prouocatis: Luuiario, litis enarratore. Quod cùm aliis ambigentibus, pura Renato Noleto & Marg. Quadrilibria, in diſceptationem rediiſſet: ambabus Claſſibus (ne-

que enim tum plures erant inquiſitoriæ) prorſus idem placuit: idque fore perpetuum, niſi aliud moribus, aut aliter caueretur. x. Cal. Ian. M. D. XXVI, Bonauentura à ſancto Bartholomæo, litis enarratore. Sed & hoc in conuentu Ordinum Imperii Romani, Spiræ habito, anno M. D. XXIX. Carolum V. Imp. edixiſſe ac cõſtituiſſe, refert Claud. Cantiuncula, Iuriſconſultus, Inſtitutionum Imperialium paraphraſtes doctiſſimus iuxtà ac elegantiſſimus, qui antea multis argumentis, diuerſæ ſententiæ ſubſcripſerat.

Familiæ erciſcundæ, Tit. XI.

I.

DVORVM fratrum filii, patrui hæreditatem, moribus ita diuiſerant, vt qui fratrem natu maximum referebat, beſſem, cæteri trientem auferrent. Inter hos ex triente hæredes, poſtea controuerſum eſt, de eiuſdem trientis beſſe, quem eorum natu maximus ſuum eſſe dicebat. Reſpondebant alii, vnam patrui hæreditatem, quæ patruelibus ſemel omnibus obueniſſet, vnum & alterum non ferre præcipuum. Referebatur, eãdem quidem eſſe hæreditatem, ſed duplici obnoxiam diuiſioni: & quemadmodum in priore, duos fratres fratri hæredes extitiſſe finxerant, ita & in poſteriore fingendos eos, quod ex ea hæreditate accepiſſent, ad ſuos, cum cæteris aliis rebus ſuis, tranſmiſiſſe, vt iam inter ſe quodammodo non patrui, ſed patris hæreditatem quique diuiderent. PLACVIT, in ea ſubdiuiſione, fratrum natu maximo ſuum, ætatis nomine, ratum eſſe præcipuum. Iordanio & cohæredibus de ea re ambigentibus. XVIII. Calend. Maii, M. D. XXXVII.

II.

FVNDVS hæredi futuro prærogatus, licet æſtimatus fuerit, tamen hæreditatem poſtea diuidendo, etiam in ſpecie conferendus eſt. Cuius rei extant multa inſignis memoriæ placita, atque illud in primis, quod pronuntiatum eſt x. Calend. Ian. M. D. XXIIII. Claudio Dezaſſio, Curiæ conſcripto, Renato Picardo & eius vxore litigatoribus, Macrulo litis enarratore.

III.

SED ſi, cui prærogatus eſt fundus, is eum alienauerit, an redimere cogendus eſt, vt conferat, nec antè ad diuiſionem admittendus? ET placuit ſufficere, ſi, qui fundum in ſpecie conferre nequit, eius conferat æſtimationem, habita temporis, quo conferendum eſt, ratione. Placitum pronuntiatum, III. Calend. Mart. M. D. LI. Stephano Darrautio, Margarita Harnichonia vxore, & aliis ambigentibus. Collierius admonuit, exemplóque dato fidem aſtruxit.

IIII.

FILIAM in erciſcunda familia, dotalem quidem pecuniam, non etiam vſuras conferre teneri, iudicio Curiæ recuperatorio pronuntiatum eſt. XII. Calend. Septembr. M. D. XLVI. Antonio Trollartio, Iacoba Bubertræa vxore, & Iohanne Burbertræo, de ea re controuertentibus: Iohanne Coruino, litis enarratore.

V.

MORIBVS noſtris comparatum eſt, nemini licere, familiæ erciſcundæ iudicium intendere, ſed ne nomen quidem hæredis vſurpare, niſi conferendo, ſiquid eum conferre oporteat. Sed quid, ſi non eſt expeditum, quid cōferendum ſit? ET placuit, interpoſita ſatiſdatione, rebúſque hæreditariis collationi manentibus obnoxiis, diuiſionem non remorari. Sic enim abundè cohæredibus proſpectum eſſe. Placitum extemporale, pomeridianum, XII. Calend. April. M. D. LII. Menilio, altero Cauſidicorum.

Apud quem rei venditæ autoritates, ſive cautiones, eſſe debeant, Tit. I.

I.

LVCIVS Titius Publio Mæuio, litem decidẽdo, fundum trãſcripſerat. Contendebat P. Mæuius à L. Titio, ſibi dari conſignatas fundi autoritates. Cui L. Titius hanc ferebat conditionem, ſi cautæ nominatim autoritati cedere volet, quod petebatur, ſtatim ſe daturum: ſin minus, eam in rem, ſe ſibi ac P. Mæuio habiturũ: non ſecus atque traditum eſt, vendita hæreditate, hæredem, teſtamenti exemplum quidem dare debere: tabulas verò authẽticas, ipſum retinere, aut in ædem deponere. MIRVM quàm vario Marte res agitata ſit. Nam qui prima ſortitione vicerat, ſecunda victus, P. nempe Mæuius, tertia eáque ſuprema iterum vicit. Sed & hoc addi placuit, vt L. Titio P. Mæuius deſcriptum ac recognitum faceret, in ſéque reciperet, vt cùm res exigeret, ipſæ autoritates exhiberentur. Ex tempore Anguechinio & Bucheratio cauſam orantibus, XIIII. Cal. Decembr. M. D. L.

De Pactitia redhibitione, Tit. II.

I.

PACTITIAE redhibitionis actionem, perſonalem illam quidem, ſed quæ dubio procul in rem ſcripta ſit, apud redhibendæ rei iudicem intendi atque exerceri poſſe. Ex tempore Calend. April. M. D. XLVIII. ante Liberalia, Iacobo Rufo, Curiæ conſcripto, litigatorum altero.

II.

SEMPRONIVS fundum beneficiarium ea lege vendiderat, vt intra annum redhiberetur. Accidit vt beneficus dominus, pro patronali imperio ac benefica poteſtate, fundum vindicaret. Venditor, eius rei ignarus, intra præſcriptum tempus, ab emptore repetit

fundum. Is eum ſibi, vt dictum eſt, ablatum excuſat. Ille verò quaſi id falſo prætexeti, formulam intendit, ac pecuniam obſignat, dum etiam beneficus dominus accerſitur. Controuertebatur, eſſétne amplius redhibitioni locus, quòd interim exiiſſet dies. ET iudicatum eſt locum eſſe. Quid enim aliud à venditore deſideraſſes, cui de beneficio domino nihil vnquam denuntiatum fuiſſet? Placitum extemporale, VII. Calend. Apr. M. D. XLVIII, eodem Rufo ex litigatoribus vno.

III.

LVCIO Titio, fundum Sempronianum, pactitiæ redhibitionis formula condicenti, emptor obiiciebat, ex parte, venditoris hæredem, & in quem iura cohæredum tranſcripta non eſſent, non niſi ex parte fundum poſſe condicere. PLACVIT, pro pacti ſoliditate, ſolidum fundum rectè condictum eſſe. XI. Calend. Maii M. D. XLVIII. à Liberalibus, Boeleueo litis enarratore.

IIII.

SVB pacti ſexennii finem, Hucheto nihil diſſentiente, pronuntiatum eſt alienata prædia Spinaïo eſſe redhibenda. Cúmque eius rei cauſa, pro ſorte iuſtiſque ſortis corollariis & cognitis acceſſionibus, præſentem pecuniam Spinaïus offerret, diſtulit Huchetus, aut etiam Rieuxius, in quem ius ſuum ipſe trāſcripſerat, prætexēs multò plura ſe in prædia impendiſſe, quæ ſimul rependere oporteret. At cùm ea in promptu non haberet, iuſſus eſt in ſecūdam eius diei pomeridianam, certis ac diſtinctis nominibus edere, & iis Spinaïus in craſtini octauam reſpondere. Spinaïus qui etiam eo nomine ſatiſdare paratus fuiſſet, moram iudicato allatam cauſatus, prouocauit. Victus tam in prima, quàm ſecunda prouocationis lite, tertio quoque prouocauit: & cauſas prouocationis reddens, ac perperam & iniquè iudicatum fuiſſe contendens, poſtulauit, vt res ſumma ad alios, quàm à quibus prouocatum erat, excutienda relegaretur. Ex aduerſo Huchetus & Rieuxius prouocati, rectè atque ordine iudicatum eſſe defendentes, dicebant nihil opus eſſe cauſæ relegatione: propterea quòd dum Spinaïus futilibus ac friuolis appellationibus indulgeret, redhibitionis exiſſet dies. PRONVNTIATVM eſt rectè iudicatū, & cauſa ad primum iudicem relegata: apud quem

proximo menſe, prouocati impẽdia omnia commentario perſtringerent: cui Spinaïus intra ſequentes octo dies reſcriberet. Tum, vice verſa, per prouocatos ad Curiam prouocatum eſt, quòd per hoc tacitè dies non exiſſe iudicata fuiſſet. TANDEM prouocatione ſine fraude circunducta, ſententiam valere placuit. Sufficere enim ad huiuſmodi redhibitionem, intra pactum tempus, pecuniam pro certo, pro incerto ſatiſdationem, ſemel obtuliſſe. Ex tempore v. Id. Aug. M. D. LII. Lallierio Spinaïum gnauiter defendente.

De gentilitia redhibitione, Tit. III.

I.

SYLVA non cædua, cædenda vendita, tractatum eſt, an ea gentilitiæ redhibitioni eſſet obnoxia. ET placuit eſſe obnoxiam, quòd non ea cæſa, ſed extante, redhibitio petita fuiſſet. Si enim ſylua ſolo ſeparata ſit, res mobilis facta eſt, redhibitionem effugiens. Si verò extet, perinde atque fructus pendentes, fundi partem facit, & non ſecus quàm ipſe fundus, redhibitionem admittit. Placitum à Seguerio Regis Cauſidico, ſine die citatum, cùm è Republica, pro Regio cognitore, in VVidi Comitis Lauallii, & VVidæ Comitiſſæ cauſam deſcendiſſet. v. Id. Febr. M. D. LII.

II.

PRAEDIIS oppigneratis, pro intercedẽtis pecuniæ modo penſitaturis, diſceptabatur, eſſétne gentilitiæ redhibitioni locus: & ſi eſſet, an eiſdem numorum ſpeciebus redhibendum: & apud quem creatæ penſitationis inſtrumentum eſſe deberet. Quibus litigatores rationibus vtrinque niterentur, non ſatis perſpectum habemus: ſed finge eum vnde petebatur, ita defendẽtem. Penſitationem, ius eſſe recèns conſtitutum, intellectu comprehenſum, non corpus, non prædium gentilitium. Et ſi quid eſſet quod prædiis hæreret, prædia cõſtitutori hæreditaria eſſe nulla, quæſita omnia, nihil obnoxia gentilitiæ redhibitioni: aut ſi qua eſſent hæreditaria, fieri poſſe, vt penſitationem ſtipulatus, quæſitis, non etiam hæreditariis incumberet. De numorum ſpeciebus, eas, vt erant in inſtrumento deſcriptæ, eſſe renumerandas. Quod attinebat ad penſitationis inſtrumentum, ſe contraxiſſe, ſuiſque numis illud ſibi comparaſſe. Petitorem exiſti-

mes hoc modo replicātem. Ius penſitationis eſſe quidem incorporeū, ſed verò circa corpora verſari. Prædia cōſtitutori aut eſſe hæreditaria, aut certè obuenire poſſe, quæ hūc inirēt nexū, & in quibus fortaſſe tantùm ſtipulator ius ſuum perſequeretur. De ſpeciebus, ſatis fore, ſi de pretio nihil decederet. Inſtrumentum, dum iuſti ac legitimi ſumptus rependerētur, ſuum futurū. PLACVIT redhibitioni eſſe locum: & penſitationis pretio, iuſtíſque impendiis, paribus numorum ſpeciebus, modò ne eis abrogatus eſſet vſus, reſtitutis, & penſitationem, & eius inſtrumentum fore petitoris: ea tamen lege, vt inſtrumenti deſcriptum & recognitū defenſori auferre liceret, & cùm res exigeret, ipſum inſtrumentū exhiberetur. Placitū pronuntiatū III. Non. Ian. M. CCCC. XX. Læſtreo & Lancea diſceptātibus.

III.

FRVCTVS poſt acceptū gentilitiæ redhibitionis iudiciū, etiam ſi nihil obſignatum fuerit, tamen in condemnationem venire placuit. Placitum pronuntiatum VIII. Id. Septembr. M. D. XXXIII. Petro Perdicario Bobignio & Egidia Allegrinia cōtrouertentibus.

IIII.

FVNDVM Cornelianum, cum debitis aliquot annorum fructibus, venditum, Mæuius ſibi gentilitio iure redhiberi petebat. Nulla de fundo facta controuerſia, de fructibus diſceptatum eſt, quòd illi mobilium appellatione continerentur, nec de mobilibus eiuſmodi actio prodita eſſet. PLACVIT etiā fructus eſſe redhibēdos. Fundū enim ac fructus vno pretio emptos fuiſſe: & fructus fundo accedere, cæteráque cum eo vēdita omnia. Placitum à Riantio, apud Sanctandreanum, Tribunum militum de iure reſpondente, ſine nomine, ſihe die citatum, Pridie Cal. Iul. M. D. L.

V.

VBERIORIS cautionis gratia, emptrici Allegriniæ cum Titiis venditoribus conuenerat, vt ædes venditæ auctioni ſupponerentur: & quanticunque emptrix eſſet licitata, nihil tamen vltra quàm pepigerat, numerare teneretur: quod exuperaret, id omne venditoribus incūberet. AEdibus minoris quàm cōueniſſet addictis, & emptrice à Petro Perdicario Bobignio, gētilitiæ redhibitionis iudicio ſuperata, concertatum eſt, quod pretium, qui ſumptus, ob redhibēdi mo-

ram, obſignandi fuiſſent, priuatæ venditionis, an publicæ. ET addictionem placuit ſequēdam eſſe. Vnde colligebat Alberius, & rectè, mea quidem ſententia, in huiuſmodi vēditionibus, quæ ab auctionibus perfectionem accipiunt, redhibitionis petendæ tempus, ab ipſis auctionibus, non autem à priuatis illis venditionibus, initium ducere. Placitum pronuntiatum VIII. Id. Sept. M. D. XXXIII.

VI.

QVOAD matrimoniū durat, eorū, qui ab alterutri genere coniuncto fundum gētilitium ſibi compararunt, indubitatum eſt, eum gentilitiæ redhibitioni non eſſe obnoxium. Sed in contentionem venit, an ſoluto matrimonio, fundi portio eius, qui vēditori gentilis non eſſet, redhibitione teneretur. ET liberis ex eo matrimonio extantibus, non teneri placuit. Eos enim etiam eſſe gentiles: & coniugum ſuperſtiti, ſiue patri, ſiue matri, ſucceſſuros ſperari. Collierius admonuit: & (vt ille aiebat) Trollartius, hac autoritate, vicit Antoniſium: aut ſaltem à lite deterruit.

VII.

MONTHOLONIO, qui poſtea Nomophylaciæ interregno præfuit, ædibus, vt emeret, oblatis: ille offerenti reſpondit, ſe ab eo nihil empturum: fore enim vt ſtatim gentilibus eſſet redhibendum. Habere ſe numarias penſitationes, quas ædibus commutaret: apponerétque, qui è veſtigio pēſitationum pretia numeraret: & ita factum eſt. Non ita multò pòſt (vt rectè Mōtholonius coniecerat) vnus ex ædium commutatoris gentilibus, redhibitorium ei iudicium intendit. Cauſatur, redhibitionis fraudandæ gratia, venditionem commutatione perſonatam: eámque ob rem perinde eſſe, acſi ædes apertè veniſſent. Montholonius contrà, prædiorum cognationem & gentilitatem, in emptionum ac venditionum perniciem (quibus tamen perſpicuum eſt Remp. magna ex parte conſtare) legibus exploſam, moribus, neſcio an ſatis expenſis, eſſe reuocatam. Se, modis omnibus ab æquo bono nihil abhorrentibus, facere potuiſſe, vt quod ſibi comparare vellet, perpetuò haberet. PLACVIT, gentilitiæ redhibitioni non eſſe locū. Placitum à Riantio de iure reſpondente citatum. Prid. Calend. Iul. M. D. L.

VIII.

EMPTOR à Myerio, Curiæ conſcripto, cõuentus, eum eſſe agnouit, cui, iure gentilitio, redhibendum eſſet: ſi ſe ſua cauſa, ſuis numis, ſine fraude redempturum affirmaret. Quod cùm ita iuratum eſſet, Myerius fundum abſtulit, ac poſtridie vendidit. Dicebat emptor, ea venditionis feſtinatione palàm eſſe ſactum, rem per dolum iudicio fuiſſe ablatam, ideóque reſtituendam. Fatebatur ingenuè Myerius, ſe fundum poſtridie vendidiſſe quidem, ſed è re ſua id feciſſe: pluris enim centum aureis numis fundum à ſe venditum eſſe, quàm redemiſſet. PLACVIT emptorem petitione ſummoueri. Rem enim ita facere, quid vetat? Adducebat Riantius de iure reſpondens.

IX.

MINOREM XXV. annis, affectam gẽtilitiæ rehibitionis cauſam, aduerſus Annam Mommorantianũ, Magiſtrum militum, diplomate ſanare contendentem, ferri non placuit. Eius enim generis cauſas eſſe inuidioſas, captatorias, moroſas, & in quibus caſus formularis cauſæ eſt internicio, & anniculũ eremodiciũ etiam litem ad tabem perducit: ideóque iis minori non ſecus ac maiori ſemper eſt adui-gilãdum. Laudabat Riantius, cùm aliquãdo hoc de iure reſpõderet.

X.

VVLGARE eſt eum, qui gentilitio iure, redhibitionis ſentẽtiam vel deditione abſtulerit, vel concertatione expugnauerit, niſi intra quatuor & viginti horas pretium ſumptúſque legitimos reſtituerit, in perpetuũ redhibitione ſummoueri. Sed ſi eo ſentẽtia non vtente, quòd ſcilicet vel eum facti pœniteat, vel pro rei familiaris anguſtia, aliáue de cauſa, aut nolit, aut nequeat: vidẽdum eſt, an cogi poſſit vt numeret, atque ita fundũ recipiat. ET quidem cogi poſſe placuit. Nec repugnare, quod iuri vel fauori, priuilegióue pro me introducto poſſum renuntiare. Hoc enim ita demum habere locum, ſi integra ſunt omnia, nec eo iure vel fauore, priuilegióue abuti cœpero: alioqui feneſtra fruſtratoribus aperiretur. Placitum conſiliare, conflatum, VI. Id. Iul. M. D. LI. quod ex proxima eiuſmodi placitorum pronuntiatione repeti poteſt: nam aliàs certum diem non habemus.

I.

EVM qui ſe autorem ac vindicem eatenus futurũ promiſit, quatenus per ſe tantùm factum eſſet, quominus emptori rem habere liceret: ea, nec ſuo quidem facto, euicta, nihilo ſecius ad pretii reſtitutionem teneri placuit. Neque enim (vt ex Iuliano tranſcripſit Vlpianus) bonæ fidei contractus hoc patitur, vt emptor rem amittat, & pretium venditor retineat, niſi etiam nominatim conuenerit. Ex tempore v. Cal. Decembr. M. D. XLVIII.

II.

AVTOR denuntiatam litem ſibi vel compeſcere, vel in ſe tranſcribere, vel defenſiones ſuo ſumptu periculóque vtendas ſuppeditare, alioqui quanti intereſſet rependere damnatus, cùm nihil eorum præſtaret, denuntiator ſuis præſidiis fidere coactus eſt. Is omnibus tam anterioris, quàm prouocatoriæ litis cladibus acceptis, gradum ad autorem referens, quanti interfuit enumerat, atque in primis non modò quæ ipſe impendit in litem, verumetiam actori à ſe repenſa, mulctámque ſexagenariam. Heus, damnum (inquit autor) quod quis ſua culpa ſentit, an ſentire videtur? Impenſarum condemnari, ínque ſexagenariam incidiſſe fraudem, ſúntne certiſſima temeritatis argumenta? Denuntiata lite, tutóne illi cedere poteras, atque ita non offendere? Poteram (inquit denuntiator) ſi voluiſſem: ſed præſtare viſum eſt, tuo autoris periculo periclitari. PLACVIT ea omnia denũtiatori in litis æſtimationem venire. Placitum vnius claſſium inquiſitoriarũ recitatum VIII. Cal. Iun. M. D. XLIX. Litigatoribus Agnete Succeuina, Claudio Maruello & Nicolao Aruerno, Thibuſto litis enarratore.

De fiduciaria mancipatione, Tit. V.

I.

Fiduciæ Claromontanæ autoritas ſic habet,

" SCIANT omnes præſentes & futuri, quòd Guido comes Claro-
" montis & Aruerniæ, villam ſuam Claramon. & homines ſuos, &
" totum ius, quod habebat in dicta villa ſeu ciuitate, reddidit nomi-
" ne cuſtodiæ R. Dei gratia Claramon. Epiſcopo, fratri ſuo: vt ipſe

» teneret prædicta, donec ipſe vel ſui eſſent in pace cum domino re-
» ge Francorum. In cuius rei teſtimonium nos Ciuitas Claromon.
» de voluntate dictorum Epiſcopi & Comitis præſentem chartulam
» fecimus ſigillari. Datum & actum Anno Domini milleſimo du-
» centeſimo ſecundo, Menſe Iunii.

EX ea autoritate, apud Principem, eiúſque ſanctius ac interius Cõſilium, Lucius, Caterinæ Auguſtæ meæ cauſa, per Dionyſ. Riantium, eius Cauſidicũ, petebam à Gulielmo Pratenſi, Claromõtanorũ Epiſcopo, eas res cum fructibus qui viderentur, mihi reſtitui: & ſi cauſæ cõperendinatus adimi nequiret, vindicias ſecundũ fiduciam pronũtiari. Inter cætera aut nihil, aut certè parũ ad rem faciẽtia, dicebat Epiſcopus, Guidoni Comiti hæredẽ nõ extitiſſe, quòd ille maieſtatis damnatus, ſe, ſuáq; omnia cõmiſiſſet, vt in annalibus erat inuenire. Quòd ſi quis ei hæres extitiſſet, me nõ probare, ſe verò ignorare an Auguſta genus inde duxiſſet. Sed eſto duxiſſe, id quod à me proferebatur, non eſſe autoritatẽ, quòd publicè ſubnotata nõ eſſet, neque conſignata: nulli teſtes adhibiti, nemo ſtipulator, promiſſor nemo. Verùm etſi conſignatiſſima foret, ac prorſus irrefutabilis, res fratri, vt fratri, non vt Epiſcopo datas. Quinetiam ſi volem vt Epiſcopo datas, eas longè antea ad Epiſcopum pertinere, vt etiam ex annalibus colligebatur: rei autem ſuæ vt depoſitũ, ita nec fiduciam cõſiſtere. Sd vt ſe cunque res haberet, ſucceſſores Epiſcopos cauſam poſſeſſionis ignorantes, quadraginta ſeptem annis ſuper trecentos, vſucepiſſe: poſt tot ſæcula, nihil eſſe quærendum. Quòd autem ad vindicias pertinebat, genus à me æditæ actionis reiuindicationem, vel eius inſtar aliquod eſſe, quod vindicias nunquam admitteret. Lucius referebam, me non negare, Philippum Auguſtum Guidoni Comiti bellũ intuliſſe. Id in cauſa fuiſſe cur Comes tẽpus dubium timẽs, Epiſcopo fratri, non armis potẽtiori, ſed fortaſſe vel gratioſo, vel quòd res quæ Eccleſiæ eſſe exiſtimarentur, ſacroſanctæ militibus eſſent, eas, de quibus erat cõtrouerſia, mãcipaſſet: interpoſita fide reſtituendi, cùm tempus quod ſuſpectũ erat, præteriiſſet. Non eò tamen eſſe deuentum, vt publicum maieſtatis iudicium in Comitem exerceretur. Id, ſi actum fuiſſet, nos publicis tabulis mandatum, vt alia id genus, habituros. Iactatos annales (hoc eſt Annonii, Gaguini,

Egidii commentarios) in publicam cuſtodiam, rerum geſtarum gratia, nunquam fuiſſe repoſitos: ideóque integram non habere fidem: ex iis, de hominum fortunis non ſolere decerni: eorum obtētu, hoc in me de Auguſtæ ſanguine dici non potuiſſe, illæſa ipſius maieſtate. Dicentem culpæ non eximere, quòd Regius quidam actor, apud ipſum Principem, eiúſue ſanctius Cōſilium, id aliquando oratione comprehendiſſet. Maledictum non ita huc temerè fuiſſe transferendum: me, læſæ maieſtatis pœnas tempeſtiuè repoſciturum. Cæterùm Guidonis Comitis patrimonium, ipſum maximè Aruerniæ comitatum, qui idem Claromontanus erat, ab eo per gradus, hæreditario iure, ad Auguſtā certè quidem perueniſſe: ſed hoc diſquirere, non eſſe neceſſe: ſufficere eam in Comitis locū, iúſque comitatus vniuerſum, quocunque nomine titulóue ſucceſſiſſe. Ad autoritatis formam replicabam, in illius ſeculi moribus non fuiſſe vt pactis conuentis, imò verò nec ſententiis, nec placitis vllo modo ſubſcriberetur: ſignum, vetuſtate, alióue caſu, quicunque ille fuiſſet, conſumptum. Extare quidem eius temporis ſigna, ſed omnia æquè ab ea iniuria ſe vindicare non potuiſſe. Antiquas autoritates, ſui conſignationem cōmemorantes, cōſignationem probare, etſi nulla alia ſigni ſupereſſent argumēta. Satis ſupérque teſtium adhibitum fuiſſe, quòd in ore atque oculis ciuium Claromontanorum (vt illi ipſi publicè conteſtati erant) res geſta fuiſſet. Exactas ſtipulationum formulas, aliáſque ſummi ac ſtricti iuris minutias, eius tempeſtatis candidam, & ſui vndique ſimillimam ſimplicitatem non tuliſſe: voluntatem Epiſcopi & Comitis, quæ autoritati conſignandæ acceſſiſſet, ea omnia ſuppleuiſſe: inter viros bonos, bene actum fuiſſe, fide optima, genuina bonitate, & pinguicula quadam (quod aiunt) Minerua. Addebam, hæcce certam autoritati fidem adſtruere. Primùm quòd ea ſemel atque iterum è Comitum grammatophylacio, ciuibus Claromōtanis poſtulantibus, aduerſus Epiſcopum vnum & alterum, ipſum eundem vnde petebamus, ídque longo annorū interuallo, rectè atque ordine prolata deſcripta ac recognita fuiſſet: mentione in prima deſcriptione facta, quòd adhuc nonnulla ſigni veſtigia extarent: ambobus Epiſcopis nihil inficiantibus, præterquam quòd ea res nihil ad ciues pertineret, & ii,

ea in parte, ius tertii non conquerentis allegarent. Poſtea, quòd non ſine exemplo hæcce fiducia pacta fuiſſet. Aliquot enim conſimilium autoritates conſignatiſſimas inueniri. Deinde quod Pontificiis animaduerſionibus impulſi teſtes aliquot locupletiſſimi retuliſſent, aduerſarium apud ſe ipſos ingenuè faſſum, ſe eius autoritatis tantundem in tabulario habere, religioſius aſſeruatum, quàm ea apud Auguſtam fuiſſet. Vnde vehementi coniectura augurari liceret, paulò pòſt in eodem tabulario non inuentum, dum id Regis imperio conquireretur, ab antea faſſo, poſtea pernegante, ſuppreſſum fuiſſe. Poſtremò quod multis aliis autoritatibus, iiſque etiam conſignatiſſimis, tam fiduciam antecedentibus, quàm conſequentibus, fiduciæ ipſius dominium Comitis fuiſſe palàm faceremus: tantùm abeſſe, vt Epiſcopus rem ſuam in fiduciam accepiſſet. Epiſcopo autem an fratri, res, fiduciæ nomine datæ fuiſſent, literæ ordinem per ſe ſatis oſtendere: ſatis (inquam) quòd ad calcem autoritatis, Epiſcopus, non frater, eſſet repetitus: aduerſarium non alio, quàm dignitatis iure, eas occupare. Ad extremum, quæ ab Epiſcopis, aliiſue id genus poſſiderentur, non ipſis poſſideri: poſſideri dignitati, poſſideri Eccleſiæ: cui cum ſponſo Opt. Max. Ieſu Chriſto, ſemper eſt vna eadémq; fides, vnus idémque ſpiritus. Apud eos mille annos haberi pro heſterno die præterito, próque nocturnis excubiis. Eam, tam hodie velle, tam hodie teneri, quàm quo die per miniſtrum accepiſſet, fiduciam reſtituere: etiam ſi mille ſeculis, per mille miniſtrorum manus fiducia perambulaſſet. Quòd autem ad vindicias ſpectaret, actionem, tametſi de re proponeretur, tamen in perſonam eſſe conceptam: ideóque à vindiciis non abhorrere. Actione quarta, quæ ſecũda defenſor attulerat, pluribus & confirmare, & noſtra ſtuduit eleuare. Ex quibus omnibus ea quæ πρὸς ἔπος, facile eſt intelligenti, ex antè dictis, coniicere. Pronuntiatum eſt non liquere, & tam de ſumma quæſtione, quàm de agnata vindiciarum liticula, pro cuiuſque natura, amplius eſſe deliberandum. Poſtea Cauſidicorum orationibus ex eadem interſtatione emendatis, & copiis vtrinque prolatis, iiſque viciſſim refutatis ac confirmatis, cauſa per Principem ad ſummã Lutetiæ Curiã relegata, per certos ex ea vſque ad triginta ſummùm vel minimùm vigin-

ti, diſceptanda, iterum de ſumma quæſtione pronuntiatum eſt non liquere: & cauſa inficialiter conſtituta, de iis quæ facti erant, inquirendum eſſe. De vindiciis, eas ſecundum fiduciam placuiſſe dici, x i. Cal. Maii. Anno à Liberalibus M. D. L I. Ex quo, tametſi quarundam vindiciarum iudicio, tria poſſunt axiomata colligi, meo quidem iudicio. Vnum, autoritatibus ſacroſancta illa vetuſtate præditis, ſuam ſimplicitatem, ſuum candorem, ſuam (vt ita dicam) ἀϋπογραφίαν, ſuam ſigni conſumptionem, ſi aliunde earum autoritatum veritatem coniectura conſequi valeas, nihil officere. Alterum, tempus quantumuis longiſſimum, non eſſe modum, quo res, fiduciæ nomine, Eccleſiæ data, vnquam Eccleſiæ acquiratur, vnquam Eccleſiæ fiat, quancunque miniſtrorum ſucceſſionem atque ignorationem prætexere libuerit: quod neceſſariò dicendum eſt: alioqui à vindiciis erat temperandum. Tertium, fiduciæ actionem à depoſiti actione hoc vno diſcrepare, quòd hæc de re mobili, illa de rebus ſoli prodita ſit: cætera conuenire, & nihil minus quàm à vindiciis eſſe alienas. Quibus axiomatis ex inſtituto noſtro cõmemorandis, longè maiore quàm quo vſi ſumus, poteramus vti compendio: ſed quæ res in ea mutanda ſententia duæ plurimùm poterant, ambæ nos ad placitum fuſius enarrãdum perpulerunt. Altera, Auguſtæ, cuius perſonam ſuſtinebamus, atque etiam cauſæ ipſius magnitudo, non tam fortaſſe res, quàm ſi ius, æquum ac bonum, imò verò fidem ac religionem ſpectes. Altera, quòd Epiſcopus (bona illius venia dixerim) iudicibus cauſam diſceptantibus, atque aliis penè omnibus, ſemper obtrudebat (vt etiam aliquãdo ipſi Auguſtæ fecerat) de iis rebus, ſi ſuæ eſſent, nolle cum ea contendere: ſed fidem ſe liberare ſuam: res Eccleſiæ ſe tueri: quæ tamen, pro ſua illa cum Chriſto (qui & ipſe charitas eſt) coniunctione, ſua quærere neſcia eſt: tantùm abeſt vt fiduciam pernegari, vt aliena vnquam velit occupari. Obtrudebat (inquam) ſed incautis, hoc in ſympullo fluctus excitari, quos poſtea vix caperet Oceanus: hanc in OEcumenicam Eccleſiam cudi fabã: à ſe auſpicatum eſſe, quod vniuerſum Eccleſiæ patrimoniũ tandem abſumeret: omnia ſurſum deorſum ferri oportere, ſi de hominum rebus, poſt trecẽtos quadraginta ſeptem annos, ita quæri receptum eſſet. Poſt autem quàm iudica-

tum eſt,quid forſitan irato illi,& iacturæ impatiẽti exciderit,neſcio: ſed allatum eſt mihi,extitiſſe qui exclamarent,ò placitum! Quibus omnibus(niſi maximè fallor) ſatis abundè factum erit,ſi rem vti ea ſe habuit,& à nobis optima fide expoſita eſt, intellexerint : quod ab eis, pro Principis atque Auguſtæ, Auguſtaliúmque omnium, ei qui rei operam dederunt, próque iudicum æquitate, integritate, fide ac religione,etiam atque etiam vehementer peto.

De noui operis nuntiatione, Tit. V I.

1.

MOLETRINIS, ponti Ambianenſium maximo adſtructis, anguſtias molientibus, nouo opere nuntiato, opus facere permiſſum eſt, ſi de eo reſtituendo ſatiſdatio interponeretur. V I. Cal. Octob. M. C C C C. X X X I X.

Vti poſſidetis, Tit. V I I.

1.

INTERDICTORVM retinẽdæ poſſeſſionis cognitionẽ,inter iudices Regios in ſua cuiuſque præfectura, & iudices priuatos in ſuo cuiuſq; foro ambiguam & cõmunem, occupantium propriam fieri palàm eſt.Sed iudicibus Regiis,an abſque diplomate occupare liceret, ſæpenumero dubitatum eſt: & ſemper, Curiæ non liquere tantùm pronuntiatum eſt,donec I I I. Calend.Decembr. M. D. X L V I I, additũ eſt interea id licere, & palàm in iudiciis promulgari iuſſum.

I I.

ETIAM illa interdicta (inquit Paulus) quæ de locis ſacris ac religioſis proponuntur,veluti proprietatis cauſam continent.Sed & iuris Põtificii Conſultorũ prærogatiua ſentẽtia inductũ eſt, de rebus quantumuis (vt aiunt) ſpiritalibus interdici poſſe : & generaliter vbicunque in rem eſt actio, ibi etiam interdictum competere . Inter cæteras ea de re Curiæ autoritates, ea, vel in primis iactari ſolet, qua Diuæ Virginis Lutetiæ Sodalitium aduerſus Diui Mederici ſub ſodales, de cruce in publicis ſupplicationibus non attollenda, vocéque ſummittenda , interdicto contendens , admiſſum eſt. Quibus forſan præiudiciis, interturbatæ poſſeſſionis querela à munici-

pio Auriliacenſi aduerſus eiuſdem minicipii Curionem, flaminéſque interpoſita, quòd ſacerdotes aliquot, municipes ſuos, eodémque fonte luſtratos, ab ipſius municipii Decurionibus proditos, ſecum munia obire ſtipendiáque facere non ſiuerant, frequentis Curiæ decreto non eſt improbata. x. Cal. April. M. D. X L V I I.

I I I.

IS cui hæreditas reſtitui iuſſa eſt, quòd eius mancipium non habeat, interdicto agere non poteſt: ſed ab eius hærede, cuius fideicōmiſſa eſt, petere debet, vt eam reſtituẽdo, fidem liberet ſuam: quod Chartarius, Marilliacus, Seguerius, Thous, Berruerius, Puteanus, in cauſa Tribuni militum, à ſancto Andrea reſponderunt, & ſæpenumero iudicatum eſt, præſertim duabus aliis nobilibus in controuerſiis, Combortana ſcilicet ac Lauzunia.

I I I I.

LVCII Titii hærede, & eius teſtamenti curatore certãtibus, Martem varium & cõmunem varia & communis ſequuta eſt victoria. IVDICATVM eſt hæredem, interdicto retinẽdæ poſſeſſionis agentem, quantùm ad mobilia pertineret, non eſſe ferendum. Ea enim ad annum à morte teſtatoris, in curatoris mãcipio eſſe. Curatorem autem quòd ad res ſoli quæſitas attinebat, interceſſione ſubmouendum: quod ſcriptis poſtea moribus eſt comprehenſum. Placitum pronuntiatum Calend. Septembr. M. C C C. L X X V I I.

V.

GENERALE fuit magiſtratus, honores, officia, munera, veluti precaria omnia, gerẽtibus abrogari, & ei ſucceſſores dari poſſe: quod vel ipſis magiſtratuum, munerúmue diplomatis oſtenditur. Sic enim habent,

Quoad noſtro ſederit animo.

Sed Ordinis Ampliſſ. decreto, cui Principes non ſunt refragati, iandiu receptũ eſt, Regia nihilominus eſſe perpetua: niſi ſi quis vel noxæ damnetur commiſſoriæ, vel ſuapte ſponte magiſtratu, munerẽue ſe abdicet. Quamobrem de iis, non de aliis, etiamſi remunerationis ergô data fuiſſent, interdicebatur. Quam in ſententiam cùm prid. Id. Iun. M. D. X I I. Barmeus tum Regis Cauſidicus multa protuliſſet exempla, Actuarii Villanii (ob bene merita) munere

donatum, ac poſtea pulſum, vti poſſidetis interdicto agere deſiderantem ſubmoueri placuit.

V I.

FVIT hic illius, non huius ætatis ſenſus. Nam de Guiſiano, de Dunēſi, nonnulliſque aliis non Regiis magiſtratibus muneribuſue prorſus aliter decretū eſt. Quorum exemplorum ne viſorum quidem, ſed auditorū tantùm prærogatiua, iudices alioqui in eam ſententiam proni, Claudium Subminium, de iuſta quorundam non Regiorum munerum poſſeſſione decernentem, ſuperiorem pronuntiarunt, I X. Calend. April. M. D. L. Goeurotio litis enarratore: idque rectiſſimè, mea quidem ſententia. Si enim regiis de magiſtratibus, muneribuſue nullam aliam ob cauſam (vt alia certè nulla eſſe videtur) interdici placuit, quàm quòd perpetua eſſent, quid eſt cauſæ cur de non regiis ob benemerita datis, atque adeò etiam perpetuis, diuerſum aliquid ſtatuamus? Sed vt cunque ſeſe res habeat, ſtat nunc ſententia, vt de ambobus æquè interdici poſſit.

V I I.

TREMOLLIO, iuſtæ poſſeſſionis iudicio, certa de pēſione, à Borbonia ſuperato, ea ipſa, ne quotānis agere cogeretur, ſed pignorum captione ſuum conſequi poſſet, nominis nouationē, iudicati actione petebat. Dicebat Tremollius Borboniam id petentem non eſſe ferendam. Nihil enim ad poſſeſſionem, ſed ad hypothecas prorſus pertinere. Imò verò (referebat Borbonia) nouationem, tametſi hypothecas amplecteretur, tamen in perſonā eſſe ſcriptam, & à poſſeſſionis iudicio nihil abhorrere. PLACVIT nouationem eatenus eſſe faciendam, quatenus per eam, vt Borbonia penſionem poſſidebat, ita etiam poſſideret. Areſtis Sextilibus M. D. L I. Briconneto ad tertiam inquiſitoriarum exhedram litis enarratore.

De Sequeſtratione, Tit. VIII.

I.

LITIGATORIBVS alioqui ad arma & rixam interdum proceſſuris, opportunū ac ferè vnicum ſequeſtrationis remedium rectiſſimè veteres oppoſuere. Et cōſultiſſimè Carolus V I I I. lege lata cōſtituit, vt Regii Iuridici, nihil morante prouocatione, & agna-

tas ſequeſtrationum liticulas conficerent, & quas de iis, parte vtraque audita, ſententias dixiſſent, exequerentur. Cui legi & aliis huiuſmodi, cùm detrectatores fraudem facerent, eremodiciis rem agi ſinentes, Franciſcus Valeſius primus hocce perfugium intercluſit. Cauit enim, vt quibus in cauſis, exequutionem rei iudicatæ prouocatio non impediret: nihil referret, contradictione an detrectatione eſſent latæ ſententiæ. Sed antea maximam venerat in controuerſiam ſentẽtia, de ſequeſtratione, non ipſa re quidem, ſed verbis tantùm ac imagine facienda, an etiam lege comprehẽderetur. ET pro vniuerſo Curiæ conſeſſu, placuit eſſe comprehenſam v. Id. Aug. M. CCCC. XCIX. Cuius placiti rationem, quandoquidem aliam non habemus, bona venia, ſic auguramur. Non poſſe, id quod licet in corpore (quod citra controuerſiam maius eſt) etiam in vmbra, (quod minus eſt) non licere. Sed quid vmbratilis iſta ſequeſtratio? eſtne otioſa penitus ac ſuperuacanea, cùm rem controuerſam alter litigatorum interim poſſideat? Minimè verò. Sic enim ea, tantiſper dum lis vel vindiciarum, vel iuſtæ poſſeſſionis agitur, fit alteri ſacroſancta, & ab altero quadam cum religione poſſidetur: vel eius cuſtodiam magis ac obſeruationem habet, & medium quoddam inter veram ſequeſtrationem & vindicias, aut potius vtriuſque eorum facultatis particeps iudicium eſſe videtur.

II.

APVD Principem eiuſque ſanctius Conſilium, Lucio me, à rebus Caterinæ Aug. procurandis primario, à Gulielmo Pratenſi, Epiſcopo Claromontano, repoſcente vrbem ciueſque Claromõtanos, arcem quoque Moduni, cum pertinẽtibus (quæ omnia, anno M. CC. II & VII. Guido Comes Aruerniæ Roberto, Epiſcopo Claromontano, fratri commendauerat, tantiſper dum illi cum Rege non conueniret) Pratenſe contrà ſtrenuè fiduciam inficiante, & occupationem, hominum memoria ſuperiorem præſcribente: ciues interuenere, dicentes ſe ab Epiſcopi tyrannide in Reginæ, verè dominæ, clientelam proclamaſſe: atque (vt Alberius (qua eſt facundia) pulchrè comparabat) inſtar anſerum capitolinarum, Reginam expergefeciſſe, vt iura maiorum, atque adeò ſua, curari ſeruarique iuberet. Hoc nomine, aliiſque nonnullis, Epiſcopo ſe eſſe, foreque inui-

P.i.

ſos,eum ipſis iniquiſſimum. Itaque petebant,vt,ſi qua ratione, iudicium repræſentari nequiret: ſaltem, interea dum amplius eſſet deliberandum,iura Claromonte,maioribus auſpiciis, ſummorúmque faſcium,hoc eſt, Regiorum,autoritate,redderentur.Quod tametſi ſumma ratione niti videretur, tamen non placuit: & ciues, non liquere pronuntiando,poſtulatione ſummoti fuere. III. Non. Apr. die Iouis ante Liberalia, M. D. XLIX.

De Vindiciis, Tit. IX.

I.

LVDOVICVS XII. lege lata conſtituit, ſententias, de ſacrorum beneficiorum vindiciis iuſtáue poſſeſſione (præteritis vindiciis) ex conſignatis autoritatibus dictas, poſthabita ſiue interceſſione ſiue prouocatione,nulla tamen alia intercedẽtis prouocãtíſue captione, ſatisdato exequi licere. Poſtea verò Frãciſcus Valeſius primus, vindicias,quibuſcũque de rebus dictas,atque id etiam quod de vi interdictũ eſſet, eodem executionis iure haberi voluit. Dicebat Claud. Subminius,priori legi,per poſteriorẽ, veluti adrogatũ eſſe: & ſi quis eas temperaret,ſententiam,de iuſta rei profanæ poſſeſſione (præteritis vindiciis) ſecundum ſe latam, iis legibus, ſaltem intellectu atque interpretatione, eſſe comprehenſam. Nihil referre, quòd non ex autoritatibus modò, ſed etiam ex inquiſitione dicta eſſet. Non enim in profanis, perinde atque in ſacris, ab autoritatibus pendere poſſeſſionem. Legem præterea poſteriorem nihil diſtinguere, vindiciæ,ex autoritatibus, an ex inquiſitione dicerentur: & de vi,non niſi teſtimoniis, interdici poſſe. Itaque poſtulabat, vt in ſpecie propoſita,eiuſmodi legibus vteremur. MIC.Hoſpitali,Conſcripto,Recuperatore dato,ac poſtmodum renuntiante,Subminium poſtulatione ſummoueri placuit.

De his, qui nexum corporis iniue-RVNT, TIT. I.

I.

EVM, qui corporis nexum inierit, comprehēdi ac duci quidem poſſe : ſed vinciri, traduci, alienæ iuriſdictionis cuſtodiæ mandari, non poſſe. XIII. Cal. Maii. M. D. L. Puto tamen eos, qui apud Præfectum vrbi ita ſeſe alligauerint, hoc placito, quòd ad cuſtodiam pertinet, non contineri. Solent enim adduci : ídque ſigni Regii, Præfecto commendati, priuilegio tribuitur.

De Pigneratione, Tit. II.

I.

DECRETA in exteros pigneratione, quam noſtrates Marcam, vulgus indoctorum Repreſſalias vocat, χρηματοληψίαν intelligi, non ἀνδροληψίαν, hoc eſt, rerum, non etiam hominum comprehenſionem. Itaque pigneratos aliquot Tarraconenſes, rebus eorum, etiam pigneratis, remanentibus, dimitti placuit, IIII. Non. April. M. CCC. LXXXVII.

De Pignoribus & Hypothecis, TIT. III.

I.

VVLGÒ iactari ſolet, pignorum ablatorum nullam eſſe perſequutionem. Sed inter cætera, quæ ab hac regula excipi poſſunt, hoc quoque Curiæ placuit. Eum, apud quem ſolarii ius mancipiíque eſſet, ſiue in prædium vrbanum inducta, illata, ſiue prædium ipſum veneat: non modò iuris ipſius, ſed etiam obuentuum gratia, primarum partium exactorem, ſuíque nominis ſeruatorem fore. Quod ita increbuit, vt iamdiu tranſlatitium ac vulgare ſit, hypothecas plurimò licentibus aliter non addici : tametſi auctionibus, eam ob

cauſam non ſit interceſſum. Placitum pronuntiatum * Habetur in actis anni M. C C C. L X V I I.

I I.

QVOD moribus comparatum eſſe dicebatur, hypothecam diuidi poſſe, dãnari placuit, vetaríque ne vnquam tale quicquam vſurparetur. V I. Id. Iun. M. C C C. L X X X V I.

I I I.

COENOBITAE cuidam primario, ſoror centum mutuo dedit, ſine chirographo. Ille, poſt aliquod tempus, epidemia correptus, à ſorore, debiti admonitus, vaſculum, quo ſacra faciebat, ſuum pignori miſit, & interiit. Archimandrita, exuuiarum iure, quaſíque pro hærede, creditrici, de vaſculo, iudicium intendit. Hæc, nihil ſe morari pignoris reſtitutionem, ſi modò lueretur. Ille, vaſculum ſemel conſecratum, nec profanatum (quòd diuini iuris eſſet) oppignerari non potuiſſe. CLASSIBVS omnibus conſultis, Curiæ perſcripta eſt autoritas: Archimandritam vaſculum recepturum, ſed centum antè numeraturum. Pronuntiata V I I. Id. Sept. M. D. X L V I I I.

De pactis pignorum & lege commiſſoria in pignoribus reſcindenda, TIT. I I I I.

I.

CENTVM à Mæuio mutuatus promiſit Titius, intra annum ſe ſoluturum, & ei hoc nomine fundum oppigneraui: cauítque, vt ſi intra eum diem, credita pecunia non exolueretur, ea fundus eſſet emptus. Cùm autem ſe Titius nõ liberaſſet, cœpit Mæuius fundum pro emptore poſſidere, atque de eo, etiam interdicto agere. Quo Titius ſuperatus, prouocauit, cauſatus propriam cuiuſlibet contractus eſſe naturam, neque in aliam poſſe degenerare. Mutuum ſemper eſſe mutuum, quancunque perſonam induxeris. Pactum quod de venditione adiectum erat, inſtar eſſe commiſſoriæ pignorum legis: quam infirmari, & eius memoriam aboleri, iãdudum placuiſſet, réque amiſſa, creditores recipere quod dediſſent. Diuerſum fortaſſe fore, ſi hypothecæ datio ita facta fuiſſet, vt, ſi intra pactũ tempus pe-

cunia ſoluta non eſſet: creditor rem poſſideret,iuſto pretio tũc æſtimandam. Hoc enim caſu, videretur quodammodo conditionalis eſſe vẽditio. PLACVIT quidem vẽditionem non valere:ſed media quadam iuriſprudentia, & ſui cuique tribuendi compendio, decretum eſt,vt, ſi intra duos menſes Titius non ſolueret, fundus Mæuio tanti emptus eſſet,quanti æſtimatores,earum rerum callentes, arbitrarentur. Ex tempore XIIII. Cal. Iun. M.D.LII.

De Senatuſconſulto Velleiano,

TIT. V.

I.

SI mulier Senatuſconſulti Velleiani beneficium eiurauerit,tametſi verbis generalibus eiuratio concepta ſit, tamen non eſſe reſtituendam pronuntiatum eſt, menſe Febr. M.D.XLIIII. Litigatoribus Crepecordio *

II.

QVOTIES in obligatione, præcedit iuſſus mulieris: eam Senatuſconſulti Velleiani beneficio non iuuari placuit. Placitum recitatum VII. Cal. Decembr. M.D.XLV. Litigatoribus * Rolando & Merciarii Vidua.

III.

REM alienam mulier cum alio in ſolidum vendiderat. Senatuſconſulto Velleiano locum non eſſe,tertiæ inquiſitionum claſſi placuit. Nec mota eſt, quòd emptorem mulier non decepiſſet: erat enim expreſſum, ad quos ea res pertineret. Sed viſum eſt ſufficere, mulierem vẽdidiſſe: & aliud eſſe, mulierem pro alio intercedere, aliud eam apertè vendere. Nec vero non eſſe ſimile, emptorem, qui mulieris fidem, fortunáſque ſequebatur, non aliter empturum fuiſſe, quàm ſi & ipſa venderet. VII. Calend. Martii M.D.XLV. Litigatoribus Iohanne Oleario,& hæredibus Annæ Colligniæ.

De ſolutionib. liberationib. & compenſationib.

TIT. VI.

I.

FLANDRO mercatori mercator Gallus in mille tenebatur. Gal-

lo procraſtinatori dictat iudicium Flãdrus. Ille detrectare, tergiuerſari. Hic horis omnibus ac momentis inſtare, vrgere. Bello interea ſuborto, inimicorũ rebus (vt aſſolet) quæ apud nos erant, fiſco addictis, Quæſtor ærarius nomen exigit. Icto poſtea fœdere, Flãdróque litem repetẽte, Gallus excipit ſolutionẽ Quæſtori factam. Reſpondet Flandrus, Galli dolo culpáue lata eſſe factum, vt eò res deueniret: atque ita eum teneri, ſaltem quanti ſua intererat, Gallum non fuiſſe tergiuerſatum. Referebat Gallus, non modò nomen, ſed & actionem omnem à Flandro, hoſte proclamato, perfidiæ nomine commiſſam eſſe. Depulſus exceptione Flandrus Curiam appellauit. ET repræſentato Curiæ ipſius iudicio, prouocatio, ſine fraude, circunducta eſt, ídque vnde prouocatum erat, comprobatum. Quia tamen à Gallo, Quæſtor ærarius adumbratus fuiſſe dicebatur: receptum eſt, quod è re Galli factum eſſe comperiretur, eum reſtituturum * Auguſti M. D. XLVIII.

II.

TVNICAE muliebris partem anteriorẽ (dicámne antilenam?) acu pictam, Caius Seio vendiderat aureis quinquaginta ſolatis, in lana per libras æſtimata, certo tempore perſoluendis. Moram faciente Seio, Caius ei pecuniæ dicam impegit. Defendebat Seius, ſe non pecuniæ debitorem, ſed lanæ: quam offerebat, quantíque intererat, eam tempore ſolutam fuiſſe. Referebat Caius, per ſe, moram Seio purgare non licere, atque adeò eum pecuniam debere. Victus Seius fruſtrà Curiam appellauit. Nam & pecuniæ & mulctæ damnatus eſt: multa tamen, ob cauſam ex ſexagenaria vicenaria facta.

III.

REI priuatæ Quæſtorem, ſeu, ſi mauis, prouẽtus alieni coactorem, eúmque reliquatorem, æris alieni in annum ſoluendi, veniæ candidatũ, diplomate eam in rem impetrato ſubmouendum, Riantius, Bernagius, Lallierius, multis aliis cõtrà ſentiẽtibus, reſponderũt: & ita poſtea Curialis Tholi Cõſcripti, omnes ad vnum (vt erat cõſpicere) cenſuerũt. Reliquatori tamen ex cauſa, creditore nec admodũ reclamante, ſemeſtre indulſerunt, XIX. Cal. Febr. M. D. XLVII.

IIII.

DEBITORI creditor indulſit, vt quod rei iudicatæ nomine, præ-

ſenti die, ſolidum debebatur, certis intra biennium diebus, in parteis diſſolueretur. Creditori, poſtea certæ litis impendiis mulctato & cōpenſationem poſtulāti, debitor obiecit, perinde eſſe compenſare atque ſoluere. Cæterùm,ſolutionis quidem ceſſiſſe,non veniſſe diem: & creditorem,compenſare deſyderantem,plus tempore petere. Dicebat creditor, humanitatem ſuam in ſe non eſſe torquendam. Debitor contrà, prioris nominis nouatione,qua ratione cunque facta,ſtandum eſſe. PLACVIT,nihil obeſſe cōpenſationi,quòd dies ſolutionis non veniſſet. Placitum pronūtiatum XII. Cal. Mart. M. D. L. Litigatoribus Iohanne Foliolo & Olea Pontiueo.

V.

PAVLVM reſpondiſſe, teſtatum habemus, creditorem in aliam formam numos accipere non eſſe cogendum, ſi ex ea re damnum aliquod paſſurus ſit. Quod etiam in rei venditæ pretio, ſi ea redhibenda ſit,reſtituendo,locum habere,hominem eſſe,qui dubitet,arbitror neminem. Sed ſi tum eiuſdem formæ numi,pluris à Principe indicati ſint, quàm cùm venditio fieret:quanti interſit, quò ſpectare dicemus? an ad redhibētem, an verò ad eum qui pretium reſtituit? Qua de re,quid iudicatum fuerit,videamus. Annuam cētum aureorum amico vendenti pēſitationem,Dormātius,Curiæ Conſcriptus, nomen accommodauerat, ſéque nexu prorſus eodem quo venditor obſtrinxerat. Poſt aliquod tēpus, ipſe venditoris ceſſationem ad ſe pertinere proſpiciēs, redhibendi pactū venditioni adiectum exercuit, ſolatis mille ducentis aureis à ſe renumeratis. Cùm autem ſe collegiſſet,animaduertit, æſtimatos aureos venditori fuiſſe datos: quos cùm ipſe rependeret, pluris aureus aſſe conſtaret, quàm cùm venditor accepiſſet: itaque quod eo nomine plus ſolutū eſſe exiſtimaret,condixit. E diuerſo proponebatur, non plureis quàm datos aureos fuiſſe receptos. Cæterùm nullam æſtimationis rationem haberi licere, vbi certa numorum ſpecie, definitóque numero res acta fuiſſet. Victus apud libellares ad Baſilicā Recuperatores Dormantius, prouocauit. ET vt optimo iure conditum, ita & prouocatum eſſe placuit. Areſtis Natalitiis. M. D. LII.

De edendo, Tit. I.

I.

QVOD Fräciſcus Valeſius, primus, pactorum perſcriptoribus vetuit, ne contractus à ſe perſcriptos cuiquam ederent, præterquam contrahentibus, eorúmue hæredibus, aut ab eis cauſam habentibus, ita temperandum eſt: vt, ex cauſa, etiam extraneo edere teneantur. Quod & ipſa lege, poſtremis CLXXVII capitis verbis, in iudicantis religione ſatis apertè poſitum eſt. ITAQVE Clauierio numarium ſodalitii Sacerdotii cõmercium incuſanti, Laurentium edere placuit * M.D.XLVIII, Mommiralio litis enarratore.

II.

CONVENERAT vt exactor ſtato tempore, vbicunque domina eſſet, ipſe ei rationes ederet. Is à ſuo iudice, id Malinis Flandrorum, vbi domina tum ageret, tẽporéque obligationis agebat, facere iuſſus, Curiam appellauit, Regiúmque ac publicum actorem ſubſcriptorem habuit: cauſantibus ambobus id nihil aliud eſſe, quàm indigenam exoticæ iuriſdictioni ſubiicere: & generalem edendarum rationum obligationem vltra Gallici imperii fines non eſſe proferendam. PLACVIT, etiam Malinis rationes edi: ſed ſi quid in eis diſpungendis controuerſiæ ſuboriretur, fore, vt exactor ad ſuas leges reiiceretur. Placitum extemporale, III. Non. Decembr. M. D. XLVIII.

De alienatione iudicii mutandi CAVSA FACTA, TIT. II.

I.

REX Lodoicus XII, Pius, Fel. Aug. P.P. ſanciuit edicto, vt tranſcriptiones quas à patre in filium, à fratre in fratrem, à patruo

in nepotem, ſtudiorum gratia fieri cõtingeret (ne ſub eiuſmodi obtentu latius eorum graſſaretur improbitas,qui cùm rem habere velint, litem ad alium transferunt, vt moleſtum aduerſarium pro ſe ſubiiciant) ita demum valituras, ſi fraus abeſſet, & de integris debitis eſſent factæ. Sed ſi quis cuiuſuis annuæ penſitationis obuenta, non etiam penſitationem trãſcripſerit: hac in ſpecie, ſcilicet,vt ſtudiorum cauſa, iudicium mutari poſſit, an aliquid egerit, videamus. ET nihil egiſſe iudicatum eſt. Integrum enim debitum non eſſe tranſcriptum, niſi & penſitatio ipſa cum obuentis tranſcribatur. Vnde & hoc colligitur, edictum,non de debitis tantùm quæ in perſonam, verumetiam quæ in rem concepta ſunt, eſſe intelligẽdum. Ex tempore, V. aut IIII. Cal. Mart. M. D. XXXVII.

Quod cuiuſcunque vniuerſitatis NOMINE, VEL CONTRA EAM agetur, TIT. III.

I.

MVNICIPES, Comopolitanos, Vicanos, litis exercendæ aliúſue negotii agendi cauſa, non in extraneos modò, verumetiam in dominum,ſuo iudice autore,comitia habere,&,conſulto Principe, ſibi ipſis numos imperare poſſe, æquiſſimum eſt. Sed ſiqui ſint ex eis, quorum nihil tum interſit:vt(exempli cauſa) ſi ex certis prædiis dominus vectigal inauditum petat, & ſint qui nulla prorſus, aut niſi optimo iure prædia habeant,quæſo, an conferre debeant? ET magis eſſe viſum eſt vt debeant. Iam enim ſua ſatis intereſt, quod fieri poteſt vt habeant. Ex tempore, XVIII. Calend. Iul. M. D. XLVIII. Litigatoribus Comite & ciuibus Tonitruenſib.

II.

SVBDITI de dominis queruli, Regiæ tutelæ ſe credi petentes, non ſunt audiendi: ſed & domini & ſubditi pro officio ac poteſtate monendi, vt habita ſui vtrinque ratione, in officio ſeſe contineant. Sed & ſi quid animaduerſione dignum, factum eſſe dicetur, quærendum eſt ac vindicandum. Ex tempore, eodem die, iiſdémque litigatoribus.

III.

SI famoſus, vniuerſitatis nomine, libellus in dominum editus eſt, & ipſe iniuriarum acturus, quod geſtum eſt, petat ab vniuerſitate probari vel improbari: non ſufficit maiorem partem generatim, ſed ſingulos ſpeciatim de ea re dicere oportet. Auctores enim & conſpiratos tantùm plectendos eſſe conſtat, non vniuerſitatem: & ita placuit. Ex tempore, iiſdem & litigatoribus: & die.

IIII.

SI in vicanos pecuniæ dānatos lege agatur, nec quicquam ſit in corporibus nominibúſque publicis, vnde ea redigi poſſit: æditius, necnon Regii vectigalis diuiſoribus, collectoribúſque prouinciam iniungi licere receptum eſt: vt pecuniam intra certum diem, inſtar vectigalis, conficiant ac dependant: alioqui eos à ſe numerare debere, poſtea ab hominibus ſuis recepturos. Sed videndum eſt, æditiuis & diuiſoribus nihil præſtantibus, ſítne collectoribus quod imputetur. ET non eſſe placuit: nec enim diuiſionem collectio poteſt anteuertere. Placitum pronuntiatum XV. Cal. Sept. M.D.XLVIII. Marandeto altero litigatorum, Harlaïo litis enarratore.

De iudiciis, & vbi quis agere vel

CONVENIRI DEBEAT,

TIT. IIII.

I.

GERGOVIAM, prouinciis, quæ legibus, & ciuili iure Romanorum reguntur ac diſceptant, annumerari placuit. Non. Septembr. M.CCCC.XCI.

II.

GVLIELMVS Merlinus, Academiæ Lutetianæ tabellarii perſonam ſuſcipiēs, ad Præfectū vrbi, academicorū priuilegiorū vindicem ac Cōſeruatorem, Antonio Lucēburgio dixerat diem, manū vt agnoſceret ſuam. Lucemburgio, fori præſcriptione ſummoto, Curiáque hoc nomine ab eo appellata: cœpit Merlinus veluti quodam vindiciarum iudicio, idipſum à Curia, quod à Præfecto petiturus erat, libello poſtulare. Lucemburgius forum rurſus præſcribere: di-

cere,hoc illæſa prouocatione fieri non poſſe:quam in præſentia (ne quid,morādi cauſa,facere videretur) vel orare,vel,de tertii cōſultoris ſentētia,decidere offerebat. A' Merlino referebatur, XCII. capite legis,à Frācīſco Valeſio latæ anno M.D.XXXIX, iudices omneis, chirographis agnoſcendis, iuſtos ac legitimos eſſe factos. Actione ſecunda, dicebat Lucemburgius, id quidem eſſe verum, ſi ibi reus eſſet,vbi in ius vocaretur: alioqui fore, vt aliis alios vexandi feneſtra quædam aperiretur, & cuiuſuis prouocationis obtentu, earum rerum quæ ad Curiam non pertinēt,ea iudex efficeretur. PLACVIT Lucemburgium in Curia chirographum agnoſcere, vel abnegare teneri. III. Non. Iul. M.D.L. Macrulo recuperatore,& proluſoriæ litis huius enarratore.

III.

SCHOLASTICIS de priuilegiis, iudicibúſque ad eorum tutelam à ſummo Pontifice cōſtitutis, lege lata, comprehenſum eſt: ne quem,longius quàm dierum quatuor itinere, liceat euocare. Vnde in controuerſiam adductum eſt, an id quoque ad iudicem, priuilegiis ab ipſo etiam ſummo Pontifice, aulico miniſterio irrogatis, ad diuæ Genoueſes, Lutetiæ, datū porrigeretur. ET nequaquam porrigi placuit. Principis enim beneficium, quod à diuina, ſcilicet, eius indulgentia proficiſcitur, cuíque huiuſmodi cancellos nec ille præſcripſit,nos quàm pleniſſimè interpretari debere. Placitū extēporale, partim prouocatoris detrectatione & quaſi deditione,partim etiā tranſlatitia ratione conflatum,cùm id à Franciſco Odone, & Simone Nanquiero diſceptatum eſſet, IX. Cal. Mart. M.D.XLI.

IIII.

EOS iudices, quos res iudicanda, τὸ χρηόλιδιον, vel ſola ſpeciei ſimilitudine contingit: de ea re, ſententiam dicere non debere. Eſſet enim ſibiipſi quodammodo ius dicere. Et difficile eſt, nobis aliquid cupientibus, nos aliqua in parte non obſequi: nos, iam aliquam in partem inclinantibus nobis, nihil perſuadere: & iura, potiſſimùm euariantia,ad id,quod maximè velimus,non contorquere. VII. Id. Ian. M.CCCC.XXVIII.

V.

PRIMA facie, vix eſt, vt qui à patre iudice prouocauerit, filium

prouocatoriæ litis iudicem ferat. Quid ergo prouocator Conſcripti reiectione ſummotus eſt, cuius pater vnus erat è baſilicanis, Recuperatoribus, vnde prouocatum eſſet? Et ſanè quantum coniectura aſſequi poſſumus, id cauſæ fuit, quòd Recuperatorii collegii ſententia eſſet, non illius refutati Conſcripti patris, qui vnici tantùm puncti numerum obtineret, & fortaſſis non ita cenſuiſſet.

VI.

VBI cauſam conſilii eſſe pronuntiatum eſt, eámque ob rem litis inſtrumentum proferri iuſſum, præciſa inſtrumento contradicendi facultate: PLACVIT vtrunque litigatorem, re integra, ipſi inſtrumento, ſine vlla denuntiatione, quod libuerit, addere poſſe. VII. Id. Aug. M. D. IIII.

VII.

DE iis, qui poſt litis inſtrumenta, inſpectoribus enarrantibus & cuſtodibus adhibitis, ad pluteum de more perluſtrata, nouas copias proferebant, atque ita magno diuerſarum partium malo, ac fortaſſe etiam ſuo, lites ſuis fatis eripiebant: PLACVIT, hoc amplius non eſſe ferēdum. VIII. Cal. Mart. M. CCCC. XCV. Quod lege quoque poſtea ſacratum eſt, & aliquo tempore valuit: ſed, vt mali mores exploſi facilè ſolent recurrere, iamdudū res eôdem reuoluta eſt. Initium reuolutionis fuiſſe dicitur Antonius Pratēſis, Curiæ tum temporis Curio ſummus, poſtea Nomophylaciæ præfectus, & ad ſummum propè Pontificatum euectus, veri & æqui vſqueadeò ſtudioſus, vt diceret, ſi quicquam inter iudicandum, quacunque, vel de nubibus, in pluteum delaberetur, id nunquam ſe præteriturum. Quod certè ſummam æquitatis ſpeciem habere videtur, ſed nōnihil etiam iniquitatis admixtum. Eſt enim inter cætera non minimum litium extrahendarum argumentum.

VIII.

POSTEA quàm ad inſtructæ litis coronidem peruentum eſt, diplomatico iuſtitio, quod belli peregrini, vel legationis cauſa dari ſolet, non eſſe locum. XVI. Calend. Apr. Anno M. CCCC. LVI. poſt Martinalia.

IX.

VNIVERSAM intentionem Annæ Menipeniæ Iohānes Stuar-

tius,vna hæredis aſſerti pernegatione depulit:& poſtea, militiæ cauſa, peregrè profectus, trimeſtre iuſtitium ex Regio diplomate poſtulauit. Dicebat Menipenia, nihil deſyderari præter iudicum officium, ad litem inficialiter conſtituẽdam. Quancunque iuſtitii cauſam,ſiue militiæ,ſiue feriarum prætexere libuerit:nos ſaltem ad hoc cogi æquum eſſe,vt lis conteſtetur, & inquirẽdi poteſtas fiat, ne quis probationũ ſuarum periculũ adire cogatur. Poſſe quidẽ teſtimoniorũ anticipatione mederi: ſed nõ ſine diſpẽdio,periculíque ſuſpicione. Abſentiam Reipub.cauſa, vt abſenti,ita nec alii dãnoſam eſſe debere. Aduerſario domũ reuerſo per ſe licitũ fore,ſi quid allegationũ omiſſum eſſet,ſupplere. STVARTIO diplomate ac poſtulatione ſummoto,litem inficialiter cõſtitui placuit,inquirẽdíque fieri poteſtatẽ:ea tamen,quam Menipenia tulerat,cõditione. Ad exhedram publico Principis patrimonio adſcriptam, XIX.Cal.Febr. M. D. LII.

X.

EPISCOPVM, nonnullóſque alios Cameracẽſes,reos Curiæ delatos, domum,quòd alienigenas ſe dicerent, reuocantes, iudicium ſuſcipere debere. Noſtræ enim eſſe ditionis ac imperii. Prid. Cal. Maii. Anno à Martinalibus M. CCCC. XX.

XI.

DOMINVM poſtulãtem,vt ſubditus ad Regium iudicem vadatus,ad ſua iura relegetur,non eſſe audiẽdum, niſi ſubditus obeat vadimonium. Alioqui fieri poſſe, vt dominis ad ſuorum ſcelera conniuentibus(ne quid peius interea dicam) Iuſtitiæ numini,nec infrequẽter illudatur. Placitum extemporale,Duce Guiſio, altero litigatorum anno * Riantius admonuit.

XII.

PISCATORIBVS, de piſcibus à ſe captis, in litore rixantibus, alter alteri manus attulit. Concertabatur, eius ſceleris, cuius eſſet animaduerſio,Præfecti maris,an germani iudicis,ſeu,ſi mauis,ordinarii. Et Præfecti maris non eſſe placuit. Id enim ad rem maritimam nihil omnino pertinere. Ex tempore,ad claſſem rerum capitalium, XI. Calend. Iul. M. D. L.

XIII.

DEBITOR abductus,aram ceſſionis arripiens, eo nomine credi-

tori dixerat diē. Creditore, fori præſcriptione ſummoto, & per prouocationē, iudicis imperiū detrectante, debitor ad bonorū ceſſionem admiſſus, ea facta dimiſſus eſt, & poſtea nō ſoluendo interiit. Concertabatur an iure prouocatus eſſet iudex, quòd litē quodāmodo ſuam feciſſe, & CLXII, ac III. capite legis à Franciſco Valeſio, an. M. D. XXXIX. de iudiciis, latæ, teneri diceretur. Sic enim ait,

" Iudices, qui ſemel in quæſtionibus exercēdis inſigniter errauerint,
" ære graui mulctanto.
" Iis qui iterum, in annum: qui tertium, Magiſtratum in perpetuum
" abroganto, eóſque omni Regio munere indignos pronuntianto.
" Litigatoribus nihilominus quanti ſua interſit, repēdere coguntο.

PLACVIT iudicem rectè atque ordine prouocatū eſſe, & (vt breuiter dicam) veram vniuerſæ litis æſtimationem præſtare debere. Pridie Calend. Febr. M. D. L.

XIIII.

PROVOCATVS effecerat iudex, vt prouocator, quem ille in carcere habebat, procuratorē daret, qui in iure agnoſceret, eum à ſe temerè prouocatum eſſe, certáque pecunia litē æſtimari pateretur. PROVOCATOREM, iis cōditionibus è carcere dimiſſum, & poſtea in integrum reſtitui poſtulantem exaudiri placuit: iudicibúſque omnibus interminari, nequid à ſe tale in poſterum deſignaretur. Ex tempore ad exhedram rerum capitalium, Prid. Cal. Febr. M. D. L.

XV.

REO requirēdo adnotato, Præfectus prouinciæ certior factus, eū, in carcerē coniectū, à Prodomino Carnuteo haberi: iterū atque iterū iuſſit ad ſe relegari, de receptitio crimine legibus interrogandū. Quæ impèria cùm Prodominus plus æquo detrectaret, reus effracto carcere effugit. PRODOMINVS detrectationis dānatus, reū iudicio ſiſtere, ac pro eo fiduciariū pecuniæ iudicatū interim facere iuſſus eſt.

XVI.

REGIIS ſanctionibus comprehenſum eſt, reum abſentem delatum, indicta cauſa, tam anteriore, quàm prouocatoria, damnatum, diplomatici poſtliminii ab integro ſiſtendi iudicio impetratorem, quæſtioni quantuncunque ſe offerentem, non eſſe ferendum: niſi quòd ad perſequutorē noxæ ac maleficii pertinet, iudicatū fecerit.

Cōcertabatur, an legis acerbitas etiam ad eos extēderetur, qui primū in Curia iudiciū ſortiūtur. ET Curiæ Tholus legē eò prorogari iudicauit. Portano cauſam excipiētis orāte, Pridie Cal. Iul. M. D. X L V I I I.

X V I I.

BENE à maioribus conſtitutū eſt, vt præfecturis ius à Curia reſortitione petentibus, ſui cuique ſtati iuſtíque dies, cauſis orandis ac (ſi fieri poſſet) ex tempore iudicādis, aſſignarētur. Horum poſtremi, areſtis Sextilibus (hoc eſt medio Auguſto) finiuntur. Reliquum ſeſſionis vſque ad V I I. Id. Septembr. (quo die iuſtitiū indicitur) conſiliis, & ſarcinis, ad Curiæ iudicia aliàue eius, ex attributione, mādata peregrè exequēda, cōponendis, cōceditur. Hoc tēpore, vt nihil amplius cauſarū expaſſis Curiæ valuis oratur: ita nec vlla litigatorū nomina edūtur, nec ab editionū actuario accipiūtur. Itaque condicti dies, qui in reliquam illam ſeſſionē iuſtitiúmue incidiſſent, ad ſuos cuiuſque præfecturæ dies proferebātur: ordine exquiſitiſſimo quidē illo, ſed litigatoribus in lōgum fortaſſe diem reiectis, ac moræ impatiētibus, & aliquid extra legitimos dies cōpendii ſperātibus, moleſtiſſimo. QVIBVS, ad Regii Cognitoris poſtulationem P. C. ita ſuccurrēdum cenſuerunt. Tantiſper dum Princeps ea de re cōſtituiſſet, placere, dictos dies, qui in ea tempora caderent, in octauum à Martinalibus diem diffundi: hacce Curiæ autoritate per omnes ditionis eius præfecturas promulganda, nec ante Martinalia, quæ proxima forent, valitura. XIIII. Calend. Decembr. M. D. X L I X.

De curatore in litem, Tit. V.

I.

FRANCISCVS Piſcis, Claudiæ Quetieriæ tutor, in prouocationis litem, Luciū me procuratorē dederat: & poſt aliquē proceſſum, denūtiari mādauerat Renato Guillopæo prouocatori, Quetieriæ pubertate factū eſſe, vt finita tutela, iure Turonū moribus cōſtituto, illi curatore eſſet opus: ab eo ſcilicet, ex inquiſitione, dādo, qui dādi ius haberet. Cōtigit, vt antè, tutor diem ſuū obiret, quàm poſtremū hoc illius mandatum exequeremur. Petebat Guillopæus, me Quetieriæ curatorē in litē dari. Ego recuſare, dicere morte mādatis ſolui mandatū. Ille inſtare, obtrudere, procūratorē à tutore datū, perinde accipiēdū atque ſi pupilla dediſſet. Ego verò inculcare, etiā cum mā-

dante tutore mãdatum extingui. Si enim ſeruo pupilli tutor hæreditatẽ adire iuſſerit, & poſt ſcriptã epiſtolã tutor moriatur, antequã ex epiſtola ſeruus adierit: neminem dicturũ eſſe, obligari poſtea pupillũ hæreditati. Cæterùm adoleſcẽti vtcunque inuito curatorẽ quidem in litẽ poſſe dari: ſed non niſi præſenti ac poſtulanti, aut, ſi poſtulare nolit, à Prætore id facere coacto. RE non minus à Patribus diſceptata, quàm à nobis diſcrepãtibus concertata (nec enim ſemel aut iterum, verumetiam tertiùm ac quartùm) capita (vt ſolent) contulerunt: Placuit tandem curatorem, per prouinciæ iuridicum, moribus dari oportere. VI. Calend. Decembr. M. D. LI.

De exceptionibus & præſcriptionibus et praeiudiciis, Tit. VI.

I.

ACTOR in rẽ præſentẽ reum perducere iuſſus, cùm eò loci deuẽtum eſſet, teſtatus eſt ſe non aliter rẽ oculis poſſe ſubiicere, quàm ambitu murorum: quibus agrum, quo de ageretur, ſimul & vicinos à reo cõprehenſos, ſic ipſe cõturbauerat, vt nullam finiũ agnoſcendorũ facultatẽ reliquã feciſſet. His ad iudicẽ reuerſis, cõcertatũ eſt, ſatíſne oculis res ſubiecta fuiſſet. ET cùm Baſilicani Recuperatores ſatis fuiſſe pronũtiaſſent, & Curia eſſet appellata: placuit rectè iudicatũ eſſe. Placitũ pronũtiatum ✻ Iohãne Clerico prouocatore, Stephano Montmiralio Curiæ Conſcripto, prouocato.

II.

ADVERSVS mãtrẽ filia in integrũ iudicio reſtituta, ne matre de medio ſublata, colluſionis à fratribus inſimularetur, & forſan actũ agere oporteret: fratres in ius vocauit, vt ſi quid aliquãdo ſua intereſſe putarẽt, in præſentia cognoſceretur. Petitioni ita præſcriptũ eſt, Si matris de rebus, ea viua, diſceptare liceat, & citra eius offenſionem fieri poſſit. CAVSA, per prouocationem, ſummã in Curiã inducta, atq; ad maius tribunal, foribus occluſis, cõcertata: ſecundũ præſcriptionem pronuntiatum eſt, ✻ Litigatores Nicolaus Eques Curiæ Cõſcriptus, Maria Bartholomæa vxor, I. & N. Bartholomæi fratres.

III.

LEGIS à Rege Lodoico XII. latæ, anno M. D. capite XXXIIII. cauetur, ſi, dicta ab arbitro, vel amĩco diſceptatore ſententia, quis ſe læſum exiſtimauerit: poſſe eum iuſtũ iudicẽ appellare. Qui ſi ſententiam cõprobauerit, denuo prouocãtem non eſſe ferẽdum: niſi id

quod cōpromiſſo, nomine pœnæ, adiectū eſt, in iure deponat. Quod cùm eius farinæ cuipiā prouocatori obiiceretur, reſpōdit, ſentētiam nullā, non eſſe ſentētiam: ideóque nec legis capiti fore locū. ET placuit, ni deponeret, non eſſe ferēdum. Vulgare eſt enim noſtris Gallorum moribus, ſententiam, quanquam neque rectè, neque ordine latam, aut, ſi mauis, prorſus nullam, non niſi appellationis remedio, induci: & interim pro ea præſumendum eſſe. Ex tempore M.D.XLVIII. Seguerio cauſam prouocatoris orante.

De litigioſis, Tit. VII.

I.

COEPTO familiæ erciſcundæ iudicio, Marcus Balmeus eiúſque vxor Anna Caſtrouillana, petitores, rē, qua de agebatur, in defenſorū alteros, puta Carolū Lucēburgiū & Carolotā Totauillanā, eius vxorē, trāſactione certū accepturi trāſtulerāt. Quibus ita trāſlatū erat, diplomate impetrato aduerſus Gabrielē Allegriū & Mariā Totauillanā eius vxorē, litis olim cōſortes, petebāt, trāſlatorū in locū vt ſufficerētur. Aduerſabātur Allegrius vxórque: dicebāt, diplomatarios Protheo nihil minus mutabiles, litis redēptores, modò ſocios, nunc aduerſarios, nō eſſe ferēdos: aut ſaltē trāſactionis vtilitatē, ſi qua erat, ſibi cōmunicandā, id rependēdo, quod rependi par eſſet. Inter cætera, proferebāt in argumentū, Scæuolæ reſpōſum quatuor de filiis, æquis partibus hæredibus inſtitutis, fūdo ſingulis per præceptionē legato. Qui, cùm vniuerſa bona patris obligata eſſent, mutua accepta pecunia, hæreditario creditori ſoluerāt, & poſteriori obligauerāt: qui, cū ei debitū nō ſolueretur, prædia vniuerſa, lege pignoris, vni ex hæredibus vēdiderat. Fratribus & cohæredibus, ſi debitū ab eis emptori, eidémq; cohæredi perſolueretur, fideicōmiſſum eſſe reſtituendū. Proferebāt etiā Anaſtaſii conſtitutionē, ceſſas actiones eatenus exerceri permittentē, quatenus ſolutū eſſet, habita etiam vſurarū ratione. HI calculum, Baſilicanorum Recuperatorum ſentētia nigrum: appellatæ verò Curiæ iudicio, cādidum tulere. Tranſactionis enim vtilitatem, communem fieri placuit. XIX. Cal. Sept. M.D.XXVI.

De teſtibus, Tit. VIII.

I.

RECTÈ quidē conſtitutū eſt, teſtes ſine optione nō interrogari.

Sed, amabo, de iis ſacraméto adigendis,idémne iuris eſſe dicemus?

ET primæ inquiſitionũ claſſi,cæteris claſſibus cõſultis, placuit prorſus eſſe diuerſum:nec ex eo inquiſitioné non admitti,quòd abſente optione ſolus inquiſitor adegerit.Quod alicui fortaſſe mirũ videbitur,cùm inquirẽdi prouincia non niſi cũ optione mãdari ſolet:& eſt iuſiurandũ,pars teſtimonii potiſſima.Sed hæc optionis ac veluti cuiuſdã obſeruatoris aſſumẽdi ratio,ipſis mandatorũ verbis,ſi quis ea diligẽtius inſpexerit,ad teſtiũ interrogationes & reſpõſiones,nõ etiã ad reliquũ inquirẽdi negotiũ pertinet: imò verò & vſus hoc apertè declarat.Nã vbiq; gentiũ, inquiſitore dato,ſolus hic diẽ apud ſe dici iubet:ſolus abſentes pronũtiat:ſolus,denũtiatis teſtimoniis condictũ inſtaurat diem : ſolus,ſi quid inciderit cõtrouerſiæ, vel decernit, vel ad eos reiicit, qui mãdarunt:ſolus, quæ facta ſunt renuntiat:in ſumma, non niſi rogandis optio teſtibus adhibetur, & inquiſitioni ſubſcribit. III. Non. Iun. M. D. XXXV. Iohanne Chartanio & Petro Monſoïo,ea de re contendentibus.

II.

COARGVERE teſtẽ,quòd criminis(puta periurii aliúſue)cõpertus ſit, ex quo infamia irrogari poſſit: omnibus Curiæ claſſibus placuit nõ ſufficere,niſi etiam iudicatũ dicas,vel depectũ.Quanquam enim inter cõpertum & iudicatũ,nihil aut parũ intereſſe videtur:intereſt tamen. Quid enim ſi teſtibus oppreſſus,fortaſſe perditiſſimis, data reſpirãdi facultate,aut veritate aliquà tandẽ erũpente, ſubleuetur,& conſiſtat:aut Principis indulgẽtia perfuſus,noxæ eximatur, & (vt in huiuſmodi veniarũ diplomatis eſſe ſolet)famæ, laribus, focis, rebúſque reſtituatur? Prid. Id. Aug. M. D. XXXVIII.

III.

QVO'D lis eſſet dũtaxat vindiciarũ,eámque ob rem certus teſtium numerus, iuſto ac legitimo minor, præfinitus : pro vniuerſæ Curiæ ſentẽtia placuit,refutationũ,quas litigatores in teſtes edidiſſent,non haberi rationem. Alia enim ſupereſſe duo iudicia:vnũ,iuſtæ poſſeſſionis:alterum,reiuindicationis:quorum propriæ,non agnatæ vindiciarum,liticulæ potius quàm litis,ſunt teſtium refutationes. Menſe Iunio & Iulio. M. CCCC. XCVII.

IIII.

AD IIII. Decẽbr. M. CCCC. XXVII. decretũ eſt,de teſtium fide

in poſterũ non antè quærendũ eſſe, quàm eorũ obtrectationes perceſſæ forẽt ac cõſtitutæ. Nunc autẽ nec ipſis quidẽ obtrectationibus, niſi poſt eiuſmodi percẽſionem, reſcribi ſolet. Quod ad lites, quæ in Curia aliiſue tribunalibus, in quibus teſtificata, moribus maiorũ non proferebãtur, pertinere intelligẽdum eſt. Cuius decreti ratio quanquã ex verbis ipſis colligi poteſt, tamẽ, quam habemus, in eorũ gratiã, qui foro non aſſueuerũt, exiſtimauimus eſſe ſubijciẽdã. Si (puta) teſtis οὐδὲν πρὸς λόγον (quod dicitur) frigidúmue quippiã pro teſtimonio dixerit (quod nõ niſi iudicãdo cõmodè diſcerni poteſt) quid attinet obtrectationibus infamatũ ac eleuatũ, reſcribẽdo cõmẽdare, & aliorũ teſtiũ orationibus, permagno quãdoq; ſumptu cõfirmare?

V.

PATRONO, qui prædio clientelari manum iniecerat, & Cliẽtis hæredibus, de fructibus caducariis diſceptãtibus: ambigebatur, quo tẽpore, cliens fatis cõceſſiſſet. Poſuerat patronus, eum certa in acie cecidiſſe, & cõmilitonũ aliquot teſtimoniis (vt exiſtimabatur) probauerat. Dicebant hæredes, teſtium refutandorum cauſa, de iis ſe terra maríque inquiſiuiſſe, neque de laribus, neque de focis, neque de cuiuſquam cenſu quicquam vſquam fuiſſe inuentũ. Ne igitur teſtium fidei, forſan de medio ſumptorum & maximè inſectandorũ, nihil obtrectaretur: petierãt, vt qui eos produxerat, ſiſteret, aut indicaret: quod & ipſi impetrauerãt. SED appellatæ Curiæ placuit, pattonum hoc onere non fuiſſe grauandum. Ex tẽpore, Seguerio Haſtei cauſam orante. VI. Cal. Iul. M. D. L.

De fide inſtrumentorum, Tit. IX.

I.

AERIS ſui recipiẽdi, & acceptũ referẽdi mãdatum, cui Villaquierius ſubſcripſiſſet, & illud ſuo annulo cõſignaſſet: placuit non ſecus valere, quàm ſi publicè perſcriptũ eſſet ac conſignatũ. V. Id. Iul. M. CCCC. XCIIII. Quod certè quis admirari poſſit. Enimuero quod priuatus vel ſcribit, vel ſubnotãt ac conſignat, priuatũ eſt atque adeò fortaſſis omnino incognitũ: & priuatas tabulas publicis facilius atq; audacius adulterari poſſe conſtat. Quod ſi cõtigerit, & denuo ſoluere oporteat: quid proderit, ad eum, qui falſum mandatum protulerit, quíue cõfinxerit, & forſitan interea lapſus ſit facultatibus, reuerti?

II.

SI quis alterius nomine contraxerit, & mandatum inſtrumento ſit inſertum: tametſi non ipſum mandatum, ſed mandati ſit exemplum, eius tamen placuit locupletem eſſe probationem. Caroletus, Curiæ Conſcriptus, admonuit.

De appellationibus, Tit. X.

I.

APPELLANDI vſus, quē olim ad iudicātium iniquitatē, imperitiámue corrigendā, neceſſitas introduxerat, cùm ab improbis litigatoribus iam πρὸς τὴν φυγοδικίαν traheretur: decretū eſt, vt prouocationē renūtiare prouocato, etiā intra octauū diem, impunè non liceret: ſed eiuſmodi detrectatoribus ſexaginta aſſiū mulcta irrogaretur. VII. Id. Nouēb. M. CCC. LXIIII, & V. Id. Aug. M. CCC. LXXXXVI.

II.

PROVOCATIONIS renuntiationē apud pactorū perſcriptores factam, nec prouocato denuntiatā, eremodicio non aduerſari: nec ideo minus mulctam eſſe commiſſam. Prid. Cal. Iun. M. CCC. XC.

III.

INTERPOSITA prouocatio, ſi intra octauum diem prouocato renuntiata non fuerit, nonaginta diebus aut exercenda eſt, aut circunſcribēda. Quòd ſi prouocator non exercēdam eſſe ducens, eius circunſcribendæ veniam impetrauerit, nec intra id temporis, veniæ comprobādæ, prouocato dixerit diem: placuit eremodicium perinde commiſſum eſſe, ac ſi nihil eſſet impetratum. XVII. Cal. Febr. M. CCCC. XIX. Nunc autem ſatis eſſe factum exiſtimatur, ſi tempore ac teſtatò venia prouocato denuntiata ſit.

IIII.

DIGNA quidem vox eſt (vt illi inquiunt) maieſtate regnantis, legibus alligatū ſe Principē profiteri. Sed res ipſa verbíſne vnquā defuerit: & iudicibus an ſēper licuerit eſſe Caſſianis, viderit alius. Extat priſcæ illius ſeueritatis exēplū, nec leue quidē, in Regē, Regiúmue ac publicū actorē editū. Nā & impetrata deſertæ prouocationis venia, & ipſa prouocatione excluſus fuit, XII. Cal. Aug. M. CCC. LXVIII.

V.

PROVOCATOREM, qui intra nonageſimū diē, dicā iudici vn-

de prouocatũ erat, etiã ſedẽte Curia, ad proximũ eius cõſeſſũ impačtã, prouocato denũtiaſſet: nihil minus, quàm prouocationẽ deſeruiſſe, pronũtiatũ eſt, vetitũq; ne id vnquã eremodiciũ appellaretur. *

V I.

DE prouocatione obnoxiè iudicãtes præcidere habẽt, rečtène atque ordine, an ſecus ſit iudicatũ: non prouocationẽ, ídque vnde prouocatum eſt inducere: quod Curiæ eſt ſummæ atque vltimùm iudicantis. CVM autem addubitaretur, ídne inquiſitoriæ claſſi liceret, etiam licere placuit. V I I I. Cal. Febr. M. C C C C. X X I I.

V I I.

NONNVNQVAM (inquit Vlpianus) bene latæ ſentẽtiæ in peius reformãtur: neq; enim vtiq; melius pronũtiat, qui nouiſſimus ſentẽtiã laturus eſt. ITAQVE placuit, eũ, ſecũdũ quẽ iudicatũ eſſet, prouocatione ſuperatũ, prouocatoriæ litis impẽdiis non eſſe mulčtãdũ. Quod cùm à Meldenſis prouinciæ Præfečto fačtum eſſet, vetitũ eſt ei, ne poſtea quid tale auderet. V I I I. Cal. Febr. M. C C C C. X X I I.

V I I I.

CVM à Decutionibus inſulanis perperã iudicatũ fuiſſe pronũtiatũ eſſet: diſceptatũ eſt, iíne in fraudẽ ſexagenariã incidiſſent, quòd de ea re nihil eſſet expreſſum. ET eam mulčtã areſto placuit eſſe cõprehẽſam. Vbi enim moribus, nõ legibus, viueretur, ita cõparatũ eſſe: vt cùm iudex, alius à Regio, quid iniquè decreuiſſe pronũtiaretur: etiã ſi nihil aliud additum eſſet, tamẽ eiuſmodi iudex, cuiúſue nomine is iudicaſſet, mulčtatus intelligeretur. I I I. Cal. Maii M. C C C C. L V I I I.

I X.

EREMODICIIS, non niſi duobus, prouocatum, prouocationis cauſa cadere poſſe. V. Id. Iun. M. C C C C. L V.

X.

PRIDIE Cal. Iulii. M. D. L I. verba fačta ſunt in Curia, de prouocationibus extẽporariis vel litigatorum, vel pragmaticorũ, vel magiſtratuũ vitio, alióue (neſcio quo) fato, tãtum in cumulũ adduČtis, vt aliis in dies ſuboriẽtibus, toto vix decẽnio voluminares cõfici poſſent. De qua re fačtum eſt Curiæ cõſultum in hanc ferè ſentẽtiam.

Prouocationes extemporarias, leues, nec momentoſas, & in quibus ſumma de impendiis erit controuerſia: Cognitores, tertii Cauſidici, inſtar cuiuſdam Palæmonis, arbitratu deciduntο.

Deciſa Curiæ placiti vim atque autoritatem habento.
Detrectator,tergiuerſator,fruſtrator,ſi quis erit:noxiæ pœna pareſto
Res,me hercule,mira,quòd non modò triũ vel quatuor,etiã primæ notæ conſultorũ,quos hic vel ille in conſiliũ adhibuerit, ſententiæ, vnius,forſan interdũ oſcitãtis,arbitrio cedãt:verũetiam Curiæ ipſius cẽtenariæ autoritas in eũ cõferatur.Sed quid agas? Extremis morbis (vt à medicis vulgò iactari ſolet) extrema remedia ſunt adhibẽda.

X I.

QVOD Franciſcus Valeſius primus, C L X I I I. capite legis à ſe latæ, menſe Aug. M. D. X X X I X. conſtituerat, vt omnes in vniuerſum prouocationes è criminoſis intentionibus emanantes, protinus in Curiam iudicium ſortirẽtur: cùm animaduertiſſet è re cùm publica, tum priuata eſſe,quàm minimè: alia lege lata X I. Calend. Decembr. M. D. X L I I, eáque tranſlatitia, ipſe idem priori derogauit:& quod erat vaſtiſſimum,certis ſpeciebus enumeratis, contraxit ac, maiorum veſtigia ſequutus,concluſit in anguſtum. Scilicet, ſi iudicatũ eſſet,de reo quæſtionem haberi debere,eúmue in corpus coërceri (puta) morte mulctari,deportari,mẽbro mutilari,fuſtibus caſtigari,perpetuò vel ad tẽpus relegari,in opus dari,exẽplari traductione infamari.Quod cum palàm in Curia recitatum fuiſſet,atque in actis publicis perſcribi iuberetur, Actore Regio publicóque audito,hoc quoque interpretando additũ eſt: vt qui à corporis comprehenſione, vel moroſa cuſtodia, iuríſue pernegatione prouocaſſent, prouocarent: iis, compendium prouocationis facere, atque ἀμέσως à Curia ius petere liceret. Pridie Id. Febr. M. D. X L I I.

X I I.

CVM fato neſcio quo,quáue temporum inclinatione,criminoſæ lites iam in tãtum numerum excreuiſſent, vt ſe propemodum aliis æquare velle viderentur, neque iis ad tertias orandis, tempus attributum ſufficeret: Triumuiris Regiæ procurationis ſuadentibus, ac poſtulantibus, ad V I I. Id. Mart. M. D. X L V I I I,conſtitutum eſt, vt quibus in litibus, à vadimoniis corporíſue comprehenſionibus decretis prouocatum eſſet,Cognitores intra * diem,ex quo alter alterum reſciret, pacto conuento, apud actuarium id agerent, vt res, ſiquidem à meris penderet elogiis,in octauum: ſi verò etiam aliunde,in quindecimum diem,conſilio permitteretur.

INTERPOSITA, TIT. XI.

I.

VIATORI lege agenti, Claudius Portunus Collaudus interceſſit, quòd huic nomini Lucas Loduneus Fornæſius, creditor Iacobi Chaſtei, cuius cauſa in ſe agebatur, antea manum inieciſſet. Cúmque interceſſioni ita non obtemperaretur, vt Collaudi res pignori captæ diſtraherentur: & Iohannes Fornellus, in quem Chaſteus nomen tranſcripſiſſe dicebatur, æs inde conflatum corraderet, prouocauit. QVA in prouocatione, cùm Ampliſſimus Ordo Collaudum ſuperiorē eſſe iudicaret: addidit, vt, ſi Fornellus, quæ corraſerat, reſtituere cũctaretur, eum ducere liceret. Ita enim præfractè non parere neque interceſſioni, neque prouocationi, in re maximè tam aperta, aut dolum malum eſſe, aut certè culpam dolo malo proximam. Ex tempore, v. Calend. Iul. M. D. LII.

II.

LEGVM nuper à principe latarum, de magiſtratibus & iudicibus, quos Præſidales appellant, ea capita, quibus prouocatio ſublata eſt: an tacito populi cōſenſu rata futura ſint, aliquot vel menſiũ vel annorũ vſus edocebit. INTEREA tamen, cùm Iuliana Cāpeſtris, apud huiuſmodi Carnutum iudices, à Stephanula Gueretona ſuperata, Curiam appellaſſet: placuit vetari iudicibus illis, rem à ſe iudicatam, etſi ex earum legum præſcripto iudicaſſent, ne, poſthabita prouocatione, exequerentur. Ex tempore Pridie Id. Aug. M. D. LII.

Appellationis neceſſitatem non remitti, TIT. XII.

I.

FREQVENS eſt in auditorio Præfecti vrbi, vt, ſi quid in tutoribus vel curatoribus dandis, minus ſolenniter ac perperam factum eſſe dicatur, ídque promptum ſit & apertum: libello oblato, & iis euocatis, quorũ interuentu rem agi ac diſceptari oportet, ipſa retractetur, & ab eodē Præfecto cōſtituatur. Quod quidem autoritate carere non poteſt. Ita enim multi olim & Iuriſprudētes reſponderũt, & Imperatores reſcripſerunt. Sed noſtris (inquies) Gallorũ moribus, ea quæ in iuris ſpeciē, contra ius & fas vel dicta vel facta ſunt, nō niſi

prouocatione ſolent emẽdari:& cùm multoties, tum in ſpecie propoſita placuit, Conſcriptis rerum capitalium, de ea re per occaſionem cognoſcẽtibus, XI. Calend. Ian. M. D. LI. inter Simonetum, eiúſque vxorem prouocatores & te Lucium prouocatum. Scio equidem hoc axiomate nihil in foro peruagatius eſſe,&, vt placuit (per me licet) ita ius eſto. Sed prudentiſſimè ac conſultiſſimè (ſi præfata venia dicere audeo) mihi veteres illi & reſpondiſſe & reſcripſiſſe videntur. Si enim vel contra manifeſti iuris formam ſententia data ſit, vel eius rei, in qua peccatum eſſe dicetur, promptam habeas probationem,& (vt aiunt) luce meridiana clariorem: quid attinet, prouocationum fruſtrà interpoſitarum ambagibus, negotia protrahi, & litigatores, ipſa lite ſatis miſerabiles, lõgis itineribus & multiplicatis, atque interdũ propè infinitis ſumptibus ac moleſtiis onerari?

Apud eum à quo appellatur, an aliam causam qvis agere compellendus ſit, TIT. XIII.

I.

EOS, qui à Regiis iudicibus prouocauerint, dũtaxat ea in lite: qui verò à priuatis, in vniuerſum, eorum iuriſdictioni exemptos eſſe. XV. Calend. April. M. CCC. XCV.

De re iudicata & effectu iudiciorvm, TIT. XIIII.

I.

REI iudicatæ recognitionem Princeps iuſſerat. Viſum eſt, per ius & fas, id fieri non poſſe. Supereſſe enim ſupplicem, erroris obtentu, prouocationem. Prid. Non. Maias M. CCCC. LVII.

II.

REI contra ius donatæ vindicatione, is cui donatum erat, ab hærede ſuperatus, donatoris hæreditatem tum denique pro parte cernens, familiæ erciſcundæ iudicium intendebat, atque ita iudicatum eludere conabatur. PLACVIT non eſſe ferendum. Eum enim qui

rem, qua de iudicatum eſt, alio iure, quàm quod in iudicium deductum fuit, ad ſe pertinere contendat: non ideo minus iudicatum facere teneri: alio (ſi viderit) iudicio experturum, nec antè audiendum, quàm ipſe dicto audientem ſeſe præbuerit. * M. D. * Litigatoribus Claudio Caſtillionio & Iohanne à Rupe, Iacobo Spifama litis enarratore.

III.

OLIVARIVS erga Vezinium, Curiæ Toloſanæ decreto, palinodiæ pecuniáque damnatus, apud Principem conqueſtus eſt, ſe à reiectis iudicibus condemnatum. Querela huc ad Curiam relegata, dum de eius receptione ageretur, cõcertatum eſt, iudicatum an ſuſtinendum eſſet, interea dum querela cognoſceretur. PLACVIT, citra palinodiam, iudicatum eſſe faciendum. Ignominiam enim, quæ alioqui ea iudicati parte inureretur, poſtea ſarciri non poſſe. V. Id. Decemb. M. D. L.

IIII.

GERVASIVS Paſquinus, capitis accerſitus, & Præfecti vrbis ſententia, vitã ſuſpẽdio finire damnatus, quòd cum aliis cædem feciſſe diceretur: cùm prouocaſſet, per amicos à Principe veniam impetrauit. Quam cùm Ampliſſ. Ordo comprobaret, Petro Geſſæ vxoríque eius, noxæ ac maleficii perſecutoribus, octuagies vicenis Pariſiorũ aſſibus lis æſtimata eſt. In iudicati cauſam pignoribus captis, interceſſum eſt à condemnato, dicente, ſe, lite pendente, fiduciario iudicio, quadragies vicenos aſſes dependere coactum, quos ſubductos eſſe oportebat: reliquam pecuniam ſe paratum exoluere. È diuerſo proponebatur, certæ ſummæ iudiciũ eſſe latum: è qua, ſi quid Ampliſſ. Ordo cenſuiſſet eſſe deducendum, eum non fuiſſe præteriturũ. Referebat interceſſor, vno de crimine, ſe pluries non fuiſſe damnandum. Quod ex fiduciario iudicio ſoluerat, nihil aliud eſſe, quàm partis ex toto, in quod damnandus erat, prærogationem. Parum referre, ſi iudicio non ſit expreſſum, quod nos intelligere oporteat. ET placuit, interceſſioni morem eſſe gerendum. Idib. Febr. M. D. L. Ad Exhedram rerum capitalium, Abotio litis enarratore.

V.

FRIVOLAE prouocationis litem de Ampliſſ. Ordinis imperio,

tertii conſultoris ſententia decidendo, ſumma lite conſtituta, Aſſolens Gergouianus pecuniam, qua de agebatur, Acheto Pariſienſi interim dependere damnatus eſt, accepto repromiſſore. Poſtulauit Achetus libello cõplexus, dari recuperatorem, cui repromiſſorem approbaret. Apparitori, datum recuperatorem denuntianti, Lucius reſpondi, cognitoriam operam Aſſolenti me dediſſe quidem: ſed cauſa pacto conuento ex conſulto deciſa, ſuſcepto munere me defunctum eſſe, nihílque præterea poſſe. Perſtitit Achetus, rémque velut eremodiciis perſequutus eſt. Quorum vtilitatem cùm efflagitaret, eorum rationem non haberi: ſed ipſum Aſſolentem, ad repromiſſoris diſceptationem vocari placuit. Id enim quantũcunque leuis ac compendiariæ, nouæ tamen alicuius eſſe cognitionis: vbi & iudex & is cuia intererat, deſideraretur. Placitum pronuntiatum Pridie Id. Maii, M. D. L I I.

V I.

VXORI aduerſus rem in ſe iudicatam, reſtitutionem in integrũ poſtulãti, nihil obeſſe placuit, quòd abſente viro, militiæ cauſa, ipſa, Curiæ decreto, ea in re, ſui iuris ac poteſtatis facta fuiſſet. X I I I. Cal. Mart. M. D. L I I. Golaſio & Fontenaïo cauſam orantibus.

De vitiligatoribus, Tit. XV.

I.

PALÀM eſt Iudices in eum vſum eſſe comparatos, vt de quibus homines inter ſe diſcreparent, illi conſtituerent. σύμφωνοι δὲ αὐτοὺς ἀπερισπάστως ἔχειν: ſed, quo ad eius per magiſtratus dignitatem negotiáque ei honori nihil derogantia fieri poteſt, ſe litigatoribus faciles præbere: &, vt Imperator Conſtantinus Maximo reſcripſit, ab iis ſubinde ſciſcitari, velíntne quicquam addere. Ita enim fieri, vt & lites per numeros cognoſcantur omneis, & maturius ſanctiúſque dirimãtur, & litigatores, quamlibet magnis cladibus acceptis, æquiores pacatioréſque diſcedant: vnde & illud πάταξον μὲν ἄκουσον. Sed ſi quis eſt tam impenſè φιλόδικος, & ingenio vſqueadeò controuerſo, vt νῦν δίκα καὶ νῦν δίκα impetat, lites è litibus ſerat, aduerſarios agitet, exerceat, diuexet, neque vnquam conquieſcendum inſtituerit: nemo eſt, niſi pacatæ vitæ infenſus, eiúſque farinæ

prorſus, quin ſentiat eum, non modò à iudicum liminibus arcendum, verumetiam ab ipſis iudiciis procul abigendum. Cuiuſmodi ferè exemplum ediderunt in Reginaldum Ceſſetium, ſacerdotem: quem, ad nomen alludens, non quidem ceſſatorem,ſed verò è re ipſa laceſſitorem (ſi liceat) lubentius appellauerim. Illi enim vetitum eſt,Simonem Rubellionem etiam ſacerdotem, iuſta controuerſi ſacerdotii poſſeſſione ſuperiorem, litibus in poſterum ne infeſtaret. VII. Id. Febr. M. CCCCXX.

De fructibus,& in rem, litémque IMPENSIS, TIT. XVI.

I.

REI qua de agebatur, fructus omiſſos, de integro peti poſſe,res profectò eſt,& reſponſis & iudicatis compertiſſima.

II.

BONAE fidei poſſeſſorem fundo cedere damnatum, impenſas vtiles ac neceſſarias,rei retentione conſequi: voluptarias,eius quod intereſt nomine, perſequi poſſe, ſecundum Iohannem Spineũ iudicatum eſt,XV. Cal.Maii.Anno à Martinalibus M. CCCC.XXVII.

III.

EVMENIDES hominum animos ita mediuſfidius inuaſiſſe videntur, vt parum ſit illis eſſe controuerſioſis, niſi etiam ſeſe exerceant,diuexent,& in ipſo articulo, ſi quo pacto queant, opprimant. Cui morbo vt mederetur, inter cætera alexipharmaca, hoc quoque à ſumma Curia eſt adhibitũ:ne(ſcilicet)pro eremodiciis commeatibúſve ab actis auferendis,denuntiandis, eorúmve ſumptibus æſtimandis,quicquam viatici cauſa, ſed tantùm euangeliorum nomine expenſum ferretur.Quod non modò apud ſe Curia,verumetiam in prouinciis ius à ſe prouocatione petentibus valere iuſſit.IX. Cal. Mart.M. D. XXXVIII.

IIII.

EX quadrante hæres, nulla ſuæ illius portionis facta commemoratione,litem hæreditariam agnouit. Cuius iacturam cùm feciſſet, & impendiorum rationes diſpungerentur:tum denique dicere occœpit, ſe non amplius, quàm ex quadrante teneri. Replicatum eſt,

cum id tum debuiſſe teſtari, cùm litem agnoſceret: quod cùm non feciſſet, videri eum non de quadrante, ſed de toto impẽdiorum aſſe cum aduerſario in iudicio quaſi contraxiſſe. Deinde poſſe eum in cohæredes, negotiorum geſtorum agere, & ſic ab eis dodrãtem à ſe perſolutum recipere. PLACVIT, eum, qui litem agnoſcẽs, eámque in ſe tranſcribens, legem apertius dicere potuiſſet, nec feciſſet, portionis quæſtionem nihilominus referentem, non eſſe ferendum. VII. Id. Apr. à Liberalibus M. D. XVI.

V.

AD eundem ferme lapidem impegit alius, qui purè in alterius litigatorum locum ſuffici poſtulans, exauditus eſt, & poſtea numeris omnibus ſuperatus. Cùm enim de litis ſumptibus æſtimandis ageretur, dixit, nihil in ſe æſtimandum eſſe, niſi ex quo vel ſuffectus eſſet, vel ſuffici poſtulaſſet. ET in eum vnum ſumptus omneis æſtimari placuit. Ipſi enim illi imputandum eſſe, qui cùm ſibi cauere poſſet, vniuerſam in ſe litis aleam recepiſſet. VII. Id. April. A' Liberalibus M. D. XVI.

VI.

EXPERIENTI mihi, ſi vel Apparitor, vel anteſtatus, vel Cognitor, vel Cauſidicus, vel etiam Iudex, aliúſue, cuius opera indigerem, ſalarium, mercedem, honorariũ accepto tulerit ac remiſerit, & ego litem, omnibus cum acceſſionibus, vicero: huiúſne vlla ratio, in litis ſumptibus æſtimãdis, habebitur? ET cùm ſuperato Plãchæus aduerſario, in expenſorum rationibus æſtimari peteret, id quod ſigni forenſium codicillorũ nomine perſolui ſolet: quanquam ille, vt ceræ diplomaticæ calfaciendæ Præfectus, nihil humeraſſet, tamen æſtimari placuit. Quid enim aduerſarii mei commodis cedere patiar, quod apud me in gratiæ ac beneficii loco poſitum eſt? Decretum ambarum Claſſium inquiſitoriarum, IIII. Id. Febr. M. D. XII.

VII.

ANTICIPATA teſtimonia in ſumptuarias rationes non venire, niſi cœpta lite facta fuerit anticipatio, etiam ſi ad iuſtæ ac legitimæ inquiſitionis vicem acceſſerint. Quis enim ex lite id eſſe dicat, quod litem anteceſſerit? Placitum primæ inquiſitionum Claſſis, quod factum eſt, Cal. Mart. M. D. VII.

VIII.

QVADAM in prouincia, quam nominare nihil attinet, ne quid hinc conflari poſſit inuidiæ, erant vel litigatores, ſuarū litium vſque adeò amantes, vel Cauſidici & Cognitores, in deglubendis litigatoribus ita mutuum fricātes: vt faſtus liti dies, ne vnus quidem elaberetur, quo profectus litigator, cum aduocatione non adeſſet. Quæ omnia, qui ſuperior euaſiſſet, cùm in expenſorum rationes conferre ſoleret, ſibíque æſtimari contenderet: & ea, vel ſuperuacanea, vel (vt quiſque ſe victurum ſperat) grauando aduerſario excogitata eſſe viderentur: Ambabus inquiſitionum claſſibus, alternantem ca de re aleam decernentibus, viſum eſt neque profectionem, neque aduocationem eſſe æſtimandam: niſi res id poſtulaſſet, aliterque explicari non potuiſſet. Menſe Aug. M. D. XXIII.

IX.

VETERIBVS copiis ſi alteruter litigatorū nouas induxerit, certū eſt ſumptibus inducētis, ſed & repræſentādis, aduerſariū nouis huiuſmodi copiis poſſe cōtradicere. At diſceptatū eſt, an cōtradictore iureiurādo affirmante, hominē ad ſe miſſum, qui cōponendis edendíſque contradictionibus, commentarios afferret, ea impenſa huc quoque pertineret. ET omnibus Curiæ Claſſibus placuit, ad controuerſiæ fatum eſſe reiiciendam. Prid. Cal. Mart. M. CCCC. XCIX.

X.

ETSI nihil eſſet, prouocatus quod pertimeſceret: nequid tamen deſyderaretur, quod ad tuendam, quam abſtulerat ſententiam, facere poſſet: noui quod viſum eſt edidit, ac tandem vicit. Addubitatum eſt, an cæteris cum prouocationis impēdiis, inſtrumenti recens editi, & cui, proferētis ſumptibus, contradictum eſſet, confirmationes æſtimari deberent. ET ambabus inquiſitionum claſſibus debere placuit. VIII. Id. Mart. M. D. X.

XI.

ΑΡΕΣΤΟ'Ν, cùm vniuerſæ litis, tum maximè prouocatoriæ coronidem: tametſi nulla eius litis, ſed anterioris tantùm impendia eſſent adiudicata, rectè tamen ſumptuariis rationibus adſcriptum eſſe placuit: quódque eius nomine datum erat, expenſum ferri debere. Non. Maii, M. CCC. LXXXIIII.

XII.

EX duobus,qui ſumptuariis litium rationibus diſpungendis Recuperatores conſtituuntur, ſemper vnus eſt certus, ſi tamen adeſt, litis enarrator. Alterum,non quemlibet,ſed pro cuiuſque ordine,ex cuiuſque claſſis catalogo dari placuit. Prid.Cal. Maias. M.D.XVIII.

XIII.

XI. cap. legis, quam Carolus VIII,de re iudiciaria conſtituenda rogauit, anno M.CCCC.XCIII. ferè ſic habetur,

Initis expenſorum in litem rationibus, niſi victus,eiúſue cognitor eam ob rem adhibitus, ſimul atque vnum quodque caput æſtimatum fuerit,quo ſe malè habitum putet,prouocauerit: rata æſtimatio eſto, próque re iudicata accipitor.

Huius exigendæ gratia,ſi mandatum victor deſyderet,habeto.

Quod cũ eſſet indiſtinctũ, nulliuſq; iudicũ ſpeciei mẽtionem haberet: diſceptatũ eſt, de certis, an verò de omnibus eſſet intelligendũ. ET ſolos,huiuſmodi ſumptibus æſtimandis,ab Ordine Ampliſſimo datos Recuperatores intelligi placuit. X. Cal. Septembr. M.D.XIX.

XIIII.

EX eiuſdem cap.præſcripto,vnam aliquam,quæ à nihil diſſimili impédiorum æſtimatione prouocauerat,ſummoueri placuit: tametſi diceret multa in ea eſſe comprehẽſa, quæ alibi antea prouocato æſtimata fuiſſent ac perſoluta. A Equitatis tamen patrocinio,& quaſi ſuapte Curiæ ſpõte,decretum eſt,ne vnde ius petitum erat,ſumma iniuria proficiſci videretur, illud ſummatim inquirendum eſſe ac vindicandum. III. Non. Septembr. M.D.XXXV.

XV.

PRAENOTATIS nominibus expenſorum in litem,in quorum æſtimatione,prouocator ſe læſum clamabat, cùm in Primanorũ ſecretario diſceptaretur,an prius litis inſtrumentum,ex quo facta erat æſtimatio, apud acta reponendũ eſſet,quàm prouocationis alea iaceretur, viſum eſt à veteranis cauſarum Cognitoribus ſciſcitari, de ea re quid eſſet in moribus fori. Inductis igitur aliquot noſtri illius ordinis,qui tum in curia Baſilica, ſedentiũ iuſſis, ex recenti,præſcripto,deãbulãtes præſtolabamur,& expoſita per Sanctandreanũ, Præſidem optimũ, inductionis ratione: ego Lucius, cui antiquiore loco dicere cõtigerat,in hunc ferè modũ reſpõdi. Eo rerum foreſium vſu,Patres Cõſcripti,quẽ triginta tribus plus minus annis,tam diſci-

pulus,quàm veſtro beneficio Cognitor factus, mihi cõparaui,explo ratũ habeo,inſtrumẽti prolationẽ,aleæ iactũ,hoc eſt ſolẽnem illam prouocatoriæ litis clauſulã antecedere. Imò verò ex litigatorũ vſu fore,ſi moribus id obrogaretur, vt inſtrumenti prolatio non modò clauſulã,verùm etiã prænotationẽ anteuerteret.Enimuero qui non inſpecto litis inſtrumẽto prænotant,magna ex parte incerti prænotãt:& multa ſæpenumero prænotamus,à quibus,ſi eſſet inſtrumẽti diſpiciẽdi copia,proculdubio temperaremus:nõnulla interim prætereũtes, quibus fortaſſe nihil magis animaduerſione dignũ. Cæterùm ipſam expẽſorum æſtimationẽ,totidẽ ſentẽtias quot capita eſſe cõſtat:& ea ex quibus æſtimatio deſumpta eſt, ſcriptæ litis inſtar habere nemo negauerit.Quibus cæteri noſtri,præter vnum aut alterũ, aſtipulati ſunt.ET tandem Curiæ placuit,iudices,de huiuſmodi prouocatione,in conſilium non antè mittendos,quàm inſtrumentum prouocatus apud acta protuliſſet. VII.Id.Maii M.D.L.

XVI.

PROVOCATIONEM ab vniuerſa expẽſorũ in litẽ æſtimatione, cùm prouocator certa in capita à ſe enumerata,& (vt aſſolet) cruce prænotata cõtuliſſet,omniáque rectè æſtimata fuiſſe iudicarentur: addubitatum eſt,vna omnibus mulcta capitibus,an ſingulæ ſingulis eſſent aſſignãdæ.ET ambabus inquiſitionũ claſſibus,ſtatã temerariæ prouocationis mulctã,vnã tãtùm & alterã irrogari placuit: & in ſimilibus, idem eſſe dicẽdum. Neque fore quo prouocator cõqueri poſſet:cùm (vt diximus) quot eſſent capita,tot etiam forẽt ſententiæ, totidémq; intellectæ prouocationes.Prid.Id Iun. M.CCCC.XCIX.

XVII.

IVRIIVRANDO,quod maximo litiũ expediendarũ remedio iã in vſũ venerat,ſiue alter litigatorũ,ſiue iudex ipſe detuliſſet: vtrique religionẽ ineſſe quidẽ, ſed in altero maiorẽ, in altero minorẽ veteres exiſtimauerũt. Illud enim à litigatore delatũ, trãſactionis ſpeciẽ cõtinere,atq; adeò maiorẽ quàm res iudicata,autoritatẽ, illis habere viſum eſt:quo ſi negotiũ trãſactũ eſſet, eandem cauſã retractare nõ cõcederetur,& illius contẽpta religio,ſatis Deũ vltorẽ haberet. Poſt hoc verò à iudice delatum atque exactũ, ab integro cauſam agere, Principes,ſuis cõſtitutionibus,interdũ permiſerunt:ſi quis noua inſtrumẽta ſe inueniſſe diceret,quibus tũc ſolùm vſurus eſſet. At verò

R.iiii.

videamus hócne perpetuò ſenſerit Ampliſſ. Ordo, an etiam vtrunque iuſiurandum pari aliquando religione habuerit. In rationibus expenſorum in litem, decem, dicaſticorum nomine petita, æſtimatoribus (vt aſſolet) deferentibus, rei cognitore præſente, iurata, æſtimata & poſtea exacta fuerant. Accidit vt reus iacturæ impatiens, rationibus repetitis, & cum ſententiæ breuiculo, quo dicaſticorũ modus continebatur, collatis: petitorem, pro quinque, decem abſtuliſſe deprehẽderet. Tum is periurii petitorem inſimulare, vadimonium dicere. Ille defendere, nihil niſi ſanctè ſe iuraſſe: cæterùm ſtari religioni debere. LITE concertata, litigatores à Curia pares abire placuit. Ad exhedram rerum capitalium, Montolonio, altero eius claſſis moderatore pronuntiante, anno *

XVIII.

DIVERSUM accidit Auguſtino Colino, quem Antonius Caluinus periurii etiam appellauerat: quòd in diſpungendis eius generis rationibus, ille multa perperàm affirmaſſe diceretur. Factũ eſt enim vt res primùm criminoſè quæſita in ciuilem tãdem controuerſiam euaderet. v. Id. Iun. M. D. L. Diuerſum ſanè. Nam quod in vna ſpecie religioni datũ eſt, in alia eſt ademptum. Et diuerſitatis ratio eſſe poteſt, quod in hac Colinus delibatæ (vt ferebatur) exiſtimationis, multis (vt dictum eſt) nominibus appellabatur. In illa verò, ille integræ alioqui famæ, hoc vno, in temerati iuſiurandi ſuſpicionem veniebat, & fortaſſis excuſabat, ſe re vera, quod affirmauerat, dediſſe: quãquam breuiculo (quod tum, cùm rationes diſpungerentur, deſyderari poterat) tantum accepto latum non erat. Scio equidem graue ac moleſtũ eſſe, vt eum qui litis iacturã fecerit, non modò id quod conſtat, verumetiam quod aduerſarius vel ſuapte forſan natura improbus, vel litis (cuius in vlna (vt noſtratium vulgus ait) amicitiæ vix digitũ inuenias) odio cõcitatus, expenſum ſacramẽto dixerit, rependere oporteat. Sed quãdo ita viſum eſt Imperatori, & hoc vtentiũ moribus receptũ eſt: ea lex, quanuis dura ferẽda eſt. ET ſatius eſſe duxerim ea catapotia deuorare, quàm ex litis ſuo fato functæ reliquiis, nouã exuſcitare: quæ ſi alterã non ſuperet (vt aliquãdo euenit) tamen adæquare poſſit. Nec facilè crediderim Imperatores, poſt iuſiurandũ à iudice delatũ atq; exactũ, ab integro cauſam agere per-

mittentes, de eiuſmodi litium acceſſionibus etiam intellexiſſe. Vix enim eſſet, aut ne vix quidẽ, vt aliquis vnquã earũ finis inueniretur.

De auctionibus publicis,

TIT. XVII.

I.

CAPTA pignora, proximo emporio, ſolent quidem & debent auctionari. Sed ſi is, ad quem ea res pertinet, ad celebrius emporium, etiam Lutetianum, vt pluris veneant, ea ſuis ſumptibus periculóque transferri petierit: placuit eſſe audiendum. Sapino & Preuotio litigatoribus. Faber antiquior admonuit.

II.

CONSVLTVM, de publicis auctionibus palàm in iure comprobandis, quod factum eſt, XIII. Cal. Febr. M.D. XII. prudentes omittebamus: quòd legibus poſtea latis, nec ſemel aut iterum id cautum inuenire liceret, & ferè nihil in foro peruagatius eſſe videretur. Sed forte fortuna in quãdam incidimus, palàm quidẽ in iure apud Præfectum vrbi factam, ſed relatæ, nec verò lectæ, auctionis cõprobationem. In quo cùm neque conſulto, neque legibus ſatis eſſe factum arbitraremur: exiſtimauimus nos aliquid facturos, ſi non modò cõſultum non omitteremus, ſed & legis, omnium, quæ ad rem pertinent, recentioris, verba etiam adderemus.

Publicæ auctiones (inquit Ampliſſ. Ordo) in iure, apud ſuum rerum auctionatarum iudicem, faſto die, mediis cauſarum actionibus leguntor.

Vſu ac moribus factæ compertæ, de pragmaticorum ſentẽtia comprobantor.

Cauſidicis & Cognitoribus, ab honorario temperare, ſummum honorarium eſto.

Lex autem ab Opt. Max. Principe, Henrico II. Imperatore noſtro lata, ferè ſic habet.

Auctiones ſuis omnibus numeris abſolutæ, in iure apud eum cuius ea notio erit, altercatorio die, feruentibus ipſis altercationibus leguntor.

Si rectè atque ordine proceſſiſſe videbuntur, publicè teſtificantor.

Cæterùm inter legere & narrare quid interſit, nemo eſt qui neſciat. Quòd ſi in re tam aperta, vt vel manu (quod dicitur) reperiri poſſit, aliud pro alio accipi patiamur: quid, vel compendij cauſa, ea quæ palàm ipſa in Curia ab actuariis legi ſolent, non narrantur potius quàm leguntur? Et nos memoriæ periculum narrando adire poſſe, quis negauerit, cùm etiam legentes, (vis dicam & ſcribentes?) interdum ac ſæpenumero (humanum eſt enim) vel labimur, vel hallucinamur? In ſumma, neque à legis, neque à Conſulti verbis vnquam temerè recedendum eſt.

III.

IN auctionibus publicis, quæ Curiæ imperio fiunt, poſteaquam pronuntiatum eſt, quo quenque loco numeróque eſſe oporteat: omnibus quidem licendi, ſed nemini amplius intercedendi poteſtatem eſſe faciendam. VI. Id. Mart. M.CCCC.XCI.

IIII.

APVD Præfectum vrbi, ſolebant cauſarum procuratores, in publicis auctionibus licentes, diſſimulare, ſuo, an alterius nomine id facerent: & poſtea ex interuallo profiteri cuius cauſa factum eſſe volent: nec certè ſine vlla vllius captione. DE qua re, Idib. Mart. M.D.LI. inter pomeridianas altercationes, poſtulantibus Regiæ procurationis Triumuiris, factum eſt Curiæ conſultum: Placere, huiuſmodi licitatores, niſi protinus edant, cui operam dederint, ab haſta ſummouendos eſſe.

V.

SVMPTVVM, qui ab auctionis inſtitore fiunt, duo ſunt genera: quæ, ſi mihi licet, lubẽs ſic appellauerim. Vnum rectum, alterũ trãſuerſum. Rectum intelligo, imperatæ ſolutionis impendia, rerum pignerationis, auctionis ipſius non modò factæ, ſed etiam rectà in debitorem ad cataſtrophen vſque perductæ. Trãſuerſum, id omne, quod ipſe auctionis inſtitor aduerſus eos impendit, qui interceſſerint auctioni, potiſſimùm illorum ſcriptionibus reſcribendo. Quod III. Non. Aug. M.D.IIII. * inquiſitionum claſſi, expenſorum in auctionem appellatione non contineri placuit. Nec enim re vera ſunt auctionis impendia, ſed propriè interceſſionum, penitus ab auctione diuerſarum: à quibus qui vel deſtiterit, vel ſummotus fue-

rit, vel cum ipſo inſtitore, de ordine temerè decertarit, impenſarum ſit condemnandus, eáque ratione inſtitor ſuum planè conſequuturus. Sed amabo (dixerit aliquis) éſtne aliud quoddam interceſſorum genus, qui neque deſiſtunt, neque ſummouētur interceſſione, neque de ordine decertant: ſed conſignatiſſimis autoritatibus à ſe prolatis, nulla prorſus controuerſia, ſuum inter creditores ſibi vindicant locum: quod tamen vix, aut ne vix quidem, ſine vlla inſtitoris & diligentia & impenſa fieri poteſt: cuius ille, cur iacturam faciat? Eſt ſanè, ſed leuis illa eſt modicáque impenſa. Quam nihilominus ſi ſuarum ille rerum vſqueadeò ſtudioſus eſt, vt nullum omnino ferre diſpendium vnquam didicerit, tamen queat repetere: vel ab interceſſore, moram ſi fecerit: vel ab ipſo debitore, qui totius tragœdiæ fons eſt atque origo: verùm alio, quàm in auctionem expenſorum nomine.

Quæ in fraudem creditorum facta SINT, VT RESTITVANTVR, TIT. XVIII.

I.

EST inſignis cuiuſdam improbitatis ac malitiæ, poſt omnes forenſis fabulæ ſtrophas & antiſtrophas: ea tandem peracta, iudicati non modò non faciendi, ſed & fraudãdi gratia, rerum ſuarum alienationes comminiſci. Quamobrem vnum aliquem, qui huiuſmodi technis, Ampliſſ. Ordinis decreto ſtuduiſſet illudere, placuit, alienatione reuocata, pecuniæ damnari, placitúmque palàm recitari, mediis cauſarum altercationibus, cùm maximè frequentia populi flagraret auditorium. Quod cùm actuarius feciſſet, fuit ab Egid. Magiſtro, ſummo Curione cenſoria ſeueritate, ipſius ordinis verbis Cauſidicis ac Cognitoribus imperatum, litigatores admonere, vt hunc ad lapidem impingere cauerent. Enimuero fore, ni facerent, vt in eos ſeuerius animaduerteretur. v. Id. Aug. M. D. L I I.

De criminoſis iudiciis, Tit. I.

I.

VBI extra ordinem quæri cœptum eſt de crimine, nec cauſam inficialiter conſtituendam, nec ab inſtituta quæſtione, ne latum quidem vnguem, recedendũ eſſe placuit, donec ea numeris omnibus ſit abſoluta. Conſultum extemporale, pomeridianum, VII. Cal. Septembr. M. D. XXX.

II.

CVSTODIAS ampliari non placere, niſi antea quæſtio, qualiſcunque de crimine habita fuerit, actori publico edatur, iſque interpelletur, velítne diuerſum quicquam allegare. Sic enim reorum puniendorum rationes difficilius poſſe conturbari. XVI. Cal. Febr. M.CCCC.XCVII.

III.

AD VII. Cal. Sept. M. D. XXX. pomeridiana ſeſſione, placuit teſtes cum reis commiſſos, non commẽtariis, ſed extemporaria oratione reprehendi oportere: ipſóſque reos teſtiũ nomina rogari, quibus reprehenſiones ſperent ſe probaturos. Quod in legem poſtea tranſlatum eſt, anno M. D. XXXIX, ſed multò certè quidem acerbius. Sic enim ferè habet,

Quæſitor reum & vnumquenque teſtium, ſeorſum ab aliis, altrinſecus coràm ſiſtere iubeto.

Iis compoſitis, vtrunque ad iuſiurandum adigito.

Reum rogato, habeátne, quo teſtem reprehendat, quibúſque reprehenſionem approbet.

Eius rei diligenter eum admoneto: illi enim poſthac integrum id nunquam futurum.

Quæ legis acerbitas tandem in eum recidit, qui tum nihil tale cogitans, eam ſuaſerat Principi, alioqui, poſt hominum memoriam, mitiſſimo clementiſſimóque. Cùm enim publicum legis Iuliæ repetũdarum iudicium in eum exerceretur, & teſtes, quibus ipſe preme-

batur, repeti placuiſſet ac cōmitti: venit è mõtibus Aruernis Iohannes Cebierius, Carladæſii ſecundarius Iuridicus, quo tum vtebar familiariſſimè, & à quo, fide bona, hoc habui. Hunc oblatum, vt ille ſemel, iterum ac tertium oculis colluſtraſſet, dixit, tam ſibi notum eſſe, quàm qui minimè: eámque ob rem in ſe non eſſe, vt vel locupletem haberet, vel refutaret. Tum dati Recuperatores, Quãquam tu, Nomophylax, de capite & fortunis cauſam è cuſtodia dicis, tamen pro tua adhuc apud nos integra fide ac magiſtratus dignitate, haud difficilè perſuaſum habemus, te nihil diſſimulare, nihil ementiri, nihil affingere: ſed hîc profectò eſt, quod, quàm fatum, vitare nequeas magis. Noris, non noris hominem, ſtat eum te nunc ipſum refellere oportere: neque id vnquam tibi poſtea licitum fore. eſt enim verbis apertiſſimis, lege comprehenſum: quam, quis te melius nouit, qui eam ſuggeſſiſti, concepiſti, obſignaſti? Ecquis aſpernabitur idem ius ſibi dici, quod ipſe aliis dixit, vel dici effecit? Ecquis, quod ipſe in alterius perſona æquũ eſſe credidit, in ſua ipſius valere non patiatur? Qui in magiſtratibus quid decreuiſſent, eodémne ipſis priuatis erat iure parendum? Sentio (inquit) & certè faber compedes, quas fecit, ipſe geſtat. Excipe Scriba. Agnoſcit Cancellarius legem, Principis quidem autoritate latam, ſed cuius aſperitatem ab eo, quãta maxima poteſt animi ſubmiſſione, deprecatur: quam, ſi pro ſua genuina clemẽtia non temperauerit, quis capitis accerſitus, quantumuis innocens, calumniatorum inſidias vnquam ſe ſperet euaſurum? Itaque Principem omnium humaniſſimũ orat atque obteſtatur, vt teſtis nomen edi, larémque iubeat, daríque tẽpus ad percontandum, ſítne ille, cuius ipſe fidem poſſit inſectari. Quod apud Principem iudicéſue quid valuerit, equidem neſcio: ſed, niſi maximè fallor, magna admodum ratione nitebatur. Quî enim fieri poteſt, vt eum, qui nec de facie quidem aut nomine notus ſit tibi, vt primùm oblatus fuerit, coarguas & inſecteris? cuius tamen ſi qua rationẽ mores exquirãtur, fortaſſe nemo vſquam gentium extiterit inteſtabilis magis, nemo vnquam fortaſſe magis conflatus fuerit ac ſubornatus. Res me hercule digniſſima, cui Ampliſſimus Ordo, pro ſumma ſua in omnibus æquitate, aliquando conſultum eſſe velit.

S.i.

IIII.

PETRVS Annonarius, lege Iulia, de adulteriis coërcendis & ſtupro interrogatus, innocẽtiæ ſuæ cauſas reddidit, & repertos ac commiſſos teſtes, quantum potuit, inſectatus eſt. Quæ cùm probare ſtuduiſſet, diſceptatum eſt, an Mariæ Petræ, quæ ſtupri reum poſtulauerat, teſtes non modò ad illius purgationem faciẽtes, verumetiam eos, quibus inſectationes ſuas probare contendiſſet, reprehendere quoque liceret: quòd tametſi iure, noſtri tamẽ fori moribus receptũ non eſſet. ET quidem licere placuit. Quis enim non facilè crediderit, eum, cui capitis periculum intẽditur, quibuſlibet teſtibus, etiam diobolaribus, ſi aliter nequeat, liberare ſe velle? Placitum pronuntiatum v. Cal. Septembr. M. D. X L V.

De dolo malo, Tit. II.

I.

IACOBVM Aurulium, quòd Regio Subcognitori eremodicialis teſſeræ ſubnotationẽ per dolũ abſtuliſſet: teſſera infecta facta, octies vicenis aſſibus, inſtaurando tabulæ iudicialis ſimulacro attributis, mulctari placuit: præter id, quãti partium intererat Subcognitorem in teſſera ſubnotanda non fuiſſe deceptum: quo nomine in Aurulium, dum volent, agi poſſet. XVIII. Cal. Iul. M. C C C C. L VI. Quod exẽplum non tam vt axioma proponimus, quàm vt priſcæ illius ſeueritatis monimentũ. Quæ pudoris & modeſtiæ magiſtra, ſimul atque vel tãtillum intermittitur: ſtatim obrepit indulgentia, petulãtiæ ac intemperantiæ mater, ſcelerúmque penè omnium deſignatrix.

II.

IOHANNI Guiberto, quod in ſupplice libello verum non expoſuiſſet, mulcta irrogata, íſque quoad numeraſſet, munere abſtinere iuſſus. Prid. Id. Iul. M. C C C C. L I I. Vidimus adhuc tyrones, dũ Iohannes à Selua Curiæ habenas moderaretur, Cauſidicũ inter orandum mẽdacem deprehẽſum, è veſtigio mulctatum. Cognitorem, qui diploma, tametſi parum ad rem faciens (puta veniam comperẽdinatæ prouocationis) ementitus fuerat, comprehẽdi tamen ac duci iuſſum. Quibus animaduerſionibus, & veritatis veluti retinaculis ſi ſemper vſi fuiſſemus, non (vt aliquando vidimus) ſcatuiſſent non

modò in ſupplicibus libellis ac diplomatibus, ſed & in ipſis cauſarũ actionibus,quibus ſæpenumero cõtrouerſiæ dirimũtur, atque in forenſibus omnis generis ſcriptionibus,mẽdacia & cõmentitia ac ſycophãtica themata: quæ quantas miſeris litigatoribus moleſtias exhibuerint,vix eſt enarrare,ſed ne cogitate quidem.

III.

SOLVTO morte matrimonio, Seia fundum à Sempronio viro ſuo pactis dotalibus oppigneratum, perſequebatur. Defendebat Caïus,fundi poſſeſſor, olim Sẽpronio fundũ ſe dediſſe quidem, ſed dicis tantùm gratia,fortunatiores ille nuptias vt cõſequeretur:id antigrapha & illũ agnouiſſe, cauiſſéque ſe aliter donatione non vſurũ. À Seïa referebatur, ea per dolum malum clàm ſe facta, nihil obeſſe:Caïum aut decepiſſe, aut decipere volẽti & operam & rem ſuam accommodaſſe: dolum ſuum nemini patrocinari: alterum alterius fraude lædi non oportere. PLACVIT antigraphã eatenus valere, quatenus per illam pactis dotalibus non officeretur. Placitũ à Riantio, de eiuſdem argumenti quæſtione ad Luparam Lutetiæ reſpondente, citatum, III. Non. Apr. die Iouis ante Liberalia. M.D.XLIX.

IIII.

PLVTEVM in Baſilica ἐμπορικὸν modica præſenti pecunia,& annuis aſſibus quadraginta pridem redemptum, Sempronia Mæuio quadragies vicenis locauerat. Poſtea Mæuius ægrè ferẽs rem minimo comparatam,tanti ſe, nec niſi conductam habere: Regii Theſauri Procuratori annuorum triginta (vt vocant) Francicorum, pro aſſibus quadraginta,fert conditionẽ. Ille protinus accipere, poſtulare vt ferẽti res permitteretur. Quod & iudicibus placuit:ſed appellatæ Curiæ cõtrà,& certè meritò. Quotus enim quiſque erat, qui Mæuium animoſè, dolo malo,& contra locationis fidẽ feciſſe non animaduerteret? Sed Principis rebus ita cõſultum eſt, Pluteũ auctionatũ ac vltimo licenti addictum iri. Ex tempore VI. Id. Iun. M.D.LI.

De iniuriis & famoſis libellis,

TIT. III.

I.

VETERIS comœdiæ, cuius Suſarion Megareus, inuentor fuiſſe

traditur, tanta fuit mordacitas, vt quoſlibet etiam nominatim perſtringeret. Quod cùm & ipſis comœdis inuidioſum, & omnibus pernicioſum eſſe compertum habuiſſent, lege lata factum eſt, vt à nominibus temperaretur: atque ita noua Græcis Comœdia, Latinis Satyra nata, & ea fortaſſe Gallis, quam vulgò Bazochiam appellãt, ſi rem ipſam, verbíque etymologiam ſpectare libuerit. Βάζω enim loquor eſt Homero, vel dico: & χέω, fundo, & χόος, prodigus, effuſor. Vnde pragmaticæ nationis Amanuenſes, non à Baſilica (vt quidam voluerunt) Baſilicanos, ſed Βαζοχέας, hoc eſt, verborum funditatores, σπερμολόγους, dicaces, appellatos exiſtimauerim. Quorum ingeniis ſemper hæc libertas cõceſſa fuit, vt in communem hominum vitam ſalibus impunè luderent: ſed licentia in rabiem exeunte, & vetere comœdia redintegrari incipiente, neceſſarium fuit Ampliſſimum Ordinem parteis ſuas interponere. ITAQVE IX. Cal. Sept. M.CCCC.XLII. Bazochios aliquot, eius criminis cõpertos, carcere ieiunióq; coërceri placuit, & pane aquáque permiſſis, cæteris omnibus interim abſtinere. Vetitum præterea Satyras amplius ne ederẽt, niſi quas ab ipſo Ampliſſ. Ordine cõprobatas Actuarius ſubnotaſſet.

III.

ΒΑΖΟΧΕΙ'ΟΙΣ βαζοχεῖν, ποιῆσι, νέαν τὴν κωμῳδίαν ἄγειν, niſi petita Curiæ venia, non licere. VI. Non. Maias M.CCCC.LXXV.

IIII.

AD XIIII. Cal. Maii, M.D.L. de Bazochiorum rebus ſummam in cõtrouerſiam adductis placuit, penulam pignori abreptam, quòd Amanuenſis, cuia eſſet, Bazochianæ militiæ nomen dare noluiſſet, eſſe reſtituendam. Dare nomen cogẽdum neminem. Prohibitum ne quem ſuis iocis, nomine, notíſue proderent: quod ſi ſecus facerent, ſcirent pœnas corpore ſe daturos. Vetitum etiam ne quis ante IX. Cal. Maias, ſummum, & ſextam pomeridianam, tympano iuuenes ciêre auderet. Cætera, moniti medium tenere.

De furtis, Tit. IIII.

I.

ΒΑΛΑΝΤΙΟΤΟ'ΜΟΣ in Curiæ Curia, mediis altercationibus, ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehenſus, & in cancellorum aream inductus,

legibus interrogatus, & teſtibus commiſſis obrutus atque oppreſſus, furtum audax illud quidem, ſed ignobile, nempe aſſium ſexaginta tantùm, plebeii hominis tenuitatem, reſti luere damnatus eſt. x. Calend. Febr. M. D. XLIX.

De falſis, Tit. V.

I.

FALSI perſequendi formulæ primordia, forenſibus omnibus notiſſima, hæc ſunt: vt, qui crimen obiicit, id primùm inſcriptione profiteatur: poſtea falſi poſtulatus, id quod falſum eſſe dicitur, proferat: deinde falſi themata accuſator edat: de quibus tum demum inquiritur, cùm ad rem facere pronuntiata ſunt. Sed hoc non eſſe perpetuum ego didici. PLACVIT enim teſtes anticipatione rogatos, aliis etiam ſolennibus omiſſis, repetendos, cúmque reo nihilominus eſſe committendos. Ex tempore, ad exhedram rerum capitalium, VIII. Id. Mart. M. D. XLIX, Litigatoribus Luca Loduneo, & Iacobo Chaſteo.

II.

REGII ſigni adulteratorem, eundémque ipſum Regii amanuenſis chirographi imitatorem, teſſera ſanctitatis mulctari non placuit: ſed priuilegiarii criminis ergô, ingẽtis pecuniæ damnatum ad Pontificem relegari, è cuſtodia eius non antè emittendum, quàm ære mulctatitio ſe liberaret. VIII. Id. Apr. M. CCC. LXXXV.

III.

LODOICVM Chabotium & circa teſtes & circa tabulas, falſi cõpertum, parum eſſe viſum eſt XV. millibus librarum (quas vocant) Pariſiẽſium mulctari, niſi etiam iudicati, quod iuſta de rerum controuerſarum poſſeſſione abſtulerat, iacturam faceret, & lis ex integro iudicanda eſſe pronuntiaretur: quanquam neque teſtes, neque tabulæ ad rem quicquam facerent, vt exitu tragœdiæ commonſtratum eſt. Nam poſtea Iohannes Caſtillionius, Chabotii ex ſorore nepos, iiſdem copiis, quibus ille, inſtructus (falſis illis reiectis) nihil diſſimile iudicatum expugnauit. Placitum primum pronuntiatum XIIII. Cal. Iun. M. CCCC. LXIX. Alterum VIII. Id. Iul. M. CCCC. LXXII. Tertium M. D. XV. Cal. Septembr.

IIII.

NON ſolùm qui in actis cauſæ adulterandis ſecus aliquid admiſit, cauſæ iactura plectitur, ſed & qui falſam protulit autoritatem. Cuius rei exemplum in Baptiſtam Belloregardium à Curia editum eſt, XIX. Cal. Sept. M. D. XL. Duas enim autoritates ab eo prolatas, dum alteram falſam, alteram falſi vehemẽter ſuſpectam pronũtiaret, atque vt tales in iure lacerandas eſſe decerneret: hominem, receptitii criminis nomine, quòd alteram fabricaſſet, fabricaríue curaſſet, & vtraque vſus fuiſſet: ad calamitoſam exhomologeſim damnauit, ducenaria fraude mulctauit, ei Francia biennium interdixit, & Villenauxii primatus, quóde agebatur, iure caſſo, quòd ad poſſeſſionis cauſam pertineret, Harpocratem eſſe iuſſit.

V.

HOC exemplo, quòd in hoc à me, Bertrandi Belcierii Cognitore, prolatum erat, claſſium inquiſitoriarum primaria fortaſſis adducta, Carolum Liuennium, ſecundum quem, canonicæ Themolatii præfecturæ vindiciæ fuerant dictæ, poſtea falſi pariter condemnatum, omni tandem poſſeſſionis iure caſſum pronuntiauit, iuſtámque præfecturæ eius poſſeſſionem Belcierio addixit, IIII. Non. April. M. D. XLIX, ante Liberalia. Sed hoc in placito eſt, quod in illo non ſit inuenire. Petebat Belcierius, vt in hunc iam falſi condemnatum, idem iuris, quod in illum, de poſſeſſione ſtatueretur. Excipiebat hic, falſi pœnas alio iudicio, ſe dediſſe: neminem ex eodem crimine bis eſſe puniendum. E` diuerſo Belcierius, id quod petebat, falſi pœnæ eſſe partem: iudices, illo iudicio, ſolidam irrogaturos, ſi falſi quæſtio, iuſtæ poſſeſſionis litem morata fuiſſet: quod & claſſem illam, hoc placito, ita exiſtimaſſe videmus.

De Adulteriis, Tit. VI.

I.

VT ſapiens ille, ita me hercule, & ſapientiſſime, Scurrile (inquit) vinum, tumultuoſum temetum, & quiſquis eo decipitur, deſipit. Et quòd olim Romanis fœminis vini vſus ignotus fuerit, optima ratio traditur, ne ſcilicet, in aliquod dedecus prolaberentur: quia proxi-

mus à Libero patre intemperantiæ gradus, ad inconceſſam venerem eſſe conſueuit. Porrò ſi vinoſa mulier cauponem maritum nacta ſit, quid aliud eſt, quàm igni materiam comparaſſe? Cauponis inſtitor, cùm dubiæ exiſtimationis dominam, vino captam, poſito pudore, mentéque ſubalienata, interim aperto ſinu mammillas, interim ad ignem accedētem, crus oſtendere deprehendiſſet: cœpit de illa conſtupranda cogitare. Accidit vt cùm à cœna, caupo, ſatis multa nocte, perſonatus aleator obambularet, domina conſcenſo cubiculo vinum edormitura, ſemel, iterum, ac tertium inſtitorem ad ſe venire iuſſum, nonnullis de rebus compellaret. Ille & dominum abeſſe, & dominam vino madere animaduertens, vt eam iacere, ac ſomno, vt vino, ſepultam eſſe exiſtimat, redit, ac comprimit dormientem. Cui ſi ſatis fuiſſet ſemel expleuiſſe animum, poterat id quidem ignoratū præteriri: ſed iuuenis intemperātia fecit, vt illa paulò pòſt repetito cōgreſſu euigilans, & aduentātis mariti ſtrepitu commota, maximum clamorem ederet. Tum famulus ſugere, ac ſe foras proripere. Domina cum marito, vt venit, de famuli procacitate, ſtupróque ab eo ſibi illato grauiter expoſtulare. Maritus extemplo perſequi, ac vbique locorum venari fugientem. Quo ad pontem molitorum dormiente reperto, is continuò ad domini genua prouolutus, & crimen ingenuè faſſus ac deprecatus, in vincula coniectus eſt. Ex quibus lege Iulia de adulteriis coërcendis, & ſtupro interrogatus, nihil vnquam inficiatus eſt, nihil vnquam aliud, quàm ſumma cum ſimplicitate, ætatis vitium & oblatam occaſionem incuſans, perſtitit veniam petere. Cùm autem dominus, dominá que intellexiſſent famulum, alioqui commendabilem, in maximo vitæ diſcrimine verſari: eos illius miſertos, accuſationis ita pertæduit, vt quem ad ſupplicium depopoſcerant, ad ἀμνηςίαν efflagitarent. Sed tam rerum capitalium legatus, quàm appellatæ Curiæ Conſcripti, quanquam res non indigna miſeratione videretur: eam tamen ad exemplum pertinere rati, ideóque nihil de legum acerbitate minuendum exiſtimantes, famulum ad furcas damnauere tandem. Placitum pronuntiatum * Maii M. D. L I.

I.

ETIAM Curiæ decretis olim receptum erat, vt ſi quam, per matrimonium, quis rapuiſſe diceretur: Pontificius iudex de matrimonio, profanus de raptu cognoſceret: neque alter alteri moram afferret vllam. SED poſtea placuit, matrimonii cognitionem ſuſtineri, quoad de raptu iudicaretur. Par enim eſſe, vt de eo quod præceſſerit, prius quæratur, hoc eſt de calliditate, fallacia, machinatione, quam is, qui vis illatæ appellatur, adhibuerit, vt ſimplicem, credulam, imbecillam (ſatíſne fuiſſet tantùm fœminam dicere?) circumueniret, falleret, deciperet. Fœminam (inquam) cui ſi per eiuſmodi præſtigias prouidere licuiſſet, quam nomini ſuo, familiæque labem inureret, nunquam commiſiſſet, vt ſuum in ſe, ſuóſque proderet officium: neque vt ille, qui verè nuptias facit (conſenſum appellamus) interueniret. Cæterùm iuſta matrimonii peragere, eíque viro miſceri, qui de raptu cauſam diceret, forſan poſtridie vltimo ſupplicio afficiẽdus (præterquam quòd parum conueniret, nec admodum conduceret) triſte quidem eſſet ac verecundum. Et reo eius criminis comperto, damnato, mactato, quid amplius de matrimonio quærendum eſt?

II.

SED ſi qua iam matura viro, & (vt inquit ille) iam plenis nubilis annis, vel ſuopte marte, vel etiam alterius auxiliis, adoleſcentem & genere & opibus ſe longè clariorem ac potentiorem, clam curatore, clam moderatore expugnauerit, & ad vxorem ſe ducendam ita pellexerit, vt & pacta, inconſulto adoleſcenti valde iniqua, publicè perſcriberētur, & futurum matrimonium præſentibus iniretur verbis: videamus, ſitne raptus, quódue aliud criminis genus: cui, vel quibus illud adſcribemus: & ad quem, vel quod ſpectet illius perſequutio: déque iis omnibus Ampliſſ. Ordo quid cõſtituerit. PVELLA noxæ litíque exempta, innominatum crimen ita vindicari placuit. Pacta omnia, infecta facta atque inducta: præter quàm quòd ad matrimonii probationem, apud ſuum eius rei iudicem, poſſent cõducere: cuius adeundi, & matri & filiæ facta eſt poteſtas. Mater, cuius artibus res acta fuiſſet, & Principi & curatori & moderatori, pecuniæ

damnata. Conſultores, cautores, quòd ei operam dediſſent: publici pactorum perſcriptores, quòd iuuenem celaſſent, quid præſentanea ſponſalia ſibi volent, quid donatione, vt erat propter nuptias facta, comprehenderetur: pecunia etiam pro cuiuſque perſonæ admiſſique qualitate mulctati. Placitum pronuntiatum v. Non. Maii vel III. Iunii. M. D. XXXV.

III.

RAPTVM, quem in parenteis appellāt, placuit crimen eſſe tranſlatitium, non regiæ cognitionis. Itaque Aluillarios eiuſmodi raptus inſimulatos, fori præſcriptione ſummotos, cùm ea de re Curiam appellaſſent, ad ſua iura eſſe reiiciendos. XV. Cal. Mart. M. D. XLIX.

De pœnis, Tit. VIII.

I.

AMBIANIS more maiorum comparatum eſſe dicebatur, vt ſi cui in vrbe, plures citra cædem, membrúmue mutilatum, manus attuliſſent: & vnus crimen in ſe reciperet, cæteros abſolutum iri. Qui mos & damnatus eſt & vetitum, ne eius in poſterum commemoratio à quoquam vſurparetur. III. Calend. Decembr. M. CCC. LXXXIX.

II.

REORVM criminis cōpertorum, quacunque alia ipſi pœna puniantur, tamen perpetuæ memoriæ facti, infamiæ, exemplíque cauſa, ædes interdum dirui receptum eſt, & in Sauœſium, Conſilii Prætoriani decreto editum, IX. Cal. Sept. M. CCCC. IIII: quòd eius familia in Academicos, diuæ Caterinæ, Lutetiæ publicè ſupplicantes, impetum feciſſet, & ex eis nonnullos vulneraſſet. Cuius rei etiam aliquid habetur in Curiæ commentariis.

III.

ET iure ciuili, & conſtitutionibus Principum (quantum mihi aſſequi licuit) non niſi vltimo ſupplicio crimen maieſtatis expiatur. Inuenimus tamen mitius actum cum Nicolao Orgemontano, Petri Orgemontani Nomophylacis filio, olim Curiæ Conſcripto, tum autem diacono, ſacris beneficiis onuſtiſſimo. Ei enim eius criminis

comperto, ex arce Antoniana in auditorium Sodalitii Pariſien. adducto, & exinde plauſtro in forum vænalitiũ euecto, atque ad coniuratorum obtruncationis ſpectationem adacto, poſtea exauguratо, ac omni tam ſacro, quàm profano ordine moto, in poſterúmque prohibito, deinde ingentis pecuniæ, erga Principem damnato, reliqua quidem facta eſt vita: ſed planè miſerrima, pane videlicet ac frigida, perpetuo in carcere tranſigenda. Sed noſtra in Gallia mulctarum irrogationes in arbitrio iudicantium ſunt poſitæ. Prid. Cal. Maii M. CCCC. XVI.

IIII.

VTRIVSQVE iuris interpretibus inter ſe diſcrepãtibus, æquúmne ac bonum eſſet, reum, erga priuatum noxæ perſecutorem, pecuniæ damnatum, inopia laborare cõpertum, atque adeò iudicatum facere non potentem, corpore coërceri: quandoquidem, ipſa iuris regula, in pœnalibus cauſis benignius eſt interpretandum (quod & Chriſtianum eſt) pro ſumma Curiæ æquitate ac religione, Chriſtianam (hoc eſt) humaniorem ſententiam ſequi placuit. Reum ſcilicet, antequam bonis cederet, cuſtodia non eſſe liberandum. IIII. Cal. Apr. Anno à Martinalibus. M. CCCC. XXVII.

V.

LIBELLVS ſupplex à Gulielmo Curtableto, ſartore, in Iohannem Portanum, Curiæ Conſcriptum editus, contumeliáque damnatus, ſuum autorem eò perduxit infamiæ, vt publica palinodia, Deo, Principi, Iuſtitiæ, Conſcripto, læſa ipſius exiſtimatio ſarcienda eſſet: & recantatori, quem egeſtas ære mulctari non ſineret, menſtruum ieiunium, pane interim & frigida tantùm alendo indiceretur. Quibus recitatis, Cõſcriptus ſtatim profeſſus eſt, honoraria pœna per ſe temperari licere: quod hominis clementiæ, modeſtiáque nunquam ſatis (meo quidem iudicio) commendatum ituræ datum eſt, nullo reliquæ animaduerſionis præiudicio. VIII. Cal. Iun. M. CCCC. XXIX. Sed (quæſo) à numaria pœna, quæ ſi ex rei facultatibus redigi poſſit, irroganda eſt, ad eam genii fraudationem deſcendere, éſtne corpus afficere? éſtne eum qui ære (quod dicitur) nequit, cogere vt corpore luat: quod ſuperiore decreto, ipſi Curiæ diſplicuiſſe videmus? Eſſe quidem videri poteſt. Sed (vt interim

omittamus, quòd & canonica eſt ea pœna) ita eſt afficere, vt potius reficere ſit intelligendum, ſiue corpus, ſiue animum ſpectes. Τῆς μὲν γὰρ ἐγκρατείας ἴδιον (vt Philon ait) ὑγεία καὶ ἰσχύς: ἀκρασίας δὲ ἀσθένεια, καὶ νόσος γειτνιῶσα θανάτῳ. Et Baſilius magnus, ὅσον ὑφαιρεῖς τῆς σαρκὸς, τοσοῦτον ποιεῖς τῆς πνευματικῆς εὐεξίας, τὴν ψυχὴν ἀποστίλβειν. Et rurſus, ὁ τῇ σαρκὶ προσπαθέμενος, τὸ πνεῦμα καταγωνίζεται: καὶ ὁ δὲ πνεῦμα καταταξάμενος, καταδουλοῦται τὴν σάρκα. ταῦτα γὰρ ἀλλήλοις ἀντίκειται. ὥστε εἰ βούλει ἰσχυρὸν ποιῆσαι τὸν νοῦν, δάμασον τὴν σάρκα διὰ νηστείας. Cæterùm planè minus eſt ieiunio coërceri, quàm ad calamitoſam bonorum ceſſionem carcere compelli: niſi ſi quis eſt, qui honori gulam præferri maluerit.

Pœnis fiſcalibus creditores præferri, Tit. IX.

I.

SI quis ob aliquod admiſſum facinus, cùm erga Principem, tum priuatum noxæ, ac maleficii perſequutorem, pecuniæ condemnatus fuerit: in ea exigenda, priuatum Principe fore potiorem. Prid. Cal. Iul. M. CCCC. I.

II.

REM ſuam perſequentibus, pœnæ exactionem poſtponi. Imp. Antoninus Marcello reſcripſit, & ita Curiæ placuit. V. Cal. Iun. M. CCCC. VII. Anglo enim poteſtate facta Digonē abducēdi, vt iuſto ac legitimo bello à ſe captū: ipſóque digone litis impendia, quódque Anglus damni accepiſſet, rependere damnato, & ob effractum carcerem ære mulctato: additum eſt, Anglum Principi anteponēdum.

De cadaueribus punitorum, Tit. X.

I.

QVOD ex Vlp. & Marcello, vel, vt alii volunt, Martiano, cap. I. & II. Tit. de cadaueribus punitorum lib. Pandect. XLVIII. traditum eſt, eorum corpora, in quos animaduertitur, non aliter ſepeliri, quàm ſi à Principe fuerit petitum & permiſſum: & nonnunquam

non permitti, maximè maieſtatis cauſa damnatorum, vſurpatum inuenimus in perſona Iohannis Mareſii, Regii Cauſidici, quem Liuius noſter, Paulus AEmilius lib. IX. de rebus geſtis Francorum, tum facũdia clarum, tum diſertiſſimum appellat. Is maximis Reip. temporibus, anno M. CCC. LXXXIII. quo, Lutetiæ, Carolus VI. de trecentis ciuibus ſumpſit ſupplicium, alios bonorum parte dimidia mulctauit, reuulſas vrbis catenas in Luparam ſuſtulit, magiſtratus municipales abrogauit: is (inquam) maieſtatis quoque inſimulatus, etiam obtruncatus eſt. Anno verò M. CCCC. VI. ad V. Id. Maias, eius oſſa legi, decreto Curiæ permiſſa, condíque in ſacello, quod ille ad diuæ Caterines excitauerat, dotauerátque. Ex quibus duo hæc (bona venia) colligimus. Alterum, maieſtatis damnatorum ſepulturam ferè nunquàm, aut certè ægerrimè cõcedi. Quid enim eſt, tãto temporis interiectu, illam impetraſſe: quam, pro hominis alioqui dignitate, ab eius neceſſariis & propinquis, vix eſt qui animo præſumat tandiu neglectam fuiſſe? Alterum Curiam, ea in re, Principis partes ſibi vindicantem, vnius forſan Accurſii autoritate, illud Euangelicum vſurpantis, Ioſeph petiit à Pilato corpus Ieſu. Quanquam hoc non attulerit Accurſius, vt probaret id ad magiſtratus autoritatem pertinere: ſed vt oſtẽderet non modò cognatis animaduerſorum, verumetiam quibuſlibet petentibus indulgeri. Quod autem ipſe contrà cenſuerit, à Principe impetrari debere, conſtat ex eius in titulum illum gloſſematis, quibus ſemel atque iterum hoc apertè declarat.

FINIS.

Τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων, ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ Θεῷ, τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANIMADVERTENDA QVAEDAM, aut emendanda.

Folio	Linea	
14	12	inuulgarent:iſti,
24	16	Quod aliud ſer-
37	15	VT IVDICATVM
	34	Max.eiuſue Legato,
40	25	ter clientelis aſcriptas
51	19	ad eum in arcem Curia proficiſceretur. IT
52	26	(quo fato,qua ratio-
53	5	ab aliquibus deſignatæ ſunt,
54	22	Si quidem à Nomophylacia pro-
60	30	XVIII.
63	34	Reip.conſulturi,vel
108	16	Suppræfecturæ rerum priuatarum,
115	4	CERATICO, TIT. XII.
123	16	Leſtandartiæ nuncupatæ,
129	34	peratoribus,ea de re aditis,
140	20	ſocietatis,& alterum
	21	hæredibúſque delatum.Placi-
147	2	XVIII. Cal. Iul. M. D.
149	21	lios re vera viuere: rem iudicatam,
151	27	non petentis partem,ve-
152	31	riam veniſſet, III. Idus Mart.
161	10	AVTOR denuntiatam ſibi litem
162	22	conſiſtere.Sed
167	25	& eis ſucceſſores dari poſſe:quod
180	2	è baſilicanis Recu-
187	27	AERIS ſui recipiendi, & accepti
192	14	Apud eum à quo appelletur,
194	20	De vitilitigatoribus,Tit. XV.
198	33	ex recenti præſcri-
216	14	HOC exemplo,quod
211	5	aperto ſinu mamillas,
212	30	vel quos ſpectet illius perſe-
215	1	omittamus,quod &
	20	poſtponi,Imp.

RELATIO AD SACRAM CAESAREAM MAIESTATEM, EORVM, QVAE PER SVAE MAIESTATIS COMMIſſarios in negotio Pacificationis Belgicæ, Coloniæ peracta ſunt,

Anno M. D. LXXIX.

Ex Germanico in Latinum ſermonem traducta.



COLONIÆ,
Apud Ludouicum Alectorium, & hæredes
Iacobi Soteris.

M. D. LXXIX.

POtentiſsime, & Inuictiſsime Imperator, Domine clementiſsime: Cùm annis aliquot continuis in Sereniſsimi Regis Hiſpaniarum inferioris Germaniæ Burgundicis, eiusque hæreditariis prouincijs perturbationes, ac motus graues coorti ſint, adeoque excreuerint, vt eorum cauſa inter ipſum Regem, eiusque ſubditos, bellum pernicioſiſsimum, ac nocentiſsimum pariter exortum ſit: cuius incrementum ac calamitas adinteritum, & euerſionem vniuerſæ inferioris Germaniæ tendat, ac Sacro Romano Imperio, cuius pars ac membrum Burgundicæ prouinciæ non ſunt exiguum, & domui Auſtriacæ non leue præiudicium adferat: non temerè Cæſ. tua Maieſt. ſollicitudine paterna, quò huic malo ac calamitati pernicioſiſsimæ occurri & mederi, ac ſubditi Regi, Principi naturali ac Domino ſuo reconciliari, priſtinæque paci, ac tranquillitati reſtitui poſsint, eiuſmodi querelis ad Maieſtatem T. relatis, munus Pacificationis bono publico mota, abſque difficultate ſuſcepit.

Quòd autem Cæſ. tua Maieſt. tum negotiorum Imperij multitudine, ac grauitate, tum verò hæreditariarum terrarum, & indies ſuccreſcentium periculorum cauſa, prouincijs ac terris commemoratis abeſſe, ac Pacificationis tractationi intereſſe ſine magno incommodo haud potuerit, & idcirco cauſæ commemoratæ nos Commiſſarios præfecerit, ac deſtinarit: poſt ſedulas tamen, ac frequentes excuſationes noſtras, cùm ob negotij ipſius difficultatem, tum verò ob partium conditiones, Cæſ. tua Maieſt. commiſsionem noſtram maiori inſtantia vrgente, ac requirente, ad declarandam erga tuam Maieſt. obedientiam ac reuerentiam noſtram, eam, qua nos decet, promptitudine, ac alacritate ſuſcepimus.

Cùm itaque Cæſ. tua Maieſtas 26. Ianuarij anni præſentis M. D. LXXIX. ſcilicet, tam nobis deputatis Commiſſarijs, quàm ipſiſmet partibus certum, ac definitum tempus inchoandi negotij Pacificationis aſsignandum eſſe, quò ad eam auſpicandam ac delegationi noſtræ parendũ magis inſtructi eſſemus, ſtatuiſſet; decimanona tamen Februarij à Maieſt. tua nobis ſignificatũ fuit, ab inferioris Germaniæ partibus, ſeu Burgundiæ Statibus difficultates quaſdam, quorundam incidentium cauſa, negotium Pacificationis quæ remorentur, ſubortas videri: ac proinde inferioris Germaniæ Status etiam eo tempore non ita plenè, purè, ac ſimpliciter, vt Hiſpaniarum Regem, negotium pacificationis tuæ Maieſt. tentandum, ac conficiendum ſubmiſiſſe, ac difficultates ab illis ratione loci, vrbis ſcilicet Colonienſis, etiam conquiſitas eſſe. Nihilominus tamen tua Maieſtas decreuit, ac nobis mandauit boni publici amore, & calamitatũ inferioris Germaniæ haud dubie miſerta, vt Dominica Lætare 29. die mẽſis Martij anni præfati negotij pacificationis commiſsi inchoandi, ac (Deo dante)

riū Sereniſsimi Regis Hiſpaniarū, Ducē de Terra noua euocauimus; ac eius Dilectioni & Illuſtriſs. Celſ. requiſitis & neceſſarijs præmiſsis; breuiter præſentē conditionem rerum Burgundicarū, tuæq; Maieſt. Mandati ac Commiſsionis noſtræ ſubſtantiam explicauimus, cumq; deſignatione literarum fiduciariarū, iuxta tenorem inſtructionis noſtræ præfato Duci fidem pleniſsimā fecimus, ac vtiles & ad negotium Pacificationis neceſſarias commonefactiones ſedulò adhibuimus, Mandatumque nobis ſuum exhiberi poſtulauimus.

Ad hæc præfatus Dux de Terra noua, Regis Hiſpaniarū, ac ſuæ dilectionis nomine, Cæſ. T. Maieſ. atq; etiā nobis cum eorū repetitione, quæ illi propoſuiſſemus, gratijs actis, quarundā rerū cōmemoratione ſe ad præſentē Pacificationis tractationē ſyncerè, & vehemēter affici, ſatis declarauit, & literis ſuis fiduciarijs apertis ac perlectis, Mandatū, ſeu Commiſsionē ſuā in pergameno ſcriptā, Regis manu ſubſignatā, & magno ſeu ſecreto Sigillo, vt vocant, ſigillatā, vt *num.* 6. nobis exhibuit. Quod verò Cæſ. T. Maieſt. præfati Ducis Mandatū antea viſum, & ſecundū tenorē inſtructionis noſtræ tanquā ſufficiens ac legale approbatū eſſet, T. Maieſ. cēſuræ ac iudicio acquieſcendū eſſe putauimus:

Sequenti die viij. Maii Legatos Statuū requiſiuimus, ac iis, quæ moris & cōſuetudinis iuxta cauſæ requiſitā præmitti, peractis, eorum leniter notato tardiori aduētu, ac præteritorū negotiorū breui repetitione præmiſſa, literas noſtras fiduciarias cōmunicauimus, ac tenore & requiſitione inſtructionis noſtræ, &, quod ad eā rem vtile fore exiſtimaremus, circūſtantiis omnibus partim vtilib⁹ ac neceſſariis diligēter ponderatis, eos ad Pacificationis negotiū amplectendū ac promouendū, eoq; ſuas actiones cōſiliaq; oīa intendāt, diligēter admonuim⁹: ac cū reuerentiæ & officiorū ſignificatione, vt Mandatū ſuū exhibere nō grauētur, poſtulauimus. Ad hanc noſtrā requiſitionē Statuum Legati duas diuerſi generis fiduciarias literas Gallico idiomate exaratas, vt *nu.* 7. & 8. nobis exhibuere, ac gratiis actis, ſe hoc Pacificationis conuētu ſedulò omniq; conatu aduigilaturos eſſe, quò ſuo Principi ac Dño naturali recōciliari poſſint, recepere; quod etiā eius cauſa à ſuis principalibus ſe ablegatos affirmarent: Interim tamen literas à Principe Auraico ad Ducis Arſchotani dilectionē ac Illuſtr. Excellentiam datas propoſuere, *num.* 9. Quibus perlectis, ex iis conſtare affirmabāt, Principem Parmenſem, ac Dominum de Selles, de la Motte, & Montigny ſeſe tranſactioni ac pacis pactionibus immiſcere, ac eo nomine cum Prouinciis quibuſdam iam ad partem agi. Eos igitur ſcire cupere, num Dux de Terra noua ſolus præ cæteris Mandatum Regium, ac plenariam poteſtatem negotii Pacificationis tentandi, tractandi, & cōficiendi à Regia Dignitate habeat: Quod ſi ita ſit, particularia præfatorum pacta ac conuentiones ad euerſionem & Prouinciarum diſtractionem à ſe mutuo ſolummodo pertinere, & ad præiudiciū Cæſ. T. Maieſtatis, ac ſimul auctoritatis noſtræ diminutionem hæc facere. Exhibent deinde Mandatum pergameno inſcriptum, *numero* 10.

gratijs interim nobis laboris ſuſcepti actis, cū ea requiſitione, quòd eorum maior numerus Germanicum idioma vix caperet, vti illis Latino, vel Gallico ſua proponere & exhibere liceret. Ad noſtram conceſsionem ac pariter etiam petitionem, vt Latino vel Germanico idiomate, & in ſcriptis ageretur, quod etiā Duci de Terra noua ſignificatum eſt, ea, quæ oratione complexi erant, in ſcripturam redegerūt, & ad Protocollum exhibuerunt, vt *num.* 11. regiſtratum. Atq; hæc eadem, quæ à Statuum Legatis ſcripto exhibita fuere, ad requiſitionem eius, Regis Mandatario Duci de Terra noua communicauimus: ac interea temporis ad Maij vndecimam Sanctiſs. Domini noſtri Nuncio, Domino Ioanni Baptiſtę Caſtanço, Archiepiſcopo Roſſanēſi audientiam, dum id requireret, decreuimus: qui oratione & verbis ſuam legationem, ac Commiſsionem, vt *num.* 12. executus eſt. Quapropter & præfato Domino, Nuncio ſcilicet Apoſtolico, præter debitam reuerentiam, ac gratiarum actionem, vt par erat, ac rei ratio ferret, reſpondimus.

Eodem die exhibuit Dux de Terra noua ſuas reſpōſiones ad querelas particulares, ſeu ſeparatæ tractationis cauſa, ſcripto à Statuū Legatis exhibitas, vt inferius *num.* 13. Duodecima Maij ſcriptum Ducis de Terra noua prænominatū in conuentione noſtra perlectum eſt, ac inſtructione noſtra deſuper examinata ſuper eo conſultauimus, ac Statuum Legatis eiuſdem ſcripti tenorem communicauimus, ac poſt meridiem eiuſdem diei Statuum Legatis plenius reſpondimus, ſcilicet. Quòd quamuis Ducis de Terra noua reſolutiones petitioni Legatorum minimè conformes exiſtant, & à nobis eiuſmodi controuerſiarum diſceptationes nō fuerint expectatæ, nos tamen nihilominus de noſtra diligentia quippiā remittere nolle & in meliorē partē, quantum quidem poſsibile fuerit, omnia interpretaturos. Ab ipſis verò Statuū Legatis mandati literas nobis exhibitas, diligēter perlectas eſſe: Verùm in ijs varios defectus, & vitia animaduerſa, pro hac vice tamen nos nolle, ad principalis negotij vlteriorem dilationem euitandam, deſuper cum illis diſceptare, nec de eorū poteſtate aut Commiſsione firmiori à ſuis Principalibus obtinenda nos diffidere, nec dubitare. Denuò tamen nos eos amicè ac beneuolè præmonere, ne mandati defectus occaſionē in poſterū maiora inconuenientia ſequātur, vt de pleniori ac magis ſufficienti mādato ſeu Cōmiſsione ſibi proſpiciant.

Secundo, præterquam quòd belli armorumque exercitium Pacificationis tractationi multis de cauſis obeſſe poſsit, nos quoque à Cæſ. tua Maieſtate in mandatis habere, cuius ſententię & nos quoque eſſemus, vtrinque arma, ſi non penitus & in vniuerſum deponi, ſaltem ad tempus aliquod, huic tractationi quod ſufficiat, quieſcere ac inducias fieri debere: ac proinde nos, ne in eo grauatè nobis aſſentiantur, ab illis petere, cum vberiori aliarum rerum neceſſariarum commemoratione.

Tertio Pacificationis conficiendæ caput principale, nũc aggrediendum eſſe:verum quod ijs totius præſentis controuerſiæ ſtatus, initia,cauſæ, ac circunſtantiæ ceteræ innotuerint, & proinde cum fructu tractationis præſentis initium facere commode poſsint: Nos petere,vt bona ac commoda media pacificationi exordiendæ, ac tandem conficiendæ nobis communicare,ac proponere velint, ſepoſitis alienioribus affectibus,ita moderatè rem vt agant,vt eorum erga pacẽ deſiderium,ac affectionem,tam ex ipſa actione,quam ex verbis ac oratione illorũ animaduertere nobis liceat, quo cũ parte aduerſa cõmodius ac fructuoſius agi poſsit, finiſque præſentis controuerſiæ diu multumque exoptatus vel tandẽ obtineri valeat,quòd è re Patriȩ,eorum etiã,Legatorum ſcilicet prȩſentium,ac poſteritatis, futurum ſit.

Ad hæc Statuum Legati reſponderunt,ſe ad proximam diem ſuper hac noſtra requiſitione tempus deliberandi petere,& copiam huius ac Regij mandati ſimiliter poſtulare.nos ijs reſponderi mandauimus,tempus poſtulatum non diſplicere, ſed quæ partibus hinc inde nos proponi mandamus ijs ſine graui cauſa etiam ſcripto cõmunicare propter inconuenientia multa, quæ hinc orirentur, ad negotij principalis moram euitandam nobis inconſultum videri.Ad Copiam autem Mandati Regij quod attineret,eos non ignorare ſui mãdati defectum,cuius etiam parti aduerſæ nondum Copia communicata ſit:cum tamẽ mandatum Regium,formæ ac legalitatis ſufficientis ſit, & à Cæſar. Tua Maieſta. in noſtra inſtructione approbatum nec nos illud reprobare. Proinde futurum eſſe, ſi Copia Mandati Regij ijs communicari contingat, vt Dux de Terra noua reciproce copiam Mandati eorum requirat,atque ex eiuſdem defectu inconuenientia quȩdã & protelationes principalis negotij neceſſario ſequerẽtur. Proinde communicationes Mandatorum vtrinque differendas,& in negotio principali procedendum,nos decernere,interim tamen nos eos denuo monere,vt mandato ſufficienti ſine mora vlteriori ſeſe qualificent, & huic noſtræ reſponſioni hac vice acquieſcant.

Die xiij. Maij rurſus Statuum Legati comparuerunt, ac ſcripto,*num.*xiv.nobis exhibito,reſpõderunt,& hȩc ſequentia Latino idiomate de Mandati ſui qualitatibus,ac ſufficienta propoſuere.Se exiſtimare mandatum,quod exhibuiſſent, eſſe ſufficiẽtiſsimum,& pleniſſimum,cupere ſe autem, ſi quos defectus in eo eſſe putaremus,hos illis ſignificari:ſe omnem velle dare operam, vt ea ad voluntatem noſtram repararentur.Sigillum quidem eſſe nouum,& à Statibus aſſumptum,propterea quod antea nullo alio,quam communi Brabantiæ ſigillo, vſi ſint, & quia nos petiuerimus ea, quæ proponerentur in ſcriptis fieri debere, ſe paratos eſſe, quæ iam dixiſſent, in ſcriptis exhibere exceptis iis,quæ de mandato ab ipſis dicta eſſent, quæ omiſiſſent propterea,quod nos,quæ de mandatis hinc

inde

inde propoſita fuiſſent, neutri parti adhuc communicanda: ſed nobis ad partem reſeruanda eſſe cenſuerimus. Hæc eadem, quæ à Statuum Legatis adducta fuere, à nobis in conſulationem relata, et, ſentẽtiis collectis, ijs nos de punctis ſeu capitibus adductis, excepta Mandati cõtrouerſia, reſponderi mandauimus, nos etiam hoc eodem die cum Duce de Terra noua agere conſtituiſſe, et ad illorum inſtantiam defectus Mandati particulariter hoc ipſo etiam tempore illis explicari debere mandauiſſe. In primis Mandatum communi Statuum omnium nomine ſcriptum, ac datum eſſe, ſed illorum neminem, quorum tamen ſint decem et ſeptem, in eo nominatum, ſic nec vllam Ciuitatum in eo mandato comprehenſam eſſe, cum tamen earum multę celebres, et ſub Statibus comprehenſæ ſint, nec à particularibus Prouincijs Mandatum illud ſigillatum eſſe, ſimiliter nec purum, nec categoricum, ſed conditionale eſſe, quod ad inſtructionem Statuum in eo relatio fiat: quam tamen vt exhiberent, nos ab ijs non requiſiuiſſe, et, quod maximum eſt, Mandatum illorum ad ſex ſeptimanas reſtrictum eſſe. Proinde ab aduerſa parte cum ob defectus enumeratos, tum vero noui, ac recentis, et inuſitati ſigilli cauſa, quod non magis parti aduerſæ, quam nobis notum ſit, quibus principale negotium remorarentur, difficultates, ac diſceptationes, idque non temere, ſuboriri poſſent: quæ miſſa facere volumus, ac interim admonere, ac hortari, defectus ſui mandati ſuppleri diligenter vt laborent, ac ſedulo inſtent.

Eodem die poſt meridiem Ducem de Terra noua requiſiuimus, ac ei ſignificari mandauimus, nos in Scriptis nobis ab eo exhibitam reſponſionem Statuum Legatis communicaſſe, ac eos ſuam reſponſionem, ſeu replicationem exhibuiſſe, quàm ipſi communicemus. Eodem tempore, tenore nobis à Cęſa. Tua Maieſtate tranſmiſſę inſtructionis, alijſque cauſis prægnantibus ſpecialiter commemoratis, et quod idipſum nobis ad rem præſentem quam maximè vtile eſſe videretur, ab vtraque parte armorum exercitium, ſi non in vniuerſum, ſaltem ad tempus aliquod pacificationi conficiendæ ſufficiens deponi, ac inducias fieri (quod et ab ea re Statuum Legatos non alienos eſſe comperiſſemus) non inconueniens fore iudicauimus.

Petere itaque nos in primis Tuæ Maieſtatis, ac noſtro etiam nomine, vt hac in re nobis obſequi velit, ad cauſæ principalis bonum finem facilius aſſequendum, cum enim vtile futurum ſit ſubditorum auimos conturbatos, quantum quidem poſsibile omni acerbitate ſublata, leniri ac mitigari, hoc medium (ſuſpenſionis armorũ ſcilicet) ad eam rem vehementer profuturum, ac negotij inchoandi ſucceſſus feliciores allaturum eſſe. Cum autem ad negotium principale pacificationis nobis iam progrediendum ſit, & nos ſtatum ſeu conditionem Prouinciarum non tam accurate nobis perſpectum habea-

beamus, vt media Pacificationis commoda vtrique parti ſtatim ab initio proponere poſsimus, à Statuum Legatis proinde nos; vt negotium auſpicari velint, ac media pacificationis ineundæ exhibere nõ grauentur, poſtulauiſſe. Quod vero Statuum Legati ſe difficiles præbuerint, quaſi à Regis Mandatario hoc fieri deberet; vt ex eorum ſcripta reſponſione patet, vt in eo præſtando ſe non reddat difficilem, ſed de eiuſmodi medijs ac conditionibus cogitet; eaque nobis explicet; quibus apud partẽ aduerſam pacificationis tractatio inchoari, ac feliciter confici poſſet, omnibus circũſtantijs pro rei grauitate, ac pondere accuratiſsimè, & copioſiſsimè explicatis, vt ea via & ratione de Principis Parmenſis, & aliorum etiam pactionibus pleniorem informationem conſequi poſsimus.

Ad hæc Dux de Terra noua nobis reſponderi fecit, ſe à nobis allata ad tria puncta ſeu capita redigere: quod autem maiorem deliberationem requirant, ſe in ſcriptis ea ſibi communicari petere; quo ijs magis pertinenter, & efficaciter reſpondeat. Quæ vis, ac poteſtas ſit ſui Mandati, aut Commiſsionis ex eius tenore cõſtare, ſe vero Principi Parmenſi, Regis gubernatori, eiuſque cõmiſsioni nec formam, nec modum ſtatuere poſſe: quod igitur ab eo factum ſit poteſtate, ac vigore gubernationis ipſum facere potuiſſe, nec Statuum Legatos, quantum animaduerteret, nomine Artheſię & Hannonię, vt pro ijs agant, ablegatos eſſe: Mandatum itaque, aut Commiſsionem ab ijs nõ habere, quod ſi habeant, id vt exhibeant, quò, quid facto opus ſit, ſciat. Præterea inconuenienter ſubditis tempeſtiue ad Regem properantibus, aut cum eo in gratiam redeuntibus viam aut occaſionem præcludi affirmabat: idque ſe ſolũ informationis gratia adijcere. Ad hæc Duci à nobis reſponſum eſt, ea, quæ ipſi proponi mandauiſſemus, ad inſtantiam, & requiſitionẽ partis aduerſæ commemorata eſſe, & maiori parte in ſcripto Legatorũ Statuũ contineri; cætera vero ſolum admonitionis gratia adhibita fuiſſe. Nos cupere à nobis omnem ſiniſtram opinionem amoueri, quòd ſcripto reſpondere inconueniens eſſe iudicemus, quemadmodum & parti aduerſæ id denegatum; quod ſi noſtræ reſponſiones à ſua parte minus intellectæ ſint, vel dubitationis aliquid ei hac in re occurrat, habere meum (Archiepiſcopi ſcilicet Treuerenſis) Cancellarium, ad eius inſtãtiam & requiſitionem, informãdi & vlterius declarandi mandatum, ac commiſsionem: Huic reſponſo Dux de Terra noua cum gratiarum actione placide acquieuit.

Die xv. Maij poſt meridiem exhibuit Dux de Terra noua ſuam reſolutionem ſuper replica, illi præcedenti audientia communicata, interim copioſe nobis commemorari mandans, vt ex reſponſione Statibus inferius data colligitur.

Die xvi. Maij Cæſ. T. Maieſtatis fratris multum dilecti, ſingularis amici, ac clementiſsimi domini noſtri, Archiducis Matthiæ legatus, Anthonius de le Laing, ad inſtantiam & requiſitionem ſuam, audientiam

tiam obtinuit. Qui poſt exhibitionem fiduciariarũ literarum, variarũ ac diuerſarum Conuentionum cum Prouincijs meminit, ac quid periculi alijs nationibus hinc etiam expectandum ſit, cogitandum reliquit, ac proinde ad pacificationem conficiendam omnem operam, & induſtriam adhibendam, periculumque amouendum diligenter hortatus eſt. Præterea binas literas originales Prouinciarum Artheſiæ, Hannoniæ, Inſularum, Duacenſium & Orchenſium, ad deputatos Generalium Statuum Antuerpiam ſcriptas *(num. 15. & 16)* nobis exhibuit. & cum hæc eadem à partibus, in tractatione negotij principalis propoſita ſint, Legato, poſt aliquod tempus, ſuo loco nos eius legationis, & petitionis in negotio principali pertractando, rationem habituros, reſponderi mandauimus.

Eodem tempore reſolutionem Ducis de Terra noua in conſultationem, ac examinationem aſſumpſimus, & poſt meridiem eiuſdẽ diei Statuum Legatos euocari, ac iis proponi mandauimus. Ea omnia, quæ nobis proxime exhibuiſſent, nos Regio Mandatario communicauiſſe, & eum ad primum punctum, ſeu caput tractationis ſeorſim ſcilicet hunc in modum reſpondiſſe. Se ea, de quibus Princeps Parmẽſis cùm Prouinciis, aut Statibus particularibus paciſceretur, aut tranſigeret, nec reuocare, nec impedire poſſe, neque deberet quod Principi Parmenſi gubernatio earundẽ Prouinciarum demandata, ac gladij poteſtas rebelles ſubditos obedientiæ Regiæ ſubiiciendos cõmiſſa, ac cõcredita ſit. Principi itaque Parmẽſi reali executione commiſſa, quã nec ipſe ab eo auocare poſſet, conſtare manifeſto, vt Ducem Parmenſem Regis ſubditos bonis medijs ad pacẽ & debitam obedientiã adducentẽ vllo modo impediat, ipſi nõ cõpetere, multo minus ſubditos pacis ac tranquillitatis cupidos, & in gratiã redire cũ ſuo domino cupiẽtes, non ſine magno eorum detrimento impedire, aut ab eo auocare.

Quod ſi vero Statuum Legati vniuerſarum Prouinciarũ, ac præcipue Artheſiæ nomine, in hoc conuentu agendi poteſtatem, & ideirco Mandatum, ac Commiſsionem habeant, eam vt exhibere non grauentur, & Ducem de Terra noua ad eorũ requiſitionem ſe debite reſponſurũ polliceri. Nec nos etiã capere, vel intelligere poſſe pacta, vel tranſactiones Ducis Parmẽſis in Artheſia, & Hannonia, & Cæſ. T. Ma. aut etiã ad noſtrę ęſtimationis, ſeu reputationis diminutionẽ pertinere: cum ad ſimilem, & eundem plane finem hæ pactiones dirigantur, cum & in leuibus controuerſijs, vt de re tam magni momenti, tãque periculoſe neglecta, nihil hic dicamus, nemo ad cõmunem vtilitatem paciſci, aut tranſigere recte impediatur: Proinde nos huius puncti, ſeu capitis quoque controuerſiam ad vtriuſque partis nobis propoſitam declarationem, in tempus cõmodius ſeponimus. Interim nos rei neceſsitate cõmotos ſilentio præterire non poſſe, atque Statuum Legatos diligenter admonere & adhortari, cum id ex præſentibus controuerſijs requiri neceſſario intelligãt, Mandatum legale, ac ſufficiens ſi-

bi vt procurent,ne principale negotium eorũ mora,vel protelatione impediatur, ac vt alia etiam inconuenientia præcaueri poſsint.

Ad ſuſpenſionem armorum quod attinet,nos Duci de Terra noua,Cæſ.T.Ma.de ea iudicium, ac voluntatem, ſimiliter & noſtrã cenſuram omnibus circunſtantijs ornatam, ac rationibus debitis confirmatam propoſuiſſe,non ſine ſpe, quod è re Prouinciarum futurũ exiſtimaremus,conſequendi. Ducem tamen etiamnum nihil certi reſpondiſſe: Sed negotium pacificationis adhuc vagum & incertum eſſe è quo ſe expedire vix poſſet, ſatis apertè inſinuaſſe. Cum autẽ propediem ad Pacificationis præcipua ac potiora capita ventum eſſet, & à Partibus media requiſita ſint,in eo iam progrediendum Dux exiſtimauit,& ad ea producenda Legatos Statuum teneri, quod ijs negotiũ magis perſpectum ſit,& ſciant,de quo conqueri debeant, & quid illis iniuriarum temerè,& ſine cauſa illatum ſit, quò occaſionem habeat Regis nomine de armorum ſuſpenſione,pro rei commoditate,prouidendi,ac diſponendi: proinde etiam nos exiſtimare,neque de eo dubitare,eoſque inſuper admonere,ne ſeſe,ac proprium ſuum, ſuorũque cõmodum remorentur: ſed bonũ initiũ rei ſtatuant: quod omnes circumſtantię,ac pręſentis controuerſię ſtatus cõditioque, nullis melius,quam ipſis innotuerit,de medijs æquis ad pacem & tranquillitatẽ ſpectantibus cogitent: vt cum fructu apud partem aduerſam tractatio Pacificationis inchoari, ac confici poſsit. Nos interim nullis laboribus ac moleſtiis parcere, ſed omnem diligentiam adhibere velle, & eò contendere, vt vtraque pars noſtram beneuolentiam,ac voluntatem ex ipſa pertractatione cognoſcat.

Reſponderunt Ordinum Legati ſe ea,quæ illis expoſita ſint, intellexiſſe,& ea petere,quæ à Duce de Terra noua nobis data fuere, ſi in ſcriptis ſint,ſibi communicari: Sin minus deliberationem ad reſpõdendum concedi.

Ad hæc mandato noſtro Statuũ Legatis reſpõſum eſt, Ducẽ quidem nobis in ſcriptis exhibuiſſe,ſed multo plura ad ea,de quibus cum ipſo ad partem egiſſemus,ſua oratione complexum eſſe,copiam ſcripti exhibiti non eſſe neceſſe ipſis communicari, quod eius tenoris ſatis informati ſint: proinde denuo ab ipſis poſtulare,vt matura deliberatione in negotio arduo,ac tam neceſſario publicæ tranquillitati,ſerio verſari velint,ac bona & ſalutaria media proferre: nos velle interim,priuſquam ea Regio Mandatario communicari debeant, noſtrã operam in ijs reuidendis,præponderandis,& corrigendis,haud ſegniter,ad eorum tamen vtilitatem, & emolumentum, accommodare ac in ijs,quæ ad æquam pacem conſequendam faciant,vt in nobis quidpiam deſideretur non eſſe admiſſuros: deliberandi tempus nos illis nõ denegare,ſed tamen ad diem Lunæ proximam media pacificationis ab ipſis præſtolari.

Die Lunæ xviij. Maij. ad Conuẽtum noſtrũ Statuum Legati com-

paruere,& per Doctorem Aggæum Albadam hæc ſine ſcripto propo ni nobis curarunt: Quæ proximè Illuſtriſsimo Duci Arſchotano, & reliquis Ordinum Legatis nomine Ducis Terræ nouæ expoſita fuiſſent,& quæ nobis exhortationis ergo, quod ad mandatum & media attinet, benigno affectu placuiſſet exponere, ad ea eiuſd. Illuſt. Ducis, qui propter morbum iam in perſona comparere non potuiſſet, conſenſu hanc breuem eſſe reſpoſionem. In primis, quo ad priuatas à Duce Parmenſe inſtitutas pacificationes, quemadmodum antea, ſic etiã nunc ſe noſtræ voluntati eã rem relinquere, qui cum per legatũ Sereniſsimi Archiducis Auſtriæ eius rei negotium proculdubio nũc cognouerimus, & cum nõ vltro oblata, ſed per Parmenſem quæſita eſſet illa tractatio, proculdubio intelligamus eam ipſam tractationem, ita vt ex aduerſo aſſereretur, non poſſe eſſe licitam, nolle autem eos iſti rei magnopere inſiſtere, ſed eam, vti antea quoque dictum eſſet, noſtræ voluntati relinquere. Quod ad mandatum attinet daturos, ſe operam, ne eius ratione, vel etiam quod nullæ in eo ſpecificatæ eſſent Prouinciæ, nullitas, aut vlla alia controuerſia oriatur. De inducijs vero ſæpe eos iam antea à ſacra T. Cæſ. Ma. adhortatos fuiſſe, ne in ijs cõſtituendis difficiles ſeſe præberent, & quod propterea noſtræ volũtati ſe ſubmiſerint, ſibiq; perſuaſum eſſe, æquales literas à T. Ma. ad Ducem Terræ nouę miſſas eſſe, nihilominus tamen ſe vniuerſum negotium tam induciarũ & belli, quam pacis Deo Optimo Maximo committere. Vltimo loco quod ad media ab ipſis proponenda pertineret, etſi cauſas habeant, quare illa à Regijs proficiſci, & ab ijs initium fieri deberet, tamen ad noſtram monitionem ſe ea exhibere, quæ ab Archiduce, & Statibus in Mandatis accepiſſent: in quibus ſi quid eſſet, quod declaratione opus haberet, ſeſe paratos ea declarare, & petere, nos cum Regijs agere velle, vt ſimiliter ab ijs fiat & præſtetur, neque, quemadmodum & antea quoque contigerit, ipſi diutius remorarentur: eſſe enim moram non ipſis tantum, ſed & nobis grauem, tempuſque illis in Mandato ſuo præſcriptum, & aſsignatum effluere, noſtro ſe arbitrio relinquere: à quo articulo tractationem incipere velimus. Articulos ſe tradere tam gallicè quam latinè, ita tamen, vt gallicos pro authenticis haberi velint. Iſti articuli habentur infra *num*. 17. & 18.

Hiſce acquieuimus, ac ijs reſponſum eſt, nos articulos eorum expectauiſſe ſummopere, eoſque in conſultationẽ ſine longiori mora aſſumere voluiſſe, quo in promouendo negotio principali à nobis nihil deſiderari poſsit.

Die xix. Maii noſtrorum Conſiliariorum quoſdam ad Statuum Deputatos ablegauimus, qui ipſis ſignificarent, nos die Sabbati proximè pręterita ab ipſis media quędã proponi, à quibus principalis pacificationis negotii bonũ initiũ conſtitui poſſet, poſtulauiſſe, ac eos inſuper diligenter admoneri mãdauiſse, vt eius generis media proferãt, tã

æqua

æqua ſcilicet, & placida, vt ad Pacificationem facere viderentur, & ab aduerſa parte ijs medijs deſiderata obtineri poſsint: nec tamen nos voluiſſe, omnes pacificationes, ac tranſactiones ſuperiores idcirco ſepoſitas, & ſublatas eſſe debere, ſed quòd priores tractationes partim interruptæ, partim in effectum nondum deductæ forent, media nos audire cupere, quibus defectus nobis explicarētur, & quibus medijs ea, quæ contra priora pacta & conuenta introducta eſſent, reſtitui ac reparari debeant; ſed econtrario nobis heri ante meridiem aliquot puncta in ſcriptis, loco mediorum exhibita fuiſſe, eaque nos legi curauiſſe, & tā acerbe ea ipſa diſpoſita reperiſſe, vt non media, ſed extrema exiſtimanda eſſent, quibus nihil, aut parum agi & obtineri ab aduerſarijs poſsit.

Proinde ad parcendum tempori, & cum fructu aliquo agendi, ac vt aduerſæ parti occaſio detur armorum ſuſpenſionem admittendi, nos permotos eſſe Deputatis Legatorū, omnes pactiones ſeu præteriti temporis cōuentiones in memoriā reuocare, & præcipuè Gandauenſem, ab initio inter ipſos Status proprio animi motu, & voluntate initā, & ſubſequēter Bruxellis concluſam & confirmatā, ac vtriq; parti quę placuerit: quā ſeruare firmiter promiſerint, ac inſuper iuramento conſtabiliuerint, à Rege etiā perpetuo edicto confirmatam & ratificatam: Quod Cæſ. T. Maieſtati, ac omnibus id nouum futurum, reique inconueniens exiſtimari poſsit, ſcilicet priora pacta, ac conuentiones omnes tollere, annullare, atque cancrorum more in hac tractatione retrocedere.

Cùm itaq; Cæſ. T. Maieſt. hæc ab ipſis minimè expectaſſet, nobiſque in Mandatis dediſſet, vltimā Bruxellenſem tractationē aſſumendam, & vtramq; partē ad eam audiendā, & quis defectus, quidq; contra eam tentatū, in illa vel non executū, aut in eam peccatū ſit, diligenter à partibus perdiſcendum eſſe, ac deinde omni diligentia laborandum, quò defectus illi ad æqualitatem, ac conuenientiam reduci, ac reſtaurari poſsint. Nos Cæſ. T. Maieſtatis mandato, quod & officij noſtri ratio requirit, nobis parendum eſſe certo conſtituiſſe, & ad noſtræ Commiſsionis tenorem in Pacificationis tractatione progrediendum eſſe: Itaque nos petere, vt eā via ipſis non diſpliceat, ad eam ſua conſilia accommodent, vt fructum hinc ſperare, & partis aduerſæ aſſenſum non difficulter obtinere queant. Quod Cæſa. Tuæ Maieſtati gratiſsimum, ipſis verò, ſuiſque principalibus honori & gloriæ, ad extremum Reipub. vtiliſsimum futurum exiſtimemus.

Ad hæc Statuū Legati noſtris Cōſiliariis reſpōderūt: Se ex iis, quæ propoſita ſint, facilè intelligere, cōmunicata media nobis duriora videri, ac proinde ad formā Bruxellē. trāſactionis, vel etiā pacificationis Gandauen. procedendū: verùm negotia inferioris Germanię in lōge alio ſtatu, quā per id tēpus fuiſſēt, modo cōſiſtere: & ab eo tēpore, quo

Ioannes Auſtriacus fœdus Pacificationis interrupiſſet eo perturbationis omnia redacta eſſe, vt alijs medijs iam vtendum ſit, & præcipuè religionis cauſa, quæ aliam ordinationem iam requirat: & proinde ſe petere, nos ab ijs exhibitos articulos velle recipere, & ordine ad ſingulos eorum noſtram cenſuram adhibere, eamq; ſcripto communicare iis vt velimus: commemorabāt præterea Cæſ. T. Maieſt. armorū ſuſpenſionem ab ipſis requiſiuiſſe, & in ea re ſe obſequētes fore, ab aduerſa parte iſtius ſuſpenſionis non exigua cum ſpes facta ſit, ſeſe petere, vt apud Ducem de Terra noua eam promouere velint.

Die xx. Maii rurſum conuenimus, ac negotii Deputatis cōmiſſi relatione facta, cōcilioque inito, Statuū Legatos euocauimus, & repetita admonitione præcedenti, iis ſignificari mādauimus, ſcilicet: Nos heſterna die eorū replicā, ſimiliter & articulos in conſultationē admiſiſſe, ac ſumma diligentia examinauiſſe, & eos tales comperiſſe, vt ſuper iis agendo omnem operam nos perdituros exiſtimemus. Extremis enim talibus ab aduerſa parte nihil nos obtineri poſſe certo ſcire; & cùm aliud nihil quæramus, ad temporis iacturam euitandā, quam celebre aliquod, ac laudabile initium negotii principalis ab ipſis fieri, nos ab ipſis eò ardentius petere, vt lenioribus mediis ſuperiorum conuentionum inſiſtant, eaque nobis proponant. Ad ſuſpenſionem verò armorum quod attinet, nullam nobis ex articulis oblatis occaſionem apparere, cuius prætextu à Duce de Terra noua eam petere, aut obtinere nos poſſe, ſperare conueniat; quod ſi mediis ab ipſis propoſitis inſiſtere volent, nos, ad omnem dilationem, & temporis iacturam vlteriorem euitandā, ad Mandati, ac Cæſ. T. Maieſt. inſtructionis tenorem in hoc negotio procedere conſtituiſſe.

Hanc præſentem declarationem Statuum Legati in deliberationem ſumendam eſſe exiſtimauerunt, & die ſequenti xxi. Maii in conuentum noſtrum comparuerunt, & quæ ab ipſis propoſita ſunt ad noſtram inſtantiam in ſcriptis exhibuerunt, vt inferius *numero* 19.

Die xxii. Maii ſuper exhibitis articulis à nobis conſultatum, & ex ordine ſinguli ſumma diligentia examinati, cum præcedentibus tractationibus collati ſunt.

Die xxiii. Maii Legatis Statuum ob cauſas nos mouentes, & quorundam articulorum gratia, qui nobis nimis generales, & obſcuri viderētur, inter cætera hæc proponi iuſſimus. Articulos ſcilicet ab ipſis in ſpecie inſcriptos eſſe duros, & informes, ac ita diſpoſitos, vt minus cōmodè Regis Mandatario proponi, ac exhiberi poſſint; ad alios verò articulos, & in cōmuni propoſitos quod attineret, vt à propria à Statibus inter ſeſe inita, ac recepta, & iuramento ſacra, pacificatione Gandauenſi, ac Bruxellis conſummata recedere nolint, ſeque illi in hac tractatione conformes exhibeant: Quod ſi fieret, nos ſperare ab aduerſa parte obtineri poſſe, eorum declarationi vt acquieſcat: Nec

nos

XV.

nos dubitare eos negotium ita directuros, vt cum Regis Mandatario
agi poſsit, ac in eo noſtram illis operam non defuturam.

Die xxv. Maii rurſus comparuerunt Statuum Legati ac ad noſtrã
inſtantiam & requiſitionem, articulis in aliquibus mutatis, eos in no-
ſtro conuentu legi fecerunt, & poſtmodum nobis exhibuerunt, *num.*
20. Conſilio vero habito correctos hos Articulos per Conſiliarios
noſtros deputatos Duci de Terra noua tranſmiſimus; qui propter
multitudinẽ articulorũ, &, quòd ad caput cauſę pertinerent, conſul-
tatione & communicatione cum adiunctis ſibi Conſiliariis opus eſſe
reſpondit: tamẽ longiori mora excluſa breui ſeſe expediturũ eſſe pol-
licetur, quam in diẽ vſq; Iunii 3. ſolũ diſtulit. Qua die in conuentũ no-
ſtrum conſtitutus de articulorũ à Statuum Legatis exhibitorũ iniqui-
tate, & ſumma Regis manſuetudine & lenitate, oratione ſua, ipſe lo-
quens, multa & varia complexus eſt, & inſuper ſuam reſolutionẽ, ac
ſimiliter articulos in ſcriptis Latinè & Gallicè exhibuit, *num.* 21. & 22.
Ad hæc reſpõdimus, nos ea, quæ verbis propoſita, & in ſcriptis exhibi-
ta eſſent, in deliberationẽ aſſumere, & pro rei rationẽ oĩa acturos eſſe.

Die iv. Iunii ſuperius exhibita reſolutio deſcripta eſt, & v. Iunii
in conſultationem adhibita.

Eodem die Deputati è conſilio noſtro ad Regis Mandatariũ ab-
legati ſunt, vt eum de rebus neceſſarijs informarent, nobisq; reſpon-
ſum referrent, &, quod nobis non incõueniens tum fore exiſtimaba-
mus, Archiducis Matthiæ, Principis Auraici, & aliorum quorundam
punctorũ, articulis comprehenſorũ cauſa, cum eo agãt ac conferant:
quod & ab ijs factũ eſt. In negotio Pacificationis pertractãdo, ſponſio-
nis quod incidiſſet mentio in tempus conueniens eius tractationem
nos differre ſignificauimus.

Die vi. vii. & viii. Iunij eiuſdẽ rei tractatio cũ ipſo Duce, & in no-
ſtra præſentia ſeu conſeſſu cum ipſius Ducis Conſiliarijs agitata eſt.

Die ix. Iunii noſtrorũ Conſiliariorũ aliqui ad Statuũ Legatos de-
putati ſunt, qui Ducis de Terra noua reſolutionẽ & Articulos ipſis
cõmunicarent ac exhiberent; moræ & dilationis cauſa reddita, vlte-
rius cõmemorarunt: Reſolutionẽ illis exhibitã, & articulos pro rerũ
præteritarũ acerbitate, & ſtatu pręſenti valdè placidos & lenes eſſe, at-
que ita diſpoſitos, vt ſi pax illis cordi ſit, illaq; afficerẽtur, cum fructu
apud partem aduerſam agi poſſe, aliis etiã admonitionibus adhibitis.
Præterea & eius admoniti, nobis vtile videri Principẽ Auraicum in
hac tractatione non præteriri, eiusq; hic quoq; rationẽ habendã; pro-
inde nos ab iis petere, an ipſi, an alii hic exiſtant; qui à Principe Aurai-
co Mandatum, vel Commiſsionem habeant, ſin minus, num media
nobis exhibere queant, ſuper quibus Principis nomine cõmodè agi
ac tractari poſsit? Nos omnem operam apud Regis Mandatariũ adhi-
bituros, quæ par ſit vt obtineamus, quò in nobis, quod ad Reipub. v-
tilitatem, ac tranquillitatem faciat, nihil deſiderari poſsit; ad ſponſio-

nem quod attineret, eius tractationem nos in aliud tempus referre: Prętereainſtantius ab iis requiſitũ eſt, ſufficientis Mandati procurationem ne negligant, & temporis prorogationẽ apud ſuos principales ſingulariter requirãt. Hæc omnia, quæ Legatis partim verbis, partim ſcriptis à noſtris propoſita fuere, in deliberationem vocarunt.

Et xi. Iunij, quæ Statuum Legati verbis primum propoſuiſſent, poſtmodum duobus diuerſis ſcriptis nobis exhibuerũt. *num.*23.& 24.

Die ſequenti xii. Iunii Statuũ Legati ſcriptũ particulare ad Cancellariam Treuerenſem exhiberi curarunt. *num.*25.

Die decimatertia Iunii Duci de Terra noua tria diuerſa ſcripta, nobis à Statuum Legatis exhibita, communicauimus, cum ea admonitione, ac declaratione, quòd ſi partes via tentata concordari nequeant, nobis prò tenore inſtructionis noſtræ Gandauenſem ac Bruxellenſem pacificationem aſſumendam eſſe, & ad eius formam procedere nos conſtituiſſe. Præterea à Cæſ. T. Maieſt. Mandatum induciarum cauſà alterum nobis miſſum, Duci de Terra noua nos explicauiſſe, & quid eum ad ſuſpenſionem armorum commouere poſſe exiſtimaremus, copioſè explicauiſſe. Ad Traiectenſis vrbis occupationem quod attineret, quòd Statuum exercitus eam eſſet ab obſidione indies liberaturus, non eſſe quòd armorum ſuſpenſionem differat, aut deneget, de quibus deliberandum cẽſuit, breui ſe reſponſurum promiſit.

Poſtmodum xvi. Iunij in noſtro cõſeſſu in propria perſona Italica lingua ſequentia propoſuit.

Quod ex partis aduerſæ exhibita ſcriptura, quam ipſi xiii. huius menſis communicauiſſemus, liquido conſtaret eam à Statuum Legatis ad modum conſilij ſolum, ſine tamen partium præiudicio & Mandato ſeu Commiſsione Statuum generalium, & ad illum ſolum effectum exhibitam eſſe, vt ſuos nuper à ſe propoſitos articulos magis contraheret; propius rei præſenti eos accommodans ac applicans; ſe autem exiſtimare ad illorum requiſitionẽ alio nullo reſponſo ſibi opus eſſe, quàm quod ſuprà dediſſet, videlicet friuolum eſſe, ac nullius frugis cũ ijs prolixius diſceptare; Seſe nomine Regiæ Dignitatis, vt cũ Regis ſubditis liberaliter ſe in medijs proponẽdis exhibuiſſe, & ea omnia admiſiſſe, quę ab ijs peti potuerint, & ad tractationẽ Pacificationis promouendam deſiderari poſsint, nihilque interim ſeſe, vt eorum omnium vberiorem inſtructionem ex ſcripto, quod Latino & Gallico idiomate duplicatum exhiberet, nos percepturos ſperaret intermiſiſſe. *num.*26.& 27.

Secundo, quod Statuum Legati & ſcripturam in forma contradictionis contra ſuos præſentatos articulos, & deinde tertiam aliquã iuſtificationem articulorum ſuorum nomine exhibuiſſent, ea ſcripta omnia ſe ſumma diligentia perlegiſſe, examinaſſe, ac ponderaſſe, huiusque diſputationis ac ſcriptionis à partibus hinc inde propoſitis ſeſe ex-

ſe exiſtimare exiguum fructū fore:ne autem aduerſæ partis prætenſę iuſtificationis aliquod robur aut firmitatem eſſe quis exiſtimet, velle ſe ſimiliter iuſtificationem aliquam, ſummariè tamen, ad maiorem Cæſ.T.Maieſt.ac noſtram quoque informationem, quò Regis benignitas & clementia melius deprehendatur, concipere, ac nobis poſtmodum exhibere: ſe petere tamen, ad prolixas diſputationes euitandas, ne Statuum Legatis ea communicent.

Tertio, quod ad toties requiſitam armorum ſuſpenſionem attineret, ſe nuper cauſam commemorauiſſe, cur Regi pro præſenti rerū ſtatu inconſultum, difficile, & non ſine metu magni hinc orituri mali videri debeat, eam concedere, & adhuc illam eſſe eius mentem, & pro hac vice hæc ſufficere. Quod verò non ita diu à Cæſ.T.Maieſt. literas recepiſſet ad armorum ſuſpenſionem concedendam, nos etiam haud dubiè magna contentione ad eorum vehementiorem inſtantiam ab eo illud petiuerimus, ſibi certo perſuaſum eſſe, partis aduerſæ capitula, primum & ſecundum ſcilicet; & quicquid ab iis interea temporis propoſitum ac actum ſit, nullo pacto ſeſe ad pacem conſtituendam referre. Præterea ſibi de Mandato Legatorum Statuū etiamnum nihil conſtare, & ſe proinde dubitare, num ad hanc tractationem cum fructu peragendam qualificati ſint, & Mandatum ac Commiſsionem ſufficientem habeant: Regem Hiſpaniarum exercitum inſtructum habere in armis & caſtris, ac obſidionem vrbis Traiectenſis non ſine grauibus expenſis huc vſque continuatam: proinde Regi difficile fore, cum & infallibilibus indicijs certo conſtet vrbē Traiectenſem eum breui occupaturum eſſe, obſidionem ſoluere ſpe incertæ pacis, quo medio tempore Traiectenſes ſuos defectus reſarciant, & Status in ſuo propoſito pertinaci confirmentur, & poſtmodum eadem ipſa ciuitas Traiectenſis tanto difficilius à Rege occupanda, & altera vice obſidenda foret Regi hac commoditate præſenti adempta, ac rebellibus ſubditis in manum data, poſſe quidem partē aduerſam de ſuccurſu, & præſidio Traiectenſibus ferendo gloriari, temerè tamen, cùm exploratum ſit, & certo conſtet eos nullum habere exercitum, & proinde obſidionem auertere, ac eam obſidione liberare non poſſe. Præterea Regem Hiſpaniarum ſuorum ſubditorum interitum, ac perditionem nulla ratione petere, nec, quod iniquū ſit, ab ijs extorquere velle, aut cupere: ſed ſolū Dei Omnipotentis honorē promouere, antiquā Religionem Catholicam, ſuamq; reputationē ac authoritatem defendere, & tueri; quod reliquū ſit, ſe Cæſ.T.Maieſt.ac noſtræ fidei integritati ac prudentiæ totū committere. Præterea cogitare nos debere, num Regi certam pacis conditionem facere poſſimus, tū nos quod petamus à Rege ſine difficultate obtenturos: quod ſi id præſtare non poſsimus, ſe exiſtimare, nos nec Regem petitione ſuſpenſionis armorum in periculum, ac maiorem calamitatem præcipitare velle. Scire enim ſe nos Dei honorem, ac Religionem Ca-

tholicam defenſam velle, æquitatis & iuſtitiæ amantes eſſe; Velle itaque id ſe conſcientijs noſtris committere, & à nobis audire cupere, quid nos hac in re faciendũ eſſe exiſtimemus. De ijs, quę ab ipſo propoſita, nobis deliberandum eſſe reſpondimus.

Die xvij. Iunij rurſum conuenimus, ac de iis, quæ à Duce de Terra noua oratione, ac ſcripto nobis explicata erant, cõſultauimus, & iis examinatis, eodem die quoſdam è cõſiliariis noſtris ad Statuum Legatos deputauimus, qui ipſis à Duce de Terra noua ſcriptum nobis exhibitum communicarẽt, & pariter à Duce ſupra propoſitam declarationem referrent ratione ſcilicet induciarum, aut ſuſpenſionis, armorum gratia apud Ducem de Terra noua hoc tempore ex variis, & rationabilibus cauſis ipſum permouentibus & ab ipſo in conſeſſu, noſtro allatis nihil obtineri potuiſſe; Velle itaque nos eos admonere ad pacem vt propius accedant, ac melius ſe, quam hactenus ab iis præſtitum ſit, declarent: quo occaſionem commodiorem nanciſci poſſimus de armorum ſuſpenſione apud Ducem de Terra noua vlterius inſtandi. Præterea debere mandati ac commiſsionis defectus & prorogationis potiſsimum obtinendæ cauſa, apud ſuos principales, ad omne periculum ac inconuenientia alia euitanda, acrius inſtare ac ſine intermiſsione vrgere,

Ad hæc Statuum Legati poſt breuem conſultationem in hunc modum reſpondentiſe laboris ac moleſtiarum nomine, quas in hanc rem impendamus, nobis inprimis gratias agere, nec habere eos mandatum aliud quippiam agendi vel conſentiendi, quam in illorum nuper exhibitis articulis contineretur, expectauiſſe ſe à Duce de Terra noua benignius ac clementius reſponſum pacificationis negotio conficiendi magis conueniens, quo hanc rem commodius ad negotii finem meliorem conſequendum ad Status ſuos principales referre poſsint, quos hac reſponſione deterrendos, & à negotio pacificationis auertendos eſſe cognoſcerent. Et quamuis ab ea reſponſione nullam ſpem pacis conciperent, velle tamen ad noſtram petitionem hæc ſuis Principalibus ſignificare, eorumque reſolutionem expectare. Quod vero ad Mandati correctionem, & prorogationem temporis attineret, nos ſatis ex Statuum, eorum principalium ſcilicet, literis, quas nuper nobis legendas exhibuiſſent colligere, eos negare vlteriorem prorogationem dare ſe poſſe. Quod ſi ob meliorem Succeſſum proſper aliquis, ac ſalutaris exitus huius tractationis expectari poſsit, ſeſe ſperare, quod ab illis conceſſum, & approbatum foret, etiam à Statibus Generalibus haud difficulter, vt approbaretur, vel ratificaretur, obtineri poſſe.

Decima nona Iunii Statuum Legati verbis, & ſcripto egerunt, quod etiam ab illis exhibitum eſt, vt *num.* 28. Præterea aliud, ſiue ſecundum ſuum Mandatum ſeu Commiſsionem, in quo vacuum

ali-

aliquod ſpacium chartæ, in eadem ſcilicet recta linea, ſeu ordine, quo conſtituentes Prouinciæ nominabantur, relictum eſſe animaduerſum eſt, *num.* 29.

Eodem die poſt meridiem Regis Mandatarium, Ducem de Terranoua ad nos vocari curauimus, ac illi Legatorum Statuum exhibita communicauimus, ſuſpenſionis armorum ac induciarum cauſa diligentiſsimè cum eo egimus, ac noſtræ petitionis rationes plurimas ipſi copioſiſsimè explicauimus.

Dux de Terra noua deliberandi tempus petijt: ad armorum ſuſpenſionis petitionem, quæ ſuprà ſæpius commemorata ſunt, maggna ex parte repetijt, & ita concluſit.

Quòd verò Dux de Terra noua nuper iuſtificationem aliquam articulorum ſuorum nobis exhibere conſtituiſſet, eam 22. Iunij tradidit, vt eſt *num.* 30.

Cùm itaque ex tractatione negotij facilè colligeremus, partes hinc inde à ſe multū remotas eſſe, & difficulter admodum concordari poſſe, proprio noſtro motu, & nomine de medijs, quæ vtriq; parti ad negotij feliciorem ſucceſſum communicare poſſemus, cogitauimus. Proinde omnes præcedētes conuentiones, tranſactiones, receſſus, ſcripta, & quæ ad hanc rem pertinere, ac vtilia eſſe putaremus, ea etiam, quæ in Conuentu noſtro de hoc pacificationis negotio agitata eſſent, omnia examinauimus, ac excuſsimus, & ex ordine inter ſe contulimus, eius ſententiæ & propoſiti, pro rei ratione ac neceſsitate, alia quædam media hinc educendi, formandi, ac partibus communicandi, & tentandi, num in hoc negotio, exceptis alijs quibuſdam incidentiis à nobis executis, cum fructu procedi poſsit. Atq; in eo aliquot dies conſumpſimus.

Quemadmodum etiam eo ipſo tempore, cum negotiū commemoratum auſpicati eſſemus, nobis nunciatum eſt, Ciuitatem Traiectenſem à Regio exercitu vehementer angi, & in extremo diſcrimine verſari, Portam vnam, mœniorum partem, ac turrium ſimiliter, præterea locum aliquem vicinum portæ in poteſtate Regii militis eſſe: proinde eos & nihil aliud, quàm direptionem & extremam calamitatem indies manere. Præterea à Statuum Legatis ex parte perceptum eſſe, noſtram interceſsionem, & tractationem inter Regis Capitaneos, ſeu belli Duces, & Ciuitatem Traiectenſem minimè illis diſplicituram.

Die viceſimatertia Iunij conuenimus, inter nos conſultauimus, ac concluſimus; quòd cùm Ciuitas Traiectenſis in extremo, ac ineuitabili periculo conſtituta eſſet, ac Cæſ. tuæ Maieſtati, Sacroque Romano Imperio, maximè verò dilecti amici noſtri, reuerendiſsimi ac clementiſsimi Domini Cardinalis, & Epiſcopi Leodienſis, intereſſet, & præcipuè ex ea conſideratione, quòd hæc ſine dira ſanguinis effuſione, proterua direptione, & miſerrima Ciuitatis penè to-

tius euerſione futura non eſſent, æquum eſſe miſerabilis nos eius Ciuitatis nomine, Chriſtiana commiſeratione commoueri: eoque magis, quòd conſtet multos homines bonos, honeſtos, Eccleſiaſticos itidem & laicos, nobiles & ignobiles, viduas, virgines, ac pueros infinitos in ea eſſe, qui huius rei & excitæ calamitatis nullam culpam dediſſent, nec vllo modo, vel verbo, vel facto contra Magiſtratum peccauiſſent.

Et hac conſilij noſtri cauſa Ducem de Terra noua conueniendum, ac requirendum eſſe exiſtimauimus, illique omnibus circunſtantijs, ad commiſerationem maiorem facientibus, conquiſitis, hanc calamitatem exaggerandam, ac noſtrum conſilium illi proponendum eſſe, ac cum eo agendum, Regis Hiſpaniarum nomine, noſtro conſilio vt acquieſcere, illudque apud Ducem Parmenſem nobiſcum agere velit: quo Ciuitas Traiectenſis medijs tractabilibus ab hoc extremo periculo liberata, ſine iactura honoris, corporis, ac bonorum, in gratiam Regiam recipiatur, ac Ciuitatem egredi cupientibus, certus abitus, ac tutus diſceſſus concedatur, iure ſuo ſaluo ſeruato, Sacro Romano Imperio, ac Leodienſi Epiſcopo: cum ea ſignificatione, nos eſſe eius tractationis negotium libenter ſuſcepturos, & hoc ipſo momento, quàm celerrimè fieri poſſet, aliquos ex noſtris Conſiliarijs, eius rei cauſa, ad caſtra, & ciuitatem ablegare paratos eſſe.

Statim ac ſine mora noſtri Deputati Ducem de Terra noua conueniunt, ei hæc proponunt: (qui ad noſtram hanc petitionem ſeſe protinus offert) & ad horam conſtitutam ſe paratum ad nos venire renunciat, quò ſuam ſententiam in propria perſona nobis explicet. Ac illi ad diem ſequentem, & locum Conuentus noſtri, horam circiter ſeptimam, ſe ad nos vt conferret, renunciatum eſt.

Die ſequenti mane, quæ ſancti Ioannis Baptiſtæ erat, hora ſcilicet ſeptima, Dux de Terra noua in conſeſſu noſtro conſtitutus, nobis perſonaliter reſpondet: Se intellexiſſe, quæ ipſi heri veſperi per Conſiliarios noſtros, ad eam rem deputatos, de deditione oppidi Traiectenſis, aut tractatione cum ipſis deditionis gratia tentanda, propoſita fuerint.

Primo omnium ſe nobis maximas habere gratias pro ea in Deum pietate, in Regem Catholicum beneuolentia, & ciues Traiectenſes commiſeratione: Sibi itaque non diſplicere, aliquem ex ſuis, cum Deputatis noſtris, ad Principem Parmenſem mitti, vt cum eo & Traiectenſibus, de tollerabilibus & æquis conditionibus tractetur: quod proculdubiò Princeps Parmenſis non ſit recuſaturus. Poſtmodum Ciuitate Traiectenſi in poteſtate Regis conſtituta, de ſuſpenſione armorum melius tractari poſſe: quo caſu iuſtis conditionibus ſeſe noſtræ voluntati libenter accommodare velle.

Nos

Nos vice verſa de ſua humanitate & beneuolentia gratias illi egimus, & reſpondimus: Cum ipſi à Sereniſsimo Rege Catholico larga, & pleniſsima poteſtas in hoc pacificationis negotio conceſſa ſit, nobis fore gratiſsimum, ſi huiuſmodi medijs loco Regis contentus eſſe vellet, nempe vt Ciuitas in poteſtatem Regis veniat, ſaluis honoribus, vita, & bonis eorum, qui intra muros reperirentur: ijs etiam, qui ibi manere nollent, ſine iniuria libera abeundi concederetur facultas: & hæc omnia ſine præiudicio Imperij, & Epiſcopatus Leodienſis, & aliorum omnium, quorum eius rei interſit, iure ſuo cuique ſaluo ſeruato. Et vt poſtea tractatio induciarum conſtituendarum ſuſcipiatur, nos non ambigere, quin Princeps Parmenſis ſuæ voluntatis arbitrium ſit ſecuturus.

Ad hæc Regius Mandatarius reſpondet: diſtinguendum eſſe inter cauſam deditionis, & induciarum. Primum punctum non in ſua, ſed in Principis Parmenſis poteſtate eſſe, vtpote cui exercitus, & bellum commiſſum ſit: ſe tamen velle ſuos mittere, illi ſcribere, & quibus poſſet rationibus perſuadere, quò æquis conditionibus Traiectenſes Regi Catholico reconciliari poſsint. De ſecundo puncto induciarum ſibi in euentum non ingratum fore tractationem iniri, ſeque iuſta media earum conſtituendarum non recuſaturum.

Et quod in hoc negotio mora periculoſa & irreparabilis exiſtimaretur, eodem momento, ante meridiē ſcilicet, Statuum Legatos requiſiuimus, ijsq́; proponi iuſsimus: Se ſcire aliquoties de ſuſpēſione armorum, ſine fructu tamen, agitatum eſſe, & illam ſumma diligentia iam ſæpius à Duce de Terra noua à nobis requiſitam: eam autem denegatam, haud dubie quòd Regis Mandatarius ſibi perſuaderet, ante omnia ipſis conuenire, ad rem tanti momenti ſeſe qualificare, ac Mandatum ſufficiens, & ab omni defectu alienum exhibere. Et quamuis die decimanona huius menſis, aliud, ſeu ſecundum Mandatum ab ipſis productum ſit, nos tamen illud Duci de Terra noua communicare, ad euitandas diſceptationes, noluiſſe: ex cauſa, quòd in eo particulares defectus, & illi quidem ſubſtantiales, deprehendantur: quòd ſcilicet conditionatum ſit, & ad inſtructionem, quę nobis nondum exhibita ſit, ſeſe referat. Et nos idcirco ab ipſis ſæpius requiſitam armorum ſuſpenſionem minus confidenter petere potuiſſe; cur autem eos iam requiſiuerimus, ipſis explicandum.

Nobis ſignificatum eſſe, Regis Hiſpaniarum exercitum Ciuitatis Traiectenſis Portam vnam, ac partem mœniorum, turriumq́ue, locum ſimiliter aliquem prope Portam intra Ciuitatem occupare: eamq́ue idcirco in extremo periculo verſari. Nec nos poſt diligentem inquiſitionem intelligere, ab obſidione liberationem aliquam expectari poſſe. Et quamuis huc vſque, variarum ſuſpitionum cauſa, huic rei nos noluerimus immiſcere: tamen quod iam ad extremum periculum Ciuitas Traiectenſis deuenerit,

& ſe tueri longius non poſsit, nos Chriſtiana commiſeratione ac bona intentione, & optimo zelo permotos, eius ſorte conſiderata, quod in poteſtatem Regis neceſſario redigenda ſit, vt de bonis & tractabilibus medijs cum illa agatur, ac ſanguinis effuſio, horrenda diripiendæ, & inuadendæ Ciuitatis calamitas, multorum denique interitus auertatur, ac præcaueatur, atque ipſis ciuibus æſtimationis, honoris, corporis, & bonorum omnium gratia fiat, vehementer exoptare. Et eo fine nos Ducem de Terra noua hoc mane requiſiuiſſe, vt ſuam ſententiam nobis hac de re explicaret, & nos eum ad omnem clementiam, manſuetudinem, lenitatem, vehementer affectum eſſe deprehendiſſe: ſperare etiam nos, idque è ſignis non leuibus, negotio cum Traiectenſibus confecto, ſuſpenſionem armorum bonis conditionibus à Regijs obtineri poſſe. Eſſe itaque nos paratos, negotium ac tranſactionem apud Principem Parmenſem, idque Ducis de Terra noua præſidio, qui ſe ad hoc obtuliſſet, tentare, & eius interuentione aggredi: ante omnia tamen, cùm ijs de hoc negotio nos conferre voluiſſe. Nobis etiam ſignificatum eſſe Artheſios cum Regijs conueniſſe ac tranſegiſſe, quòd ſi ijs de hac re quicquam conſtet, nos petere, vt id nobis ſignificare velint.

Ad quæ Statuum Deputati reſpondent: Maximas ſe nobis agere gratias pro noſtra beneuolentia & fauore erga eos, & Ciuitatem Traiectenſem, ſimul etiam de labore impenſo cum Duce de Terra noua: & quia quæ præpoſita, magni momenti, nec omnino benè ab iis intellecta ſint, cuperent hæc ipſa in ſcriptis communicari, quo melius & rectius ad ea reſpondere poſsint: quod re deliberata quàm citiſsimè ſe facturos promittunt. Quod ad Artheſianos pertinet, ſe præteritis diebus literas accepiſſe, quibus ipſis renunciatum ſit, totum cum iis initum tractatum factum eſſe irritum; ex cauſa, quòd Hiſpani Belgio excedere nolint, & plus per Principem Parmenſem promiſſum fuerit, quàm præſtare poſsit.

Repetitis poſtea iis, quæ antea de Traiecto illis propoſita fuerant, ſine ſcripto dimiſsi ſunt.

Sequenti die xxv. Iunii, quidam ex Deputatis Ordinum ad Conſiliarios noſtros in loco conſueto præſentes redeunt, & iis, quemadmodum ſequitur, reſponderunt.

Primo ſe agere nobis gratias pro commiſeratione, quam haberemus cum Ciuitate Traiectenſi, ſed, dum omnia benè conſiderent, eos inuenire, media propoſita ipſorum ſaluti hoc tempore non multum poſſe prodeſſe: nam eos intelligere, eodem die oppugnationem inſtitui, quæ ſit per aliquot dies duratura. Quod ſi eam expugnari contingat, hanc de mediis tractationem ſerò nimis ſuſceptam videri; ſi verò non expugnetur, eos non videre, quid hæc tractatio prodeſſe poſsit, niſi ad infirmandos, & labefactandos

dos animos ciuium. Secundo, media illa omni fructu curatura, niſi prius iuſtituantur induciæ; nam liberata hac ciuitate, militem Regium in alias infirmiores irruptiones facturum, quarum commiſeratione haud dubiè nos non minus quàm huius affici putant.

Deinde vix æquum arbitrari eos, vt hæc ciuitas quicquam agat ſeorſim à Statibus, & ſine eorum conſenſu, ſeſe etiam ſperare nos non priuatim vel ſeparatim cum aliqua ciuitate, ſed publicè cum omnibus Ordinibus, aut eorum Legatis acturos: Ergo in hac re aliquandiu quieſcendum eſſe, ſaltem donec reſponſum ab Ordinibus ſuper hoc tractatu ſuſcipiendo habuerint. Cùm igitur intelligeremus nos à Statuum Deputatis malè affectæ tractationis non obſcurè inſimulari, & ſynceriſsimos noſtros conatus, non in meliorem partem acceptari, à propoſito noſtro, quamuis bono, deſiſtendum, eoſque fortunæ ſuæ committendos eſſe duximus. Sic factum eſt, quòd poſt triduum in die Sanctiſsimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ fuit viceſimanona menſis Iunij, ipſa Ciuitas Traiectenſis à militibus Regijs abſque magna difficultate occupata fuerit.

Et quamuis nos Statuum Legatos, vt ſeſe velint qualificare, & prorogationem Commiſsionis ſuæ requirere, ſolliciti ſint, ſæpè multumque monuiſſemus, quo omnis nullitas euitaretur, ac alteri parti ſuſpenſionis armorum denegandi omnis adimeretur occaſio, ex abundanti generales Status noſtris ſcriptis literis requiſiuimus, ſub Dato 26. Iunij, vt *num.* 31.

Die vero viceſimaſeptima Iunij turſus conuenimus, ac partium hinc inde requiſita diligenter examinauimus, & poſtquam eorum quædam, vtriuſque partis declarationem requirere inueniſſemus, die ſequenti viceſima octaua, noſtros Deputatos ad Ducem de Terra noua ablegauimus: Et triceſima Iunij mane ante meridiem ad Statuum Legatos, ſimiliter commemoratæ declarationis cauſa, eoſdem mandauimus.

Rurſus Statuum Legati ſuſpenſionis armorum meminere, cum repetitione eorum, quæ eius cauſa hactenus incidiſſent, ac præterea commemorarunt obſidionem Ciuitatis Traiectenſis eam hactenus remorari & impedire.

Dicebant præterea, Statuum ſcilicet Deputati, ſe vehementer cupere, vt illlis exhibeantur articuli mitiores, & paulo diligentius de inducijs agatur; eos planè exiſtimare, Ducem de Terra noua expectare expugnationem Ciuitatis Traiectenſis, antequam ſe liberalius declaret: fruſtra eum hac ſpe teneri, eò quòd expugnatio Traiectenſis Ciuitatis ſubditos, & Ordines multo acerbiores, quàm antea, ſit reditura.

Præterea monent, quòd Mandatum eorum expirauerit, & tempus

pus in eo conſtitutum effluxerit: quapropter ſe rogare, quo media, de quibus illis ſpes facta fuerit, quamprimum tradantur, quæ ſtatim ad Ordines tranſmiſſuri ſint; Ducem Arſchotanum velle adhuc ad quatriduum,& non diutius, expectare.

Et cùm nos poſt diligentem examinationem omnium circunſtantiarum nihil aliud inuenire poſſemus, quam ſecundum rei præſentis ſtatum Regis Commiſſarij ſeu Mandatarij Articulos æquitati ac iuſtitiæ quam maximè conformes eſſe: Nos eos prima Iulij in manus ſumpſimus, &, ad ſecundam, tertiamque diem eorum examinationem continuando, in ijs quædam correximus, quædam mutauimus, quædam leniuimus, & in ſumma, ad nouam quaſi formam, vt paulo poſt ſequetur, eos reduximus.

Die iij. Iulij Statuum Legati ſcriptum aliquod exhibuerunt, quò apertè declararunt: Status in deliberatione ſeu conſultatione verſari, Regi Hiſpaniarum, naturali ſuo Domino, vt obedientiæ repudium renuncient, & Regis Galliarum fratri, cum Regina Angliæ iam ſponſalitia tractanti, ſeſe vt ſubmittant, eumq; pro Domino ac Defenſore arripiant: ſi tractabilia media hic obtinere nequeant, vt *num.* 32. & in eo exhibito ſeſe referunt ad vnius ex eorum principalibus, item ad Ducis Alenzonij literas, quorum copiæ *num.* 33. & 34. reperiuntur.

Die vi. vii. & viii. Iulij in inchoata conſultatione progreſsi ſumus; interea tamen nobis à Duce de Terra noua ſignificatum eſt, ad ſe rumore perlatum, Mandatum nouum nobis exhibitū à Statuum Legatis eſſe, ac, eius cognitio cùm ſibi neceſſaria ſit, iſtius exhibiti Mandati ſe copiam petere: quod cùm viii. Iulij parti aduerſæ propoſitum fuiſſet, reciprocè Mandatorum copia hinc inde communicata eſt.

Sequenti die à nobis comprehenſos Articulos relegimus, & duos illos articulos Religionem concernentes, quod à Regia Dignitate etiam exhibiti fuiſſent, ab alijs ſeparauimus, & ſubſequenter x. die Iulij Statuum Legatis in præſentia noſtra conſtitutis, variis admonitionibus præmiſsis, eos exhibuimus, *num.* 35. qui eos ad examinandum, & reſpondendum haud difficulter acceptarunt.

Die xii. Iulii, ad locum conſuetum in Conuentum noſtrū rurſus comparuerunt Statuum Legati, & varias difficultates, ac grauamina multa contra exhibitos Articulos mouerunt, ac prætexuerunt, quæ etiam ad noſtram inſtantiam, vt *num.* 36. patet, in ſcriptum redacta obtulerunt.

Quod itaque nos Legatorum ſcriptum oblatum, acre, informe, & inconſideratum eſſe videremus, in quo etiam nos & temerè, & ſine ratione aliqua in ſuſpicionem ſiniſtram traheremur, & in eo etiā, præter cætera, Ducem de Terra noua quibuſdam ex eorum numero maiora etiam, quam in hiſce articulis continētur, ſe admiſſurum eſſe, re-

ſe, recepiſſe affirmaretur. Hæc omnia Duci de Terra noua communicauimus, & eius ſententiam ac declarationem de his ipſis requiſiuimus.

Quapropter Dux de Terra noua xiiii. Iulii ad locum conſuetum in conſeſſum noſtrum venit, & in propria perſona hæc propoſuit: Se de proceſſu ac tergiuerſatione Statuum præſentis tractationis dicere nolle: Interea ſibi valdè tædioſum ac moleſtum eſſe, quod Status ipſos, & eorum Legatos præter rebellionem, ac diſceſsionem, quam parent, fratris Regis Galliarum, & Reginæ Angliæ potentia Regiæ Dignitati etiam minari audeant; verùm eam rem ad ſe nihil pertinere, nec ſe velle de ea quicquam Statuum Legatis reſpondere. Interim id ſe facili negotio hinc colligere; Status, & eorum Legatos, verbis quibuſuis pacem petere videri, factis & reipſa eam impedire, ac paci ſummo ſtudio aduerſari. Quod ſi igitur non afficiantur erga pacem oblatam, Regi Hiſpaniarum alia eſſe media, quibus ipſis reſpondeat: Status Belgicos ad Cæſ. T. Maieſt. ſupplicauiſſe, & ad interceſsionem Cęſ. T. Maieſt. permouendam ſummoperè inſtitiſſe: Et proinde ad eorum inſtantiam Cæſ. T. Maieſt. Dignitatem Regiam ad hanc benignitatem commouiſſe, & nobis præſentem tractationē commiſiſſe, proinde eos debuiſſe Cæſ. T. Maieſt. & noſtro etiam reſpectu verbis & ſcriptis tam inconditis & acerbis, contra omnem rationem & temerè effuſis abſtinere. Et proinde ſe Statuum, & eorum Legatorum temeritate & arrogantia magis commoueri, ac in animo habuiſſe, quod Deputati Statuum Mandatum legale, ſeu ſufficiens nondum exhibuiſſent, exhibitum verò expirauiſſet, præſentem tractationem deſerere, ac præcidere, abitumque parare: velle tamen ſe has offenſiones noſtra cauſa placidè remittere, ac varijs principalis negotij cauſa commemoratis, de promiſsione vberiori, quam quibuſdam è Statuum Legatis factam affirmant, ſibi nihil conſtare.

Quod itaque Legatorum Statuum notationes & inſiuuationes æquo duriores, non temerè nos mouiſſent, nec nobis conueniret hoc ipſum, & alia nonnulla, quæ ſine ratione & fundamento in illorum ſcripto reperta ſunt, & alios etiam ſacri Romani Imperij Ordines concernere videbantur, ſilentio præterire, ad omnia & ſingula puncta à Statuum Legatis propoſita, ex ſolido fundamento, ſumma cum ratione, ſeriò & copioſè die xviii. Iulii reſpondimus, eorumque ſcriptum illud refutari, ac abundè illi reſponderi curauimus, quæ omnia hic in ſpecie referre non eſt neceſſe.

Eo tamen, non obſtante, omnia, quæ ad pacem promouendam pertinere videbantur à nobis ſummo ſtudio tentata ſunt, & à Statuum Legatis exhibitos Articulos de nouo reuidimus, examinauimus, in eum ordinem ac formam, vt *num.* 37. & 38 apparet, diſpoſuimus, & eos Statuum Legatis eodem die diuiſim & ſeorſim exhiberi iuſsimus, qui ijs receptis tempus deliberandi poſtulant, & ſi tractabi-

d liter

liter diſpoſiti ſint, eorumque inſtructioni conformes reperiantur, ſe breui ad eos reſponſuros referunt, ſin minus, ſe eos generalibus Statibus tranſmittere conſtituiſſe.

Eodem die Statuum Legati à nobis audientiam petierunt, & hora diei quarta poſt meridiem ipſis aſsignata eſt: qua à nobis perſonaliter admiſsi, verbis ac ſcripto, iuxta tenorem copiæ, *num.* 39. ſuam ſententiam nobis explicauerunt, & cum in ſcripto ſuo exhibito ſuſpenſionis armorũ præcipuè meminiſſent, recepimus nos eam ſumma diligentia apud partem aduerſam oportunitate data requiſituros ac promoturos eſſe.

Decimanona Iulij noſtrorum Conſiliariorum quoſdam Deputatos ad Ducem de Terra noua ablegauimus, illique à Deputatis noſtris ſignificari iuſsimus: Nos Articulos exhibitos in manus ac deliberationem ſumpſiſſe, eoſque nos denuò reuidiſſe, correxiſſe, ac tractabiles reddidiſſe, vt ex eorum copia, quæ illi ſtatim exhibita fuit, videre poſſet, & à nobis duos illos Articulos de Religionis negotio, certis de cauſis ſeorſim in charta deſcriptos. Eodem etiam tempore copia ſcripti eius, quod die præcedenti à Statibus nobis exhibitum, Duci communicata eſt, cum petitione, vt velit nobis ſine longiori mora ad ſingula reſpondere. Atque hæc à Duce cum gratiarum actione tum recepta ſunt, & ſe huius noſtri laboris fructum ſperare ſignificauit, ſe hæc ipſi à nobis tradita diligenter relegere, & examinare, & prima oportunitate nobis reſpondere velle.

Die viceſima Iulij binæ literæ à Cæſ. tua Maieſtate ad nos datæ, in conſeſſu noſtro lectæ ſunt, & in iis, quæ requirebantur, à nobis ſumma diligentia executa fuere, ac ita diebus aliquot continuis ſubſequentibus, de quibuſdam incidentibus ad pacificationis tractationem pertinentibus negotijs, à nobis pertractatum eſt.

Interea ad xxx. Iulij à Statuum Legatis ſuſpenſio armorum ſerio requiſita eſt, qui affirmabant, metuere ſe, ſi induciæ non concederentur, in hoc horrore belli Prouincias difficulter conuenire poſſe, ac proinde minorem fructum præſentis tractationis ſperandum eſſe. Cuius admonitionis ſeu requiſitionis cauſa, vt & die præcedenti apud Ducem de Terra noua, rationibus etiam quibuſdam inducias ſuadentibus, commemoratis, armorum ſuſpenſionem obtinere contendimus, & eo impenſius, quod à Cæſ. T. Maieſt. eodem etiam temporis momento eam requirendi Mandatum ſecundum recepiſſemus, & quod ab altera parte ſollicitè & ſeriò eam deſiderari animaduerteremus.

Die prima Auguſti Dux de Terra noua in conſeſſum noſtrum venit, ac propoſuit ſe noſtram petitionem ad inſtantiam ac Mandatum Cæſ. tuæ Maieſtatis, & requiſitionem partis aduerſæ, ſuſpenſionis armorum cauſa, ſatis intellexiſſe, & cum ea, quæ huius

puncti

puncti ſeu capitis cauſa diuerſis temporibus allata fuiſſent, retuliſſe. Vlterius commemoratum eſt: Regiæ Dignitatis nomine, ſe ita leniter & modeſtè, quo negotium principale promoueretur, egiſſe, vt citius pacificationis tractatio finiri, ac concludi, ſi Statibus res cordi fuiſſet, quàm induciæ, ſeu armorum ſuſpenſio, quæ longius tempus requirerent, obtineri potuerint: Ad Statuum verò conuentum quod attinet, Regis exercitum impedimento iis eſſe non poſſe, cùm paſsim conſtet, eos non ita nuper apud Vltraiectinos & Antvverpiæ, ac aliis in locis conuentus egiſſe, & proinde Legatorum Statuum inſtantiam, quòd tantopere inducias obtinere contendant, vehementer ſibi ſuſpectam eſſe, & eo magis, quòd non ignoraret cum iis, vt priuatis, ratione defectus Mandati, quod firmum, ſolidumque erit, cuius fructus ſalutaris expectetur, nihil agi poſſe.

Ad hæc Status ipſos etiamnum ac ſine intermiſsione, quotidie adhuc mediis quibuſcunque, etiam iniquis & ſubdolis, conquiſitis, ac minimè fundatis, ac friuolis perſuaſionibus Regis ſubditos, & obedientes Status, ad rebellionem & defectionem ſollicitare, & ad ſuas partes pertrahere, contendere. Proinde ſe à nobis ſummoperè petere, quòd armorum ſuſpenſionem, ſeu inducias deneget, nos apud Cæſ.T.Maieſt.eum excuſare, & Legatos Statuum huius denegationis cauſas commemorare, ac referre velle: Quod & diligenter à nobis paulo poſt factum eſt.

Quinta Auguſti primum ad generales Status Belgij ſcriptum admonitorium tranſmiſſum ac directū eſt, *num.*40. & quo ad alia loca, vbi neceſſarium videbatur, citius deferrerentur, diuerſa ſcripta ad particulares etiam Prouincias, & Ciuitates quaſdam, cum copia eius ſcripti, quod ad Status generales dreximus, & Articulis pacificationis incluſis, *num.* 41. proprio ac peculiari nuncio, tranſmiſimus, videlicet ad Prouincias, Brabantiam, Flandriam, Geldriam, Hollandiā, Zelandiam, Friſiam, ad Tranſiſſulanorum, & Vltraiectenſis Prouinciarum territoria, ad Francotes Flandriæ, ad Torneſienſes & finitima Friſię: ad Ciuitates verò, videlicet Antvverpienſem, Buſcoducenſem, Gandauenſem, Iperenſem, Brugenſem, Tornacenſem, Valecenſem, Dunkerchenſem, Nouiomagenſem, Arnhemienſem, Zutphanienſem, Dordracenſem, Amſtelrodamenſem, Harlemenſem, Goudenſem, Leydenſem, Delphenſem, Middelburgenſem, Zirckzenſem, Svvollenſem.

Decima Auguſti Statuum Legati audientiam à nobis petiuere, & ſæpius iam requiſitas inducias verbis & ſcripto propoſito magna contentione poſtulauere, vt *num.*42. quod ſcriptum, ſtatim atque exhibitum fuit, Duci de Terra noua communicauimus; & ſubſequentia xxiiij. ſcilicet Auguſti, ab ipſo Duce verbis primum, deinde ſcripto exhibito, *num.* 43. Statuum Legatis reſponſum eſt.

Poſteaquam verò nos ea ſcripta nobis legi curaſſemus, & diligenter in conſeſſu noſtro ea examinauiſſemus, Duci de Terra noua reſpondimus: Licet eius & verbis primum, deinde ſcriptis propoſitam ſuperiorum repetitam, ſcilicet declarationem, tamquam rationi & æquitati inſiſtentem reijcere non poſſemus, velle tamẽ nos eam Statuum Legatis communicare.

Viceſimanona Auguſti ex cauſis rationabilibus nos mouẽtibus, ſcriptum admonitorium ſecundum, ad particulares Status, & Regi nondum reconciliatas Prouincias, & ad Ciuitates præcipuas, ſuperius commemoratas tranſmiſimus, *num.* 44.

Eodem die Statuum Legati petita audientia, primo extractum, ſeu copiam literarum à generalibus Statibus ipſis tranſmiſſarum, nobis proponunt, *num.* 45. Deinde & aliud ſcriptum, in quo morã ſuam excuſent, & ſæpius petitas inducias maiori inſtantia requirant, *num.* 46. nobis exhibent. Et quòd extractum ſeu copiam literarum generalium Statuum exhibitam iudicaremus acerbam eſſe, & nobis etiam ſuſpectam, vltima die Auguſti noſtros Deputatos miſimus, qui extractum cum Originali conferrent, cui per omnia congruere collatione facta animaduerſum eſt. Præterea, quid & quos per earum contenta notarent, nobis explicari petiuimus, & per earum literarum contenta nos non, ſed partem aduerſam notari nobis reſponſum eſt.

Duodecima Septemb. Statuum Legati rurſus audientiam obtinuerunt, & literas adhuc concluſas, à ciuitate Antvverpienſe miſſas, nobis offerunt, *num.* 47.

Præterea eodem tempore ſcriptum, quo media pacificationis tentandæ alia à nobis ſibi proponi poſtularent, exhibuerunt, *nu.* 48.

Decimatertia Septemb. literæ ſimiliter concluſę, à ciuitate Buſcoducenſi miſſæ, nobis traditæ fuere, *num.* 49.

Decimaquarta Septembris binæ illæ literæ commemoratæ in noſtro conſeſſu lectæ ſunt, & ſupremum illud Legatorum Statuum ſcriptum nobis exhibitum, in conſultationem admiſſum eſt. Et cum eius ſententia, vt & poſtmodum fecimus, particulares ſcilicet Status Regi nondum recõciliatos, inter quos & ciuitas Antvverpienſis erat, ad obtinendam eorum reſolutionem ac ſententiam, requirendos eſſe, Antvverpienſibus ad ſcriptum tranſmiſſum particulariter non reſpondimus; ſed vt alijs Ciuitatibus in genere, ſic & ijs poſtmodum reſcripſimus.

Die decimaquinta Septem. Duci de Terra noua Legatorum Statuum, duodecima eiuſdem menſis ſcriptam petitionem, eius vt tenor ipſi conſtaret, ac copiam præterea literarum Buſcoducenſium, quòd illæ ſe ad Ducem de Terra noua referrent, vna exhibuimus, & per Deputatos noſtros Statuum Legatis hæc ſignificari mandauimus. Nos illorum requiſitionem, qua alia ſibi media, quàm hæc-

hactenus aſsignata ſint, communicari poſtulant, intellexiſſe, & quibus moleſtijs ac impenſis ad tam longũ tempus hic hæſiſſemus & reſolutionem Statuum ſine fructu expectauerimus, ipſis neque obſcurum neque ignotum eſſe, & proinde moram & dilationes longiores indies nobis magis moleſtas ac tædioſas eſſe. Sine fructu itaque laboratum fore, nouamque tractationem negotij Pacificationis auſpicari, fore aduerſariis nouum & omnibus ridiculum appariturum, & id multas alias remorationes ac incommoditates cauſaturum, & cum omnia incerta ſint ſine fructu etiam futurum. Proinde nos hac vice vlteriori altercationi aut diſputationi locum dare nolle, ſed ſolum Statuum reſolutionem expectandam cenſere.

Eſſe præterea inutile aſſecurationis cauſa etiamnum vllas moleſtias ſubire, partibus ſuper pacificationis punctis nondum conſentientibus vel conuenientibus: quod ſi fieret nos aſſecurationis cauſa principale negotium ne differatur vel etiam auertatur, omnem induſtriam & operam adhibere velle.

Ad hæc nuper à Statibus Trãſyſſulanis, ſcriptũ aliquod, ſeu literæ nobis exhibitæ fuerunt, & eiuſdem fere tenoris. vt *num.* 50. & 51. alterũ quoddam ſcriptum ad nos perlatum eſt. Quę ſcripta die 23 Septemb. à nobis lecta ſunt, & ijs xx. Septem. vt *num.* 52 apparet, à nobis reſponſum eſt.

Die xx. Septembris ciuitati Buſcoducenſi reſponſum dedimus: Vt *num.* 53.

Die xxij. Septemb. literæ Statuũ Ducatus Brabãtiæ ad nos miſſæ à nobis in conſeſſu noſtro lectæ ſunt, *num.* 54. Quibus inter cætera ſignificabatur, tractationem huius negotij ad hoc vſque tempus pro parte bene inchoatam eſſe, vt ob ea & alia quædam quæ in ijs literis continebantur, ſpem cum fructu hic aliquid agendi magna ex parte remitteremus. Quod ex tædio & moleſtia, qua hic inuiti quaſi detineremur fama ac rumor aliquis exortus eſſet nos diſceſſum adornare: Ea fama etiam Dux de Terra noua permotus, à nobis audientiam petijt, & hæc ſequentia in propria perſona propoſuit.

Primo pręmiſſa ſolemni gratiarum actione laborum ſuſceptorum & moleſtiarum perpeſſarum, & commendatione honorifica noſtrarum actionum, dicebat. Se facile cõijcere poſſe, nos non leui affici tædio, magnoſque ſumptos facere propter prolongationem nimiam huius negotij: ex quo rumorem quendam de diſceſſu noſtro inualuiſſe, propterea ſe committere non potuiſſe, quin hoc nomine quædam nobiſcum familiariter conferret.

Fidem ſe huic rumori habere non poſſe, ſed omnino ſibi perſuaſum eſſe, nos quod reliquum ſit officii, vt conueniens finis toti huic tractationi, cum iam de pacificatione generali nihil ſperare liceat, imponatur, operam noſtram nos non eſſe detrectaturos.

Statuum generalium reſolutionem denuo eſſe vrgendam, & eorum Legatos, vt eam omni diligentia promoueant & ſollicitent, admonendos, ſibi interim ab aliquibus ſpem nuper factam fuiſſe, quod infra paucos dies ex Antuerpia à Statibus generalibus reſolutio expectata huc tranſmittenda ſit.

Quæ ſi propoſitis articulis conueniens non ſit futura, ſe impedimento eſſe non velle, quo minus totum hoc negotium quamprimum finiatur.

Sibi enim videri ad Cæſ. Tuam Maieſt. authoritatẽ Regis Catholici & noſtram reputationem tuendam magnopere pertinere, tam graue & arduum negotium ad quod totus mundus reſpiciat, modo decenti concludere. Hoc ipſum vero, niſi à nobis præſentibus qui toti huic actioni continuo adfuerimus, aperte, & quaſi manum noſtrarũ palpitationibus cognouerimus, fieri nõ poſſe. Per Regẽ Catholicum nullo modo ſtetiſſe quo minus pax cõfecta ſit. Se igitur, diligentiſſime & officioſiſsime rogare neminem noſtrum velle adhuc diſcedere ſed reſponſionem Statuum expectare, cum per ſex totos hos menſes has tulerimus moleſtias, & tam magnos fecerimus ſumptus, paucorum quorundam dierum, ne priores operæ & impenſæ omnes videantur fruſtratoriæ, faſtidia adhuc ſuſtineamus ſe minime dubitare, quin omnia tribus ſeptimanis commodiſsime abſolui poſsint.

Quæ ad ipſum pertineant, quod velit ſe & ſua, noſtræ voluntati promptè & libenter accommodare.

Poſſe nos Statibus alium & quidem peremptorium ſicut Iudices facere conſueuerint, non quem ipſi velint, ſed quem nos putabimus neceſſarium, terminum præfigere: quo elapſo ſiue nihil ſiue minus categoricè reſponderint, conuentum hunc noſtrum cum honore omnium diſſolui, & nos etiam nemine hic relicto diſcedere poſſe.

Vix enim hæc negotia per ſubdelegatos noſtros Conſiliarios tractari poſſe, cum Cæſarea Tua Maieſtas ad perſonas noſtras reſpectum habuerit, nec alijs quam nobis ipſis commitere voluerit, qua de cauſa nobis abſentibus fortaſſe, nec Nuncius Apoſtolicus diutius hic immorari vellet, nec ſeipſum ſine Senériſsimi Regis Catholici, expreſſa voluntate, hic manere poſſe:

Aliam tractationem hoc caſu eſſe, vbi per Cæſ. T. Ma. induſtria & perſonarum authoritas cõſiderata ſit, quam in Comitijs Imperij, vbi Conſiliarij Dominorum & Principum ſuorum ab antiquo ſoleant vices ſuſtinere.

Sic denuo nos pro ſeruitijs Deo & Eccleſiæ ſuæ, Reipub. Chriſtianæ & ſereniſsimo Regi Catholico præſtandis beneuolentia & amicitia cum Rege Catholico conſeruanda rogare, ne quiſquam noſtrum diſcedat, ſed potius etiamſi ad huc per tres ſeptimanas

im

immorandum ſit, reſponſum Statuum, & terminum præfigendum patienter expectare velimus, fore hoc Regi gratiſsimum, quod & ipſum ſuis obſequijs, modo detur occaſio, promeriturum pollicebatur.

Cui reſpondimus tantas gratias agere non fuiſſe opus, hæc faſtidia ob Cæſareæ Tuæ Maieſtatis debitam obedientiam & bona, qua in Regem & ſubditos ſuos eſſemus affecti, voluntate, publicę quoque tranquillitatis & quietis ſtudio, merito nos ſuſtinuiſſe, nec maiora recuſaturi eſſemus, modo Reipub. Chriſt. prodeſſe poſsimus.

Quod autem ſpe noſtra de feliciori ſucceſſu fruſtrati de diſceſſu cogitare incipiamus, in malam partem à nemine interpretari debere. Interim nos communicatis conſilijs ſuper ijs, quæ iam per ipſum propoſita ſint, prima commoditate mentem noſtram erga ipſum declaraturos polliciti ſumus: cuius petitioni poſtea aſſenſimus.

Quod autem varia commemorarentur, & in Belgio omnia perturbate agi & à nobis miſſas literas ad eos, quibus deſtinati erant, non perlatas eſſe certo nobis nunciaretur, & populo ſeu multitudini Belgicæ de verā ratione inſtitutæ pacificationis, nihil aut parum declararetur aut cõſtaret: ſed omnia potius in diuerſam ſententiam ab ijs qui præſint rapi, eoſque ſuſpicionibus noſtrum inſtitutum onerare & ſubditos in ſua rebellione confirmare, ac ita omnia potius exacerbari, ac pacificationis hoc negotium iuxta tenorem literarum Statuum Brabantinorum adhuc in incerto verſari, de generali ſtatuenda vel conficienda pace deſperare cæpimus, atque ob id diutius hic ſinē fructu hærere primum Cæs. T. Maieſt. diſpliciturum eſſe, ac nobis pluribus de cauſis cum detrimento noſtrorum ſubditorum inconueniens eſſe putauimus.

Proinde nos Statuum Legatis xxv. Septemb. ad nos vocatis, ſignificari curàuimus. Se ſcire quibus moleſtijs in hac diutina tractatione fuerimus verſati, & quo omnia ad bonũ finē perducerētur ex vtriuſq; partis medijs propoſitis quoſdam articulos pro rerum præſentium ſtatu quam maxime commodos nos collegiſſe: atque eoſdem nos ijs die xviij. Iulij exhibuiſſe. Præterea Religionis diſsidij cauſa valde leniter propoſitis medijs cum illis actum eſſe, atque hæc omnia generalibus & particularibus Statibus, ac ciuitatibus etiam quibuſdam tranſmiſſa eſſe, & vt intra ſpatium trium ſeptimanarum ſuam ſententiam nobis declararent, ab ijs ſolum poſtulatum eſſe, & adhoc vſque tempus nihil nos reſponſi recepiſſe. Ad eas vero literas quod attineret, quæ à Statibus ducatus Brabantiæ miſſæ ſunt, quarum etiam ſupra facta mentio, eius tenoris reperiebantur, ac ſi omnia, quæ huc vſque à nobis tractata ſint, rei bene gerendæ principium ſolum aliquod exiſtimari debeant, vt hinc facile conſtare poſsit, quem fructum huius tractationis vlterius hinc expectare debeamus;

nam

nam hactenus nos ſine fructu laborauiſſe, non ſolum ad æſtimationis noſtræ diminutionem, verum etiam ad Cæſ. Tuæ Maieſt. aliqualem notationem, referri poſſe videtur: Quod vero Statuum Deputatos Antuerpiæ & in alijs Prouincijs etiam belli tempore ſæpius conueniſſe certũ ſit, quodque præſentis tractationis negotiũ illis neque nouum neque ignotum ſit, ſcilicet proprium, vt breui temporis ſpacio nobis reſpondere potuerint ac ſeſe reſoluere. Vt hac cauſa ſuæ moræ vel tergiuerſationis cauſas in belli metum, aut denegatas inducias conijcere nequeant. Et quod populum vniuerſum pacem auide petere conſtet, facilius erat Statibus, ſi eam ſeriò requiſiuiſſent, negotiũ hoc præſens feliciter perficere.

Ad hæc quod peſtis indies contagione ſua aerem inficiat eò nobis & noſtris hominibus moram hanc & temporis protractionem moleſtiorem eſſe. Proinde nos ijs ſignificare voluiſſe ſi nullam adhuc à ſuis principalibus reſolutionem receperint, nos ijs certum ac peremptorialem terminum præfigendum conſtituiſſe.

Ad hæc Statuum Legati laborum ac ſollicitudinis impenſæ cauſa nobis grarias egerunt & nos hanc tractionem ad dies aliquot velle continuare petierunt, literas tranſmiſſas omnibus vt conueniebat Prouincijs nondum eſſe traditas, & iis etiam quarum reſolutio hac in re requiratur, & ſeſe Statuum quotidie reſponſum expectare. Petere itaque vt aliquantulum temporis adhuc Statuum reſolutionem operiri non grauemur eamque ſcriptis literis requiramus ac terminum illum peremptorialem non nimis breuem & coarctatum ponamus.

Die xxvi. Septemb. literas ad Deputatos, Statuum, Antuerpiam dedimus, atque ijs præcipua puncta ſeu capita huius tractationis explicari iuſsimus, ac diem xviij. Octob. pro termino peremptoriali aſſignauimus eorum ſententiam & reſolutionem ad terminum præfixum expectantes *num.55.*

Die Solis xxvij. Septemb. rurſus in Conſeſſum noſtrum comparuere Stattutũ Legati. & in præſentia Ducis de Terra noua ſe heſterna die ſerò tamen literas concluſas ad nos ſcriptas, à Statibus generalibus accepiſſe, ſperare ſe bonum aliquod initium earum literarum gratia, quas ſtatim nobis tradiderunt *num.56.*

In literis cõmemoratis ſcriptũ aliquod incluſum fuit continẽs copiam eius reſpõſi: quod Status Anno 1577. die xx. menſis. Iulij Cæſ. T. Maieſt. Aulæ Conſiliario Suffrido Breuinero libero Baroni, Antuerpiæ dediſſent, quod ad eam reſpõſionem illorum ſcriptum ſeſe referret. *num.57.* Et quamuis ſcriptum ad Generales Status dirigendum die præcedenti Antuerpiam mittendum fuiſſet, vt & Copiæ earum literarum particularibus Prouincijs, retentum tamen fuit, quod ad ſcriptum Generalium Statuum, ad euitandas omnes diſceptationes eò tempore reſpondere minus commodum putaremus: Regis tamẽ

Man.

Mandatarium eius ſcripti copiam communicauimus, quò is, quod ſibi oportunum videretur, agere poſſet.

Die iij. Octob. aliud ſcriptum, *num.* 58. ad generales Status mittendum eſſe, poſt communicationem concluſimus, in quo nos prolixum ipſorum ſcriptum recepiſſe ſignificauimus, ſed cum ijs diſputare non eſſe noſtri inſtituti, tenori literarum ijs die xxvj. eiuſdem menſis tranſmiſſarum nos acquieſcere, & terminum ſolum peremptorialem ad vltimam Octob. vſque prorogare ſignificauimus: particularibus præterea Prouincijs harum literarum copiam quoque tranſmiſimus.

Eodem die literas adhuc concluſas Ciuitatis Valenciæ, *num.* 59. accepimus, & ad eas, vt *num.* 60. reſpondimus.

Duodecima Octob. apud Conſiliarios noſtros, ſeu Deputatos Statuum Legati ſe inſinuaruut, ijsque ſignificarunt: Se metuere, quod in vltimis noſtris literis ad grauamina, & difficultates Statuum nihil reſponderimus, id in illorum proxima conuentione remorationem, ſeu impedimentum aliquod ad negotii principalis promotionem allaturum eſſe; petere itaque ſe Statibus denuò à nobis ſcribi, ac Articulos vlterius explicari, & aliquantulum leniri, *num.* 61. Quorum ſcriptum Duci de Terra noua communicauimus, eique ſignificari iuſsimus: Si quid ad Generalium Statuum non ita nuper exhibitum ſcriptum, & ad hanc Legatorum Statuum petitionem reſpondere velit, vt hoc prima oportunitate faciat, quò, quid facto opus ſit, in hoc negotio maturè intelligamus.

Ad hæc Dux de Terra noua reſpondet: Principem Parmenſem ante aliquot dies ſibi adiunctos, Duci de Terra noua ſcilicet, Conſiliarios Traiectum ad Moſam euocauiſſe. Quod itaque in Statuum ſcripto rerum quarundam ſibi ignotarum mentio fieret, ac literæ per ſe acres & acerbæ reperirentur, ſine ipſorum præſentia & conſilio reſolutionem, ſeu reſponſionem nullam ſe dare poſſe. Interim ſibi videri fucum aliquem ſcriptum tam prolixum in diſputatione minimè neceſſaria alere, ſeu velare, & rem ſeſe longè aliter habere, ac foris appareat, & forſan Status longiori diſputatione vſos, quò eum vel ad ſimile, vel etiam durius reſponſum permoueant, aut in diſputationem euocent; quò iis, quibus è re turbulentiſsima, & calamitate communi lucrum, aliorumque incommodo ſuam commoditatem quærere procliue ſit, pacem impediendi, omnia in partem deteriorem interpretandi, Regis miniſtros in odium coniiciendi, ad pacem adductos deterrendi, rebellibus verò magis exacerbandi oportunitas, vel etiam occaſio quædam offerreretur.

Petere itaque ſe, ne ea mora nobis ſit difficilis; ſe ad Principem Parmenſem aliquem dimiſſurum, ac diligenter laboraturũ, vt quam-

primum fieri poſsit, redeant: ſe enim non putaſſe, huiuſmodi nouas diſputationes à parte aduerſa aſpergendas fuiſſe; ad ſuorum verò aduentum ſe ſine mora velle hæc ſibi exhibita ſcripta in conſultationem adhibere, eaque expendere, & prima oportunitate ſuam nobis ſententiam explicare.

Et quamuis indies à Duce de Terra noua reſponſum requireremus, ſe tamen, vt prius, adiunctorum Conſiliariorum abſentia excuſauit.

Die xvij. Octob. Sabbati, poſt aduentum Conſiliariorum ad locum conſuetum, in noſtrum conſeſſum in propria perſona conſtitutus, gratijs nobis actis, hæc propoſuit: Exhibitas ſibi Copias longarum iſtarum literarum, à Statuum Deputatis Antvverpiæ x. Septemb. ad nos ſcriptarum, ſe perlegiſſe, & cum adiunctis ſibi Conſiliarijs diligenter eas expendiſſe: ſibi videri ſecundum ea, quæ ſupra explicauiſſet, cum Statibus verbis concertare, ſine vtilitate ac fructu fore: ſe tamen ſcriptum aliquod refutatorium ſcribi curauiſſe, „quod nobis hic exhiberet informationis loco, & parti aduerſę, ad omnē diſputationem euitandam, cauſęque præſentis protelationem, communicandum non eſſe: A nobis præterea ſuſpenſionem armorum denuò requiſitam fuiſſe, velle ſe hic ea pro repetitis haberi, quæ ſupradicta ſint, & in armorum ſuſpenſione, vel etiam inducijs concedendis Regem non difficilem fore; ſi pars aduerſa ad pacem, quàm ad rebellionem procliuior fuiſſet: Ac huius requiſitionis cauſam ſubſiſtere, paulatim hinc conſtat, quòd Regius exercitus maiori ex parte dimiſſus ſit.

Die xx. Octobr. Dux de Terra noua à ſe xvij. Octob. exhibitum ſcriptum à nobis repetijt, quod in eo aliquid mutandum ac corrigendum eſſet, quòd ad eius repetitionem illi redditum fuit.

Interea temporis huius Protocolli diſpoſitio inchoata eſt, & quę exhibita hactenus eſſent ſcripta, in eum ordinem, quem inferius videre eſt, diſpoſita ac congeſta ſunt.

Die xxvij. Octob. tres diuerſæ literæ, vnæ à Prouincia Tornacenſi, alteræ à Ciuitate eiuſdem nominis, Tornacenſi ſcilicet, tertiæ à Ciuitate Neomagenſi nobis exhibitæ fuerunt, *num. 62. 63. 64.* & quòd ſe ad generalem conuentionem Statuum Antvverpienſem referrent: vlterius nihil cum ijs tentatum eſt.

Die xxviij. Octob. Dux de Terra noua ſcriptum, cuius ſupra meminimus, correctum nobis exhiberi, & inſuper ſignificari curauit, illud aduerſæ parti noſtro arbitrio communicari vel non communicari poſſe, *num. 65.*

Die xxix. Octob. à Ciuitate Arnhemienſi literæ miſsę ſunt, quibus mori ſe malle, quàm articulos exhibitos, & à nobis præſentatos recipere velle, apertè declararunt. *num. 66.*

Die xxx. Octob. per deputatos Conſiliarios noſtros Statuum

Lega-

Legatis Ducis de Terra noua exhibitam, & correctam ſcripturã,ijsq́; huius moræ cauſas explicari iuſsimus,quæ ad diem xvij. Octob.& ſequentibus reperiuntur:Præterea ad petitionem literarum reſpondimus,ſuperioribus nos acquieſcere velle,euentumq́ue rei expectare.

Vltimo Octob. literæ de Dato xx. diei eiuſdem menſis à Statibus Antvverpia nobis allatæ ſunt, quibus ſaltem aliquot diebus nos eorum reſponſum expectare velle petunt, *num. 67.*

Tertia Nouemb. nos Duci de Terra noua audientiam conceſsimus,qui in propria perſona Italico idiomate hæc propoſuit.

Præmiſsis gratiarum actionibus, dicebat, ſe non velle repetere ea,quæ hactenus in toto hoc negotio tractata ſint, hoc enim fore ſuperfluum,cùm ea coram nobiſipſis peracta fuerunt.

Aliquos terminos ipſis Statibus, ad ſeſe reſoluendum ſuper Articulis xviij. Iulij exhibitis,datos fuiſſe, quos omnes fruſtra præterlabi paſsi fuiſſent. Tandem Statibus à nobis alium terminum ad xviij. Octob. præfixum,quem tamen ad ipſius Ducis petitionem, ad finem menſis Octob.prorogaſſemus, intra quem nec adhuc aliquid, quod ad rem pertineret, egiſſent, imo nec Mandatum ſufficiens adhuc ſuis Deputatis dediſſent.

Articulos à nobis propoſitos ab Imp.T.Maieſt. ab omnibus, ad quorum notitiam perueniſſent,vti tolerabiles, & æquos comprobatos,& à ſe quoque pro talibus acceptatos fuiſſe. Regem Catholicum omnia, quæ ab ipſo peti potuiſſent,eſſe elargitum: præterea in puncto Religionis ampliſsima quoque de ijs, quæ Religionis Catholicæ non eſſent tolleranda,conceſſa fuiſſe.

Quàm malè autem tanta Regis Catholici liberalitas ab aduerſarijs accipiatur, ſeſe ex literis Arnhemienſium,nuperrime ſub Dato xvj. Octob.huc miſsis, ſimiliter ex tractatu, & receſſu Ordinũ Ducatus Geldriæ intelligere potuiſſe: quibus concordare videantur ea, quæ ſuperioribus diebus ſub Dato x. Septemb.à Deputatis Statuum generalium literis áſperrimis ad nos ſcripta fuiſſent.

Literas Statuum iam vltimo tranſmiſſas,dulcedinem aliquã præ ſe ferre, amaritudinem tamen magnam abſconditam habere, & neſcio quæ de Religione,& ſecuritate innuere. Regi omnino conſtitutum eſſe,in puncto Religionis plura, quàm in articulis comprehenſa ſint,non concedere; cui etiam ea,quæ de ſecuritate à Statibus allegentur,propter varias cauſas ſuſpecta ſint, quæ hoc loco exprimere non foret neceſſe.

Super omnibus à ſe geſtis, & propoſitis ſe noſtrum poſſe ferre iudicium. Cùm igitur ex cauſis prædictis, & alijs circunſtantijs nulla ſpes vniuerſalis pacis conſtituendæ appareat, ſe non repugnare, quin finis huic negotio ad noſtrum placitum imponatur, ſe quoque rogare, vt eum ante dandum finem, adhuc ſemel audire velimus.

Hoc verò ſeſe obnixiſsime rogare & maximis, quibus poſsit, precibus flagitare, quòd huiuſmodi finis à nobis Commiſſarijs, perſonaliter præſentibus, fiat: hoc enim negotium à Cæſare non Conſiliarijs, ſed noſtris perſonis commiſſum; ſimiliter à Rege in perſonas noſtras, non in Conſiliarios, conceſſum fuiſſe: quod & ipſum in re præſertim tam graui, & ſubſtantiam negotij concernente, ad Cæſ. T. Maieſt. authoritatem, Regis ſui reputationem, noſtramque exiſtimationem protinus pertineret.

Nos ſuper ijs, quæ ab ipſo Duce propoſita eſſent, communicato conſilio deliberaturos, & poſtea, quæ nobis viderentur, ipſi ſignificaturos eſſe, hac vice reſpondimus.

His omnibus tranſactis, concluſionem huius tractationis ſeu receſſum ſcripto concipi curauimus, quem nona Nouemb. in conſeſſu noſtro propoſitum iuſtificauimus, ac data oportunitate partibus ad modum concluſionis finalis eum proponendum, ac communicandum conſtituimus.

Quod autem Dux de Terra noua, antequam finis huic negotio imponeretur, audientiam poſtulaſſet, die Lunæ x. Nouemb. admiſſus eſt; cui receſſum die Veneris proxima publicandum eſſe ſignificauimus, &, ſi quid vlterius proponendum exiſtimet, ante illud tempus id vt agat.

Ad quæ Dux reſpondet: Se longa mora intellexiſſe, quàm lentè pars aduerſa procedat, aliquot etiam diebus poſt terminum peremptorialem euolutis, eoſque nullam Regiæ benignitatis rationem habere; ſe verò petere, vt hunc ſummarium totius negotij diſcurſum, ad Protocollum Actaque regiſtrari velint, *num. 69*. Secundo, quò poſſet Regiæ Serenitati ſuæ relationis fidem facere, ſibi copiam Protocolli, & totius negotij communicari, & Regij Mandati Originale ſe à nobis petere, cum gratiarum actione, moleſtiarum, laboris, ac impenſæ.

Exhibitum illud ſcriptum recepimus, & ad Acta regiſtrari mandauimus, & poſt deliberationem, ei Protocolli, ac totius negotij ſeu tractationis copiam in ea forma, qua Imp. T. Maieſt. exhibita communicandā: præterea Originale Regij Mandati ipſi reddendum eſſe exiſtimauimus; copia tamen eius nobis ad Acta reſeruata.

Die xiii. Nouemb. nos Regis Mandatarium, Ducem de Terra noua, ac Statuum Legatos requiſiuimus: quòd autem Ducis Dilectio ac Illuſtr. Excell. coràm adeſſe non poſſet, eius Dilectionis nomine cōparuit amicus noſter Generoſus Dominus Hercules Branchiforti, Comes à Camarada, Dominus S. Ioannis, cum ſibi adiunctis alijs Conſiliarijs, quibus receſſus noſtri rationem explicauimus, ac eius copiam ipſis communicari iuſsimus, vt *num. 69*. Quam receperunt, Cæſ. T. Maieſt. imprimis, ac nobis ratione laborum, ac moleſtiarum gratijs actis.

Eodem

Eodem ferè tempore Statuum Legatis, Duci Arſchotano, & alijs, qui maiori ex parte propria in perſona præſentes conuenerant, quibus huius tractationis nos finem facere cõſtituiſſe declarauimus, & proinde loco receſſus, ſeu concluſionis finalis, ſcriptum aliquod comprehendiſſe, ac eo lecto, Dilectioni eius, alijſque Statuum Legatis copiam communicari permiſimus.

Ad hæc Statuum Legati dilationem, & tempus deliberandi vſque in diem ſequentem poſtulant, ac die Sabbati, xiiii. Nouemb. redeuntes, excuſationibus quibuſdam allatis, vt ad triduum ſolum expectare non grauemur, petunt. Quare nos ſummariè illorum moram, & quàm nulliter in præſenti negotio proceſſerint, cum non leui præiudicio æſtimationis, ac nominis noſtri illis ſignificari curauimus; triduum tamen illud ipſis non denegandũ eſſe putauimus. Et, quod quidam noſtrum iam profectioni accincti eſſent, Conſiliarijs noſtris relictis, eam moram non ægrè tulimus. Triduo autem illo ſine fructu & emolumento euoluto, domum nos contẽdimus. Atque ſic in Dei Omnipotentis nomine hanc tractationem finiuimus, ac concluſimus.

Et nos, Cæſar Potentiſsime, & Domine Clementiſsime, ex intimo animi affectu, orationibus etiam noſtris ad Deum fuſis, totis viribus impenſe laborauimus, quò Cæſ. T. Maieſt. Commiſsioni, ac paternæ affectioni ſatisfieret, ac erga Maieſt. T. noſtra obediẽtia, ac reuerentia maiorem fructum facere potuiſſemus, idque non ſine leui damno noſtrorum ſubditorum, ac noſtra ſumma moleſtia, ac grauibus impenſis, longiſsimi temporis, vltra ſeptem menſium, iactura. Quòd ſi vlla nobis ſpes pacis conficiendæ reliqua fuiſſet, nos ad declarandam noſtram erga Cæſ. T. Maieſt. obedientiam ac ſubmiſsionẽ, erga pacem verò ſynceriſsimum affectum & deſiderium noſtrum, erga Reip. tranquillitatem, amorem, laborem, induſtriam, ac impenſas etiamnum ſubtrahere noluiſſe.

Quòd autem animaduerterimus Status eos Belgicos, qui ſuos Legatos ad hanc tractationem ablegarunt, conuentionibus ſuperioribus temporibus initis, in quibus reſtaurandis plus ſatis difficultatis fuiſſet, nullo modo acquieſcere voluiſſe: Sed vix inchoato negotio huius tractationis, antequam breue illud tempus Commiſsioni eorum Legatorum aſsignatum tranſijſſet, ſuperioribus conuentionibus, & Cæſ. T. Maieſt. ſubmiſsioni factæ, repugnantes, conuentiones, ac alias quaſdam pactiones tentaſſe ac inſtituiſſe noſcuntur.

Præterea toto tractationis huius tempore, poſt multas etiam admonitiones, ſcriptis etiam literis, tantum apud Status obtineri non potuiſſe, vt ſuis Legatis, etiam Reuerendis, Illuſt. Nobilibus, ac magnæ reputationis perſonis, ſufficiens Mandatum communicarent, vel quod expiraſſet, continuarent, ac ſex ſeptimanarum ſpatiũ in Commiſsione illis ſolum aſsignatum prorogarent: & media in

hac tractatione eius generis proponi curaſſe, quæ potius extrema, quã media eſſe exiſtimari debuerint, vt in omnibus præcedẽtibus conuentionibus, quas nos videre contigerit, nulla nos talia deprehendiſſe affirmare poſsimus, vt licet præteritarũ cõuentionum media proponeremus, quæ ab ipſis in Pacificatione Gandauenſi, ac generali vnione Bruxellenſi recepta eſſent, & quid etiam, Cæſareæ Tuæ Maieſtati ac Dignitati Regiæ Principi ac Domino ſuo naturali ſcripto ſignificauiſſent, ad extremum etiam quid VVormatiæ coram Cæſa. T. Maieſtatis & ſacri. Rom. Imperij Deputatis ſua ſpõte recepiſſent, & licet diuturnioris & atrocioris calamitatis ſuæ à nobis admonerentur; nihil tamen obtinere potuimus.

Atque etiam à xviii Iulij. vſque ad præſentem diem, ſpacio ſcilicet ſedecim ſeptimanarum, ſpreta omni noſtra vel ſcripto, vel verbis propoſita admonitione, excepta in ſuperioribus cõmemorata inſufficienti & pacificationis negotio magis obuerſanti quã vtili reſpõſione, nullam plane declarationem, multo minus fundatam vel ſolidã finalẽ reſolutionem ad propoſitos Pacificationis Articulos obtinere nos potuiſſe.

Præterea nos non latere quã contumelioſe, probroſe & leuiter, de huius Pacificationis tractatione ac propoſitis articulis per totam Inferiorem Germaniam & de nobis ipſis etiam verbis & ſcriptis actũ ſit: & quot famoſi libelli paſsim & publicè contra hanc pacificationis tractationem editi ſint, & quam omnia in deteriorem partem interpretata, & quid nuper à particularibus Prouincijs in illorum conuentu ad tractationem hanc impediendã attentatũ & practicatũ ſit, & cuius ciuitas Arnhemienſis ſeſe aperte declarauerit: quid a Statibus Friſię Leouardię ſcilicet cõcluſum ſit, & cuius ſe ſcripto declararint & eius generis media à quibuſdam eorum etiã propoſita eſſe, quæ à Rege ipſo Regiæ Dignitatis Mandatario ſine dedecore ac æſtimationis & famæ læſione, ſine legum Romanarum ac ſacri Imperii Ordinationum præiudicio, omniſque æquitatis euerſione nullo pacto concedi vel admitti potuerint. Econtrario vero in hac tractatione animaduerſum eſt, quã clementer ac leniter Regia Dignitas Hiſpaniarum Princeps & Dominus naturalis per ſuæ Regiæ Dignitatis Commiſſarium Ducem de Terra noua Statibus ſeu ſubditis ſuis ſeſe exhibuerit, & quam commoda ac tolerabilia pacis media ipſis ſtatim in initio præſentauerit & poſtmodũ etiam in pertractatione admiſerit, vt vix ſubditi à ſuo Magiſtratu plura requirere aut etiã Magiſtratus ipſis ſubditis concedere vel plura elargiri poſsit. Sed horum omniũ apud Status nulla eſt ratio habita quos nec tuæ Cæſareæ Maieſtatis auctoritas, Regiæ Dignitatis beneuolentia, nec noſtræ admonitiones ſalutares permouere potuerunt. Sed & terminum peremptorium, poſt quem iam multi ſine fructu dies præteriere, aſsignatum negligenter & contumaciter ſpreuerunt.

Præ-

Præterea toto tractationis tempore intelligere non potuimus, negotium Pacificationis ſerio à Statibus actum, vel etiamnum agi, vt cum ſuo Principe ac naturali Domino in gratiam redeant; illique bonis mediis reconciliari cupiant; aut noſtra diuturniori præſentia fructum aliquem vlteriorem nos expectare potuiſſe: & proinde partibus receſſum aliquem, vt *num.* 69 patet, nos communicauiſſe, ac diutius hic morari inconſultum duxiſſe.

Et quamuis nos Cæſareæ Tuæ Maieſtati præſentis tractationis ſtatum loco informationis ſubinde tranſmiſerimus, totius negotii tamen diſcurſum in hanc formam & ordinem ad pleniorem Cæſareæ tuæ Maieſt. Domini noſtri Clementiſſimi relationem faciendam redigi curauimus; cum ea petitione, quod huiuſmodi finem negotio nobis commiſſo imponere neceſſe fuerit, pro ſumma Maieſt. tuæ clementia & benignitate nos excuſatos habere velit. Cuius Maieſt. nos ipſos noſtroſque Principatus ac ſubditos cum omni ſubmiſsione & obedientia commendatos volumus. Datum Coloniæ die xviii. menſis Nouemb. Anno ſalutiferi partus. M. D. LXXIX.

Ex Treuerenſi Archiepiſcopali Cancellaria.

Ioannes VVimphelling.

Georgius Raoul ſſ.

Num. I.

VON Gottes gnaden wir Wilhelm Hertzog zu Gülich/ Cleue/ vnd Berg/ Graff zu der Marck/ vnd Rauenſberg/ Herr zu Rauenſtein/ ꝛc. thun kund/ Als die Römiſche Kayſerliche Maieſtat/ vnſer allergnedigſter Herr/ vns neben etlichen andern jhrer Maieſt. Commiſſarien von wegen der jetzt durch jhre Maieſt. in des heiligen Reichsſtadt Cöllen angeſtellter newer vorſtehender Niderlendiſchen friedens Tractation mit zu einem Commiſſarien allergnedigſt verordnet/ vnd auß bewegenden vrſachen durch vnſere Rähte ſolchem Commiſſariat an vnſere ſtett abzuwarten/ bewilligt vnd zugelaſſen: Daß wir dennach gegenwertige die Erbare vnſere liebe Rhät vnd getrewen/ Wernern von Emmenich/ vnſerr Landtroſten vnſers Fürſtenthumbs Gülich/ Johan Lawerman/ vnnd Herman Rinck/ Probſten zu Cleue/ beyde der Rechten Licentiaten// an vnſere ſtett ſubdelegirt. Geben darauff denſelben volkommen macht vnnd gewalt/ ermelter Tractation beyzuwonen/ vnd alles das jenig/ was wir krafft der Kayſerlichen Commiſſion vnd ſonſt nach geſtalten ſachen eigner Perſon thun ſollen/ können oder mögen/ beſtes/ getrewes fleiß an vnſer ſtett/ nach jhrem beſten verſtand vnd vermögen zu verrichtten/ vnnd deßfals nichts erwinden zulaſſen/ Wie wir auch das jenig/ was ſie als neben den andern verordneten Kayſerlichen Commiſſarien tractieren/ handlen/ vnd beſchlieſſen werden/ angenem halten/ vnnd dann der gebür vnſers theils nach ſetzen wollen/ ohne geferde. Vrkund vnſers hierauff getruckten ſecret Siegels. Geben zu Düſſeldorff/ vnder vnſerm gewonlichen handtzeichen/ an acht vnnd zwantzigſten Monatſtag Martij/ im fünffzehenhundert/ neun vnnd ſiebentzigſten jahr.

Wilhelm Hertzog zu Gülich/ ꝛc.

P. Langer ſſt.

Num. II.

VNſer freundlich dienſt/ vnd was wir liebs vnd guts vermögen/ günſtigen gruß/ gnedigen vnd geneigten willen zuuor/ Hochgeborne/ Würdige/ Wolgeborne/ Edle/ Erſame/ Fürſichtige vnd Weiſe/ beſondere liebe freund vnd beſondern/ Auch Durchleuchtige/ Hochgeborne Fürſten/ Ehrwürdige/ Wolgeborne/ Edle/ Ehrnueſte/ Ehrnhaffte/ Fürſichtige vnd Weiſe/ Ewer F. G. vnd gunſten ſeyen vnſer willig dienſt/ vnnd alles guts zuuor/ Gnedige Fürſten/ gnedige/ günſtige Herrn vnnd

freund/als von der Römiſchen Kayſ. Maieſt. vnſerm allergenedigſten Herrn vns/vñ dem Durchleutigen/Hochgebornen Fürſten vnd Herren/Herrn Wilhelmen Hertzogen zu Gülich/Cleue vñ Berg/ꝛc. vnſerm gnedigen Fürſten vnd Herrn/allergnedigſt aufferlegt/ committirt vnd beuolhen/vns hieher zu begeben / vnd in namen jhrer Kayſ. Maieſt. der friedens Tractation vnnd handlung zwiſchen der Königl. Würden zu Hiſpanien/ vnnd euch den general Niderlendiſchen Stenden zu vndernemmen/haben wir vns jhrer Kayſerlicher Maieſtat zu vnderthenigſtem gehorſam/ den Parten zu freundſchafft/ gnaden vnd gutem/ allem friedlichen weſen zum beſten/mit ſelbiger handlung zu groſſer vnſer aller vngelegenheit beladen/ vnnd jetzunder zu vnſerer alhier ankunfft nit mögen vnderlaſſen/E.L.L. ewer F.G. vnnd euch/ freundlich/ günſtig/gnedig/dienſtlich vnd fleiſſig zu vermanen/Ewer L.L. jhr/ ewer F.G. vnd jhr/ wöllend euch ſamptlich vnnd ſonderlich ſelbs dermaſſen zur handlung ſchiedlich/vnnd beſcheidenlich ſchicken/auch ſolche friedfertige wolmeinende Perſonen auß ewerm mittel vnd mit volkommenem/gnugſamen beuelch vnd gewalt abordnen/ damit ſie vnſemnlich hie erſcheinen/die ſachen mittels Göttlicher gnaden zu guttem anfang/ ſchleunigen fortgang/ vnnd verhofftem friedlichem/ glücklichem/ gutten ende gebracht werden möge. Zu ſolchem Effectu wir ewern L.L. euch/Ewer F.G vnnd euch/hiebey ein Kayſerlich offen geleidt zukommen laſſen.

Es ſollen auch ewer L.L. jhr/ ewer F.G, vnd jhr/ das gewißlich/ vnzweiffenlich vertrawenn zu vns feſtiglich haben/vnd ſetzen/ daß wir vns in allem dermaſſen erzeigen vnnd verhalten wöllen/ daß es zu aller billigkeit vnnerweißlich ſeyn ſoll/ ſeind auch ohne das ewern L.L. euch/ewer F.G. gunſten vñ euch/zu freundlichem/angenemem willen/ gunſten/gnaden/wol gewegen/ auch vnderthenige/ freundliche dienſt zuerzeigen willig. Datum Cöllen den eilfften Aprilis/Anno ꝛc. ſiebentzig neun.

Die Herrn Comiſſarien ſchreiben den Niderlendiſchen general Stenden.

Num. 3.

VON Gottes gnaden/Wir Jacob vnd Gebhart Ertzbiſchoff zu Trier/ erwölter zu Cöllen/ des heiligen Römiſchen Reichs durch Gallien/des Königreichs Arelaten vnd Italien Ertzcantzler/vnd Churfürſten/Hertzog zu Weſtphalen vnd Engern/Julius biſchoff zu Würtzburg/Hertzog in Francken/ Werner Herr zu Gimenich/Landtroſt des Für-

Fürſtenthumbs Gülich/Johan Lauwerman/vñ Herman Rinck/ beyde der Rechten Licentiaten/vnd Probſt zu Cleue/ Fürſtliche Güliſche/ vnd zu dieſer ſachen geuolmechtigtẽ ſubdelegirtẽ Rhät/ Ott Heinrich Graff zu Schwartzenburg/ Herr zu Hohenlandtsberg/Römiſ. Kay. May. Rhat / vnnd oberſter Hoffmärſchalck / entbieten den Hochgeborn/Würdigen/Wolgebornen/Edlen/Veſten / Erſamen / Fürſichtigen / vnnd Weiſen den general Stenden der Niderlanden vnſer freundlich dienſt/gunſt/gnad/ alles guts / auch gantz willige / freundliche dienſt: Vnd fügen E.L.L.euch/ewer F.G.vnd euch/hiemit freundlich/günſtig/gnedig vñ freũdlich zuwiſſen: Als der allerdurchleuchtigſt/ Großmechtigſt/ vnd Vnüberwindtlichſt Fürſt vñ Herr/Herr Rudolff der Ander/ erwölter Römiſcher Kayſer / zu allen zeiten mehrer des Reichs in Germanien/zu Hungarn / Behaim/Dalmatien / Croatien vnd Sclauonien/2c. König/Ertzhertzog zu Oeſterrich/Hertzog zu Burgũd/Steyr/Kärndtẽ/Crain vñ Wirttenberg 2c. Graff zu Tyrol 2c. vnſer allergnedigſter Herr/vns die Pacifications handlung zwiſchen dem Durchleuchtigſtẽ/ Großmechtigſtẽ Fürſtẽ vñ Herrn/Herrn Philippẽ König zu Hiſpanien/2c. vnſerm lieben Herrn/freũd/ vñ gnedigſten Herrẽ/ an einem/ vnd dan ewer L.L.ewer F.G. gunſten/vnd euch / anderntheils / allergnedigſt committirt vnnd beuolhen/ vnnd wir jhrer Kayſ. May. zu ſchuldigem gehorſam/der Kön. W. zu Hiſpanien/ auch eweren L.L F.G.vnd euch/zu freundſchafft/gunſten/gnadẽ/gemeiner wolfart zum beſten / vnnd furnemblich die allerſeitz Partheyen / auß dem ſchädlichen mißtrauwen / täglichen hohen beſchwerden / widerumb in gutten vorſtand/ruhe vnnd frieden zuſtellen/ ſolch hochwichtig werck vnd ſchweren laſt auff vns genommen / deßwegen kurtz verruckter tagen von jhrer Maieſt. benenter malſtatt hie in der Stadt Cöllen perſonlich einkommen / vnnd alßbald bey vns auß vnſerm mittel / volgents durch ewere L.L. ewer F.G vnd ewere Beuelhabern vmb Kayſerlich gleidt/vnd ſicherheit/für die jenigen/ ſo ſie auß jhrem mittel/oder von jhrentwegen hieher gehn Cöllen zur tractation vnd handlung abordnen vnd fertigen würden/ frey vnd vnbeſorgt mit jhren leiben/haaben/güttern/dienern/ vñ wen ſie bey ſich haben werden/zu Waſſer vnd Land zu vnnd abziehen/vnnd reiſen möchten / anlangen vnnd erſuchen laſſen.

Wann dañ Hochgedachte Kay. May. vnſer aller gnedigſter Herr/ vns zu ſolcher friedens Tractation/vnd was darzu dienlich vñ nötig jhren Kayſerlichen gewalt allergnedigſt anbeuolen/vnd committirt/vnd wir die Güliſche Fürſtliche Rhät/võ vnſerm gnedigſtẽ Fürſtẽ vñ Herrẽ zu Gülich darzu ſubdelegirt/vnd mit gnugſamem gewalt vñ beuelch verſehen/So haben wir ſolch zimblich billich begern ewern L.L.ewern

F.G.gunſten vnd euch nit verwaigern wöllen. Bekennen derowegen
hiemit offentlich/vnd thun kund allermenniglich in krafft diſes vnſers
offnen Brieffs/daß wir an ſtatt vnd von wegen der Römiſchen Kayſ.
May.vnſers allergnedigſten Herrn/ deren platz vñ Persone wir in die-
ſer ſachen auß anbeuolener Commiſsion verwalten/ allen vñ jeden E.
L L.ewern F.G.gunſten/vnd ewern Geſandten/ Mandatarien/Pro-
curatorn/ Beuelhabern vnnd deputierten zu jetz vorſtehender Paci-
ficationshandlung hieher verordnet haben/oder noch verordnen vnnd
abfertigen würden/was ſtands/weſens/oder würden die ſeyn würdē/
ein frey ſicher/vnbeſorgt/ſtrack Kayſerlich gleidt gegeben haben/ geben
vnd thũ ſolches wiſſentlich hiemit in krafft dieſes/dergeſtalt/daß ſie eu-
wer L L.ewer F.G.gunſtē/ vñ ewere Geſandtē/ Mādatarij/Procura-
tores/Beuelhaber/vñ deputirte/mit jren leiben/leuten/ dienern/ haabē
vnd gütern/vñ wen ſie vngeuerlich bey ſich haben werden/zu Roß oder
fuß/zu Waſſer vnd Land/frey/ſicher vñ vnbefahrt hieher gen Cölln in
die Statt kom̃en/darin zu jhrer notturfft vnd gelegēheit ſich vnderhal-
ten/zu/vnd widerũb ab in jregewarſam ſo offt es jnen geliebt/ vñ jr not-
turfft erfordert/ſicherlich vnd vnbefahrt ziehen vnd reiſen/jhren beuelch
verrichten/vñ den ſachen abwartē mögen/ vnuerhindert menniglichen.

Gebieten derwegen auß Kayſerlicher/ in dieſer ſachen anbeuole-
nem gewalt allen vñ jeden des H Reichs Churfürſten: Fürſten/Prela-
ten/Graffen/Herrn/von Adel/Stettmeiſtern/ Burgermeiſtern/Rhä-
ten/Stetten/Communen/Gemeinden/ vnnd allen der Kayſerl. May.
vnſerm allergnedigſten Herrn / vnd dem heiligen Reich vnderworffen-
nen vnd zugethanen Ständen vñ Vnderthanen/Geiſtlichen vñ Welt-
lichen /was würden/ſtands/oder weſens die ſeyen/bey jrer Kay.May.
vngnaden/vñ ſchweren vnnachleſſigen ſtraffen/fur vns einen jeden ſei-
nes ſtādts/brüderlich/freũdlich erſuchend/vnd vermanen/daß ſie wöl-
len jnen den obgenanten der Niderländiſchen Stānd hieher verordnetē
Geſandten/Mādatarien vnd Beuelhabern/ jren leuten/ Dienern/lei-
ben/haaben/gütern/ vñ die ſie vngeuerlich mit ſich bringen/ diſes vnſer
Kayſerlich glaidt: ſtrack/ rein/ ſicher/vnnd vnbefahrt halten/ dargegen
nit betrüben/beſchweren oder hindern/beſchweren oder betrüben laſſen
in keinerley weiſe/ſonder frey / ſicher / vnbeſorgt / mit jhren leiben / leu-
ten/Dienern/haab vnd gütern/zu Waſſer vnd Land / wandern/ paſſi-
ren/ ab vnd zuziehen laſſen / vngezweiffelter zuuerſicht/es werden ſich
hingegen ſie ſamptlich/vnnd jhr jeder inſonderheit/ aller beſcheidenheit
vnd glaidtlich erzeigen vnd verhalten. Alles ſonder gefahr vnd argeliſt/
an deme allem beſchicht/neben der gebür vnd billigkeit/der Kay. May.
ein ſchuldiger/vndertheniger/gehorſam / vnnd angenem gefallen / für
vns in freunſchafft/ gunſten/gnaden/vnnd allem gutten zuerkennen/

auch

auch vnderthenigſt/ vnderthenig/ vnd freundlich zůuerdienen vnd zu beſchulden. Datum Cöllen den eilfften tag Aprilis/ in den jahren vnſers lieben Herrn vnd Seligmachers fünffzehenhundert/ vnd in dem neun vnd ſiebentzigſten jahr.

Num. IIII.

WIR Gebhart von Gottes gnaden erwölter zu Ertzbiſchoffen zu Cölln/ des H. Römiſchen Reichs durch Italien Ertzcantzler/ vñ Churfürſt/ Hertzog zu Weſtphalen vnd Engern/ ꝛc. Thun hiemit kund/ gegen menniglich bekennend/ Nachdem die Röm. Kayſ. Maieſt. vnſer allergnedigſter Herr/ auß Chriſtlichem/ friedliebendem/ Vätterlichem eyfer vnd zuneygung/ damit die hochbeſchwerliche Kriegswefen vnnd vnruhe der Niderburgundiſchen Erblanden abgethan/ friede/ ruhe vnnd einigkeit daſelbſt widerumb angeſtifft vnnd gepflantzt werden möcht/ auff beyderſeits der ends ſtreittenden theilen bewilligung eine Pacifications handlung/ anhero in vnſere Stadt Cöllen anbeſtimpt/ vnns neben andern vnſern Brüdern/ Neuen/ Vettern/ mit Churfürſten/ Fürſten/ vnſern lieben Herrn/ freunden vnd beſondern/ darzu gnedigſt verordnet vnnd deputiert/ Wie wir vns dann ſolcher Deputation höchſtgemelter Kayſerl. Maieſt. zu vnderthenigſtem gehorſam/ gemeiner wolfart/ vnd obgemelten Landen vnnd leuten zum beſten vnderzogen/ Vnnd dann jetzo von dem Durchleuchtigen vnnd Hochgebornen Fürſten/ Herrn Mattheiſſen/ Ertzhertzogen zu Oſterreich/ Hertzog zu Burgundi/ Steyr/ Kärndten/ Crain vnd Wirtemberg/ Graff zu Habſpurg vnd Tyrol/ ꝛc. ſort den auch Hoch vnd Wolgebornen/ Würdig/ Erſam/ Hochgelehrten vnd Vorſichtigen gemeinen Stenden derſelben Landen/ vnſern beſondern lieben freunden vnd beſondern/ vmb vnſere Paßport vnd Saluaguardi jrhe abgeordneten vnd Geſandten frey/ ſicher durch vnſere Lande vnd gebiet/ zu alſolchem angeſtimpten tag vñ malſtatt raiſen möchten/ mitzutheilen/ ſo ſchrifftlich als mündlich erſucht vñ gebetten worden: Daß wir dennach vorgemelte Geſandten zu obangeſetztem tag vñ malſtatt mit jren dienern vnd beyhabendem gezeng durch vnſer Ertzſtifft vnd gebiet/ zu Waſſer vñ Land zu raiſen vnd zu ziehen vnſer frey/ ſicher/ ſtarck vorwart/ gleid vnd ohnſicherheit gegeben haben/ thun auch ſolchs hiemit krafft dieſes vnſers offnen Brieffs/ für vns/ vnſern Landen/ Leuten/ Vnderthanen/ vnd allen den jenigen/ deren wir vngeuerlich mechtig ſeyn/ vnnd vmb vnſern willen thun vnd laſſen ſollen vnd wollen: Jedoch daß ſich obgerürte abgeordneten neben jhren dienern vnd zugegebnen gegen vnſere Vnderthanen/ Land vñ leut ohnbeſchwerd/ ſonder gleidlich verhalte.

Beuelhen darauff allen vnd jeden vnſern Amptleuten/Amptsuerweſern/Vögten/Schultheiſſen/Zölnern/Kelnern/Burgermeiſtern/Räthen/vnnd ins gemein allen vnſern Dienern/dieſer vnnd jener ſeiten Rheins/hiemit ernſtlich/ vnd wöllen/ daß jhr vielberürten Verordneten vnd Geſandten ſolchs vnſer gegeben gleid faſt/ſteet vñ vnuerbrüchlich haltet/darwider ſie/doch auff vorangedeute maß/jhres gleidlichen verhaltens nit beſchweret/noch beſchweren laſſet/bey vermeydung vnſer ſtraff vnd vngnad. Daran beſchicht vnſer ernſter beuelch/ will/vnd meynung. Vrkund vnſers hierunden auffgetruckten Secrets. Geben in vnſerer Stadt Cöllen den viij. Aprilis/ im 1579. jahr.

Gebhardus manu prop. ſſſt.

Johan Kemp ſſt.

Num. V.

VON Gottes gnaden/ Wir Wilhelm Hertzog zu Gülich/ Cleue/ vnd Berg/ Graff zu der Marck vnnd Rauenſberg/ Herr zu Rauenſtein/ ꝛc. Thun kund/ vnnd fügen damit vnſern Landtroſten/ Amptleuten/ Vögten/ Richtern/ Schultheiſſen/ Botten/ Burgermeiſtern/ Rähten/ Gemeinden vnſerer Fürſtenthumb vnd Landen/ vnnd ſonſt allen vnd jeden/ was würden/ weſens oder ſtands die ſeyen/ denen diſer gegenwertiger Brieff vorkompt/ oder darmit erſucht werden/ zuwiſſen/ Was maſſen der Durchleuchtigſt/ Hochgeborner Fürſt/ vnſer freundlicher lieber Vetter vnnd Schwager/ Herr Matthias/ Ertzhertzog zu Oſterreich/ Hertzog zu Burgundi/ Steyr/ Kärndten/ Crain vnd Wirtemberg/ Graff zu Habſpurg/ vnd Tyrol/ vns ſampt den gemeinen Niderlendiſchen Stenden durch Schrifften zu erkennen geben/ wie ſie zu der jetzt gen Cöllen/ zu der beuorſtehenden fridens Tractation ein anſehenliche Bottſchafft dahin abfertigen zulaſſen gemeint: Zu dem ende dann vnſere Paßbrieff vnd Saluaguardien mitzutheilen freundlich vnnd dienſtlich erſucht/ Daß wir demnach jhnen dieſelbe/ beuorab in dieſem nutzen/ heilſamen werck nit zuuerweigern gewiſt. Beuelhen darauff allen vnd jeden vnſern Amptleuten/ Beuelhabern vnd Vnderthanen/ obgemelte/ berürte Bottſchafft ſampt jren beyhabenden Dienern/ Pferden vnnd gezeug/ da ſie vnſere Fürſtenthumben/ Lande vnnd gebiet/ es were gleich zu Waſſer oder Lande/ berüren vnd hindurch raiſen würdẽ/ nit allein gleidlich ohne einiges auffhalten paſſieren zu laſſen/ ſonder auch auff jhr anſuchen mit lebendigem gleid zuuerſorgen/ vnnd nit zu geſtatten/ daß jhnen einiger vnbefugter gewalt zugefügt/ ſonder viel mehr alle gute befürderung vnnd vorſchub erzeigt werde. Das wöllen wir vns alſo zu menniglich vnnd

einem

einem jedern beſonder dergeſtalt verſehen / wie dann darab vnſere gefellige meynung beſchicht. Vrkund vnſers gewonlichen Handzeichens/ vnnd hierauff getruckten ſecret Siegels. Geben auff vnſerm Schloß zu Monreberg/ am zehenden Monatstag Aprilis / im fünffzehenhundert/ vnd neun vnd ſiebentzigſten Jahr.

Wilhelm Hertzog zu Gülich/ ꝛc.

Num. VI.

PHILIPPVS Secundus, Dei gratia, Rex Caſtellæ, Legionis, Arragonum, Nauarræ, Neapolis, Sicilię, Maioricarum, Sardinię, Inſularum Indiarum, & terræ firmę Maris Oceani, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Geldriæ, & Mediolani, Comes Habſburgi, Flandriæ, Artheſiæ, Burgundię, Palatinus, & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, & Zutphaniæ, Princeps Zeuuiæ, Marchio Sacri Romani Imperij, Dominus Friſiæ, Salinarum, Mechliniæ, Territorij Traiectenſis, citra & vltra Iſſulam, & Grœningæ, necnon Dominator in Aſia, & Affrica, &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentibus, vniuerſis: Quòd cùm ex parte Sereniſsimi, & Potentiſsimi Principis, Domini Rudolphi, Romanorum Imperatoris, Augusti, conſanguinei, affinis, & fratris noſtri chariſsimi propoſitum nobis fuerit: vt ad ſedandos noſtrarum inferioris Germaniæ ditionum tumultus, de aliquibus concordię conditionibus agi permitteremus. Nos, qui amore paterno eos Status vnicè proſequimur, nihilque hactenus ſtudioſius curauimus, in ijs omnibus, quæ ibi geſta ſunt, quàm vt illos ad quietem illis vtiliſsimam reduceremus, nunc quidem etiam libenter in eandem ipſam cogitationem, & voluntatem venimus. Itaq; cùm prædictus Sereniſsimus Imperator Commiſſarios, qui de ipſis conditionibus agant, ſit nominaturus, Nos itidem elegimus, nominauimus, & deputauimus, ſicut tenore præſentium eligimus, nominamus, & deputamus Illuſtrem, fidelem noſtrum, dilectum Don Carolum ab Aragonia, Principem Caſtriueterani, Ducem Terrenouæ, Marchionem Auolæ, Comitem Burgedij, conſanguineum noſtrum, Magnum Conneſtabilem, & Admirantum, conſiliariumq; in noſtro vlteriori Sicilię Regno propter ſingularem opinionem & fidem quam de ipſo, eiusque integritate & prudentia habemus, deque eius optimo zelo, quem erga Dei cultum & communem Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem, necnon erga priuata noſtrarum rerum & ſtatuum commoda ſtudioſiſsimè gerit, eidemque propterea poteſtatem, facultatem, authoritatem, commiſsionem & ſpeciale mandatum damus, concedimus & elargimur, vt pro nobis, noſtroq; nomine interſit, & aſsiſtat, vna cum præ-

dictis

dictis Commiſſarijs ab eodem Sereniſs. Imperatore nominandis, & cum alijs quoque ab ijſdem noſtris Statibus inferioris Germaniæ perſonis deputandis, ſufficientia mandata ad eandem rem habentibus in loco ad eam congregationem, & conuentum per prædictum Sereniſs. Imperatorem deſignato, ſeu deſignando, vt ibidem dictus Dux, tanquam Commiſſarius, & Mandatarius noſter proponere, communicare, approbare, & concedere poſsit & valeat, quæcunque media, conditiones & articulos, quos, ſeu quæ ipſe viderit expedire, ad bellicos motus in dictis noſtris Statibus ſedandos, & firmã pacem, concordiam & tranquillitatem ibidem conſtituendam, vt & pacificè viuant (quod maximè illorum refert) & religionem Catholicam Romanam, noſtramque auctoritatem & obedientiam ſeruent, & generaliter & noſtro nomine, ac pro nobis dicere, tractare, facere, promittere & concedere poſsit, & valeat, quæcunque ad prædictum finem & effectum conſequendum, oportuna & conuenientia eſſe iudicauerit, & quæ nos ipſi, ſi præſentes ibi eſſemus, faceremus, facereque poſſemus, & ſi talia eſſent, quæ mandatum exigerent maius ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum, promittentes in fide, & verbo Regis, & Principis, nos gratum, ratum, firmum & ſtabile perpetuò habituros, quicquid per dictum Ducem Terræ nouæ, virtute huius noſtri Mandati & Commiſsionis dictum, pactum, factum, vel conuentum fuerit, illudque inuiolabiliter & abſque vlla diminutione obſeruaturos, impleturos, obſeruari & impleri facturos. Harũ teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, ſigillique noſtri appenſione munitarum. Datum in Oppido noſtro Madrito, die xxx. Menſis Auguſti, Anno à natiuitate Domini milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo octauo, Regnorum autem noſtrorum, videlicet Hiſpaniarũ & vlterioris Siciliæ xxiij. citerioris verò Hieruſalem & aliorum xxv.

Sic ſubſcriptum, Philippus.

Ad mandatum Regiæ & Catholicæ
Maieſtatis proprium

Gab. à Cayas ſſt.

Num. VII.

HOchwürdige Chur vnd Fürſten/ Auch Edle/ Veſte/ Würdig vnd Gelehrte/ Vnſer freundlich dienſt/ vnnd was wir ſonſt mehr liebs vnnd guts vermögen/ auch vnſern gruß/ vnd gnad zuuorn/ geliebte Herrn/ freund/ vnd liebe beſondere: Nachdem es der Röm. Kayſ. Maieſtat/ vnſerm allergnedigſten Herrn vnd Brudern/ auß einem Chriſtlichen vnd friedliebenden/ Vätterlichen gemüt/ auff vorgehende der Königl. Würden

zu Hiſ

zu Hiſpanien/ꝛc. bewilligung / mittels Göttlicher gnaden / durch jhre Kayſerliche interceſſion in der Stadt Cöllen eine friedshandlung zu pflegen/vnd dieſe betrübte Landen vnnd Vnderthanen von dem langwerenden/ hochſchädlichen Krieg dardurch zu entheben / allergnedigſt geliebẽ können/ Warzu dann auch ewer L.L. vnnd jhr/ ſich perſonlich zu bemühen vnd gebrauchen zulaſſen ſo freund vnnd gutwilliglich erſcheinen. Vnd dann wir neben dieſen Landtſtenden auch nichts liebers von dem Allmechtigen dann einen beſtendigen / Gottſeligen frieden wünſchen können noch mögen / Als haben wir auff alſolchen friedlichen tag / den Hochgebornen Fürſten / Philipſen von Croy / Königl. Würden zu Hiſpanien/ ꝛc. Rittern des gulden Vellis / Hertzogen zu Arſchott/ Printzen zu Chymay vnd Porcien/ Graffen zu Beaumont vnd Sennigen/ ꝛc. vnſern freundlichen lieben Ohmen / Auch die Ehrwürdig/ Ehrnveſt vnnd Gelehrte/vnſere lieb e beſondern / Johan von der Linden / Prelat zu Sanct Gertrud in Löuen / Friederichen von Dyne/ Prelat zu Marolles/ beyde vnſere vnnd des Rahts von State Rähte / Bucho Aytta / Probſt zu Sanct Bano in Gent / Ertzdechant zu Ypern/ Caſparn Schetz/ Herrn zu Grobendonck/haupt vnd Treſorirn generaln der Finantz/Frantzẽ Doignes/ Herrn zu Beaurepaire/Beaumont/ꝛc. Adolffen von Meeckercke/vnſern vnd des Rahts von State Raht/ Adrian von der Mylen/beyder Rechten Doctorn/ Bernhardten von Merode Rittern/ Herrn zu Rumme/Adolffen von Goer/ Herrn zu Kaldenbruch / vnnd Aggeus Albada/ beyder Rechten Doctorn/ gen Cölln mit inſtruction vnnd volkommenem beuelch abgefertiget/ die ewer L. L. vnnd jhr / von jhnen gegenwertig vernemmen werden. Vnnd erſuchen demnach E. L. L. vnd euch/ hiemit gantz freundlich vnnd gnedigſt/ die wöllen denſelben vnſern vnd diſer Stende Geſandten nit allein in jhrem anbringen / vnnd allem deme / ſo ſie ewer L. L. vnd euch / in vnſerm namen fürtragen werden/ gleich vns ſelbs volnkommenen glauben gebeñ / ſondern auch ſich darauff alſo freundlich vnnd gutwillig erzaigen / wie ſolches E. L. L. als friedfertigen Churfüſten vnd Fürſten/ vnnd euch/ als fürnembſten Gliedern vnnd Verwandten des heiligen Römiſchen Reichs/zu troſt diſer hochbekümmerten Niderlanden/vnnd volnbringung eines Göttlichen vnd beſtendigen friedens gebürt / vnnd zu thun wol wiſſen werden / Wir auch vns deſſen alſo zu denſelben gentzlichen verſehen/ vnnd mit angemer freundſchafft dienſtlich zuuerſchulden / auch mit gnaden zu erkennen jeder zeit wol bereit ſeyn. Datum Antorff den xxiiij. Aprilis/ Anno M. D. LXXIX.

MAtthias von Gottes gnaden Ertzhertzog zu Oſterreich/ Hertzog zu Burgundi/ Steyr/ Kärndten/ Crain vnnd Wirttemberg/ Graff zu Habſpurg vnnd Tyrol/ durch allgemeine Niderlendiſche Stend eintrechtiglich angenommener vnd erwölter Gubernator vnd Capitany general/ ꝛc.

Matthias ſſt.

J. von Langen ſſt.

DEN Hochwürdigen Chur vnd Fürſten des H. Reichs/ Auch Edlen/ Veſten/ Würdig vnnd Gelehrten/ an jetzo wegen der Röm. Kayſ. Maieſt. deputierten vnd ſubdelegierten Räht vnd Bottſchafften in der Stadt Cöllen/ ꝛc. vnſern lieben Herrn/ freunden/ vnd lieben beſondern.

Num. VIII.

Que le Gouuernement general deſdicts pays demeurera ès mains de Monſ. l'Archiduc Matthias, ſoubz les conditions par luy iures. Et aduenant ſon treſpas, ou qu'il ſe vouſiſt retirer ailleurs. Que ſa Maieſté ne pourra commettre

 aultre

aultre Gouuerneur ſi non aggreable aux Eſtatz, de ſes enfans, ou ſon ſang legitime, leſquels ſeront tenuz de iurer les meſmes articles & conditions, ſur leſquelles a eſté receu mon Seigneur l'Archiduc.

XIII.

Que nulz ne ſeront, doreſenauant admis pour eſtre Gouuerneur des Prouinces, villes, chaſteaux & fortreſſes, pour eſtre Capitaines ou Chiefz de gẽs de guerre, ny pareillement aux conſaulx d'Eſtat priué & finances, ou aultres offices d'importance, fors que naturelz, & bien qualifiez du pays, ayãt ſuyuy le party des Eſtatz comme deſſus & aggreables aux prouinces & villes, ou ilz ſeront enuoyez. Qui prealablement & auant leur reception ſeront tenuz de iurer ſolemnellement ceſte paix, & particulierement auſſi de maintenir & enſuyure les priuileges, couſtumes, droicts, & vſance generaulx & particuliers du pays, & promettray par ſerment, au cas qu'ilz apperceuſſent ſe traicter quelque choſe au preiudice d'icelluy d'en faire aduertance aux Eſtats generaulx & particuliers des pruuinces, a peine d'eſtre tenuz pour pariures.

XIIII.

Et comme le pays eſt tombé en ces calamitez & miſeres prouenuez de la guerre, cauſée par l'infraction de feu le Seigneur Don Iehan, & que meſmes auſſi les Eſtats ont eſté contrainctz de debourſer grandes ſommes de denieres aux Coronelz. Capitaines & ſoldatz que eſtoient a la priue charge de ſa Maieſté, ſoubz aſſeurance, que le pays auroit eſté a l'aduenir tenu en tranquillité & paix, que ſa Maieſté rembourſera les Eſtats des ſommes par eulx payees auſdicts gens de guerre, du moins iuſques á la ſomme d'vng million d'Eſcus, les dechargeant auſſi de la reſt des obligations donnees auſdicts gens de guerre, pource que les conditions, ſoubz leſquelles ont eſté promiſes, n'ont eſte enſuyuiez, ny accomplies.

XV.

Et pour aultant que les Eſtats ſe treuuent obligez a la Sereniſſime Royne d'Angleterre, pour la bonne amitié, voiſinance, & aſſiſtence, Dont elle a vſée en leur endroict pour le bien du pays, ſera cõprinſe en ce traictie d'vne part & d'aultre, en corroboration des anciennes alliances conſeruees touſiours entre les Princes, tant d'icelle Couronne, que des pays bas.

XVI.

Pareillement ſera comprins audict traictié Monſeigneur le Duc d'Aniou, frere du Roy treſchreſtien, comme defenſeur de la liberté des pays bas, auec la recognoiſſance de ſon Alteze, telle que leſdicts Eſtatz luy ont promis de propoſer & reſouldra qui tant liberallement & valeureuſement s'eſt employé a la defence & conſeruation d'iceulx. Comme auſſi ſeront comprins tous aultres alliez & confederez deſdicts Eſtatz.

XVII.

Lon

L'on ſupplier a ſa ſainctetè & Maieſtè Imperialle, le Roy, treſchreſtien Royne d'Angleterre, Monſeigneur le Duc d'Aniou, defenſeur de la libertè du pays bas, tous Electeurs Princes d'Allemaigne, & le Duc de Cleues, comme zelateurs du bien & repos de la Republicque Chreſtienne, qu'il leur plaiſe maintenir, que ce traictie & appoinctement ſoit en tous ſes poinctz effectueè & accomply, & inuiolablement obſerueè.

Et ſera ce preſent traictie & appoinctement confirmè par ſerment reciprocque ſolennel, & ſur les ſainctes Euangiles, Et par ſa Maieſtè aggreè & approueuè, en dedans le terme de deux mois, ou pluſtoſt, ſi faire ſe peult. Faict a Couloigne le 17. de May, 1579.

Num. XIX.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GE*neroſi, Nobiles, S. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.*

QVAE Celſ. & Dign. veſt. placuit heſterno die contra articulos ab Illuſtriſs. Duce Arſchotano, & nobis Ordinum legatis exhibitos, quaſi paulo eſſent duriores, atque etiam contrarij prioribus pactis, & conuentis, obijcere & declarare cum amica, benigniſsima, & beneuola petitione & exhortatione, vt media moderatiora, & quæ illis pactis propiora eſſent, proponeremus, quo etiam, quantum intelligere potuimus, inſtructio, quæ à S. Cæſ. Maieſt. Celſ. & Dign. veſtris data eſt, ſeſe dirigit: Ad ea, quæ latius per dominum Cancellarium deducta & explicata fuerunt, hæc noſtra reſponſio eſt.

Articuli, quos mediorũ loco exhibuimus, ſunt ij, qui Illuſtr. Duci, & nobis petendi, & agendi à Sereniſs. Archiduce Auſtriæ, Gubernatore, & Capitaneo generali, & Ordinibus mandati & traditi ſunt.

Nec ipſi vllo modo videre poſſumus, eoſdẽ illos Articulos tantã duritiam in ſe continere, quę in iuſtam reprehenſionem venire poſſit, nec etiam vllus articulus eſt, ſi rectè cõſideretur, qui prioribus pacificationibus contrarius ſit: Sed agnoſcimus quædam addita, tum propter præſentes neceſsitates, tum maioris declarationis gratia: quę omitti potuiſſent, ſi Dominus Ioannes Auſtriacus fidem, quam Ordinibus dederat, in iſtis non fefelliſſet, nec etiam Baro de Sellis, Regius. Legatus poſtea declaraſſet, voluntatem Regis non eſſe, vt ea, quę ibi pacta & conuenta eſſent, obſeruarentur: Nihil tamen additum putamus, quod à Regia pietate hoc ſtatu rerum non poſsit, aut debeat impetrari, aut quod non ex priuilegijs & iuribus noſtris deberi nobis, clariſsimè docere poſsimus.

Quamobrẽ optaſſemus, Celſ. & Dig. veſt. placuiſſet duritias iſtas & cõtrarietates in ſpecie nobis indicare. Non enim oẽs Articulos pro talibus haberi exiſtimamus, nõ ſolũ ſolicitudini veſtrę, quoad duritias

& con-

& contrarietates iſtas, fortaſsis ſatisfeciſſemus. Sed & melius, & ad rem propius etiam minime reſpondere potuiſſemus. Similiter etiam optaſſemus nomine Regiorum legatorum nobis declarari, quæ media ipſi propoſuerint, an gratæ illis ſint priores pacificationes: quod ſi gratæ illis ſunt, fruſtra ſibi & nobis tantas miſerias & calamitates ab eo tempore induxerunt.

Nihilominus, vt cognoſcant Celſ. & Dig. V. nos nihil, quam quod pium & iuſtũ eſt, proponere, nec deſiderare, primo, circa quæ diſsidium, vel potius aberratio inter ſereniſsimum Regem Principem & dominum noſtrum naturalem, & Ordines verſetur, indicabimus: deinde, in quibus iam ante conuenimus, & quid adhuc definiendum reſtet, oſtendemus. Ita poterunt Celſ. & Dign. V. non ſolum æquitatem articulorum, ſed & ſtatum totius negotij facilius intelligere.

Duo ſunt præcipué, circa quæ eſt aberratio. Vnum circa religionem, alterum circa authoritatem. Quæ præterea vel olim, vel nunc ſunt in controuerſia, aut ad reſtitutiones & emendationes ablatorum, & iniuriarum, aut ad ſecuritates vtrinque præſtandas pertinent, quæ cauſam & originem habent ex bello, quod tanto tempore geſtum eſt: primis ergo capitibus tranſactis & compoſitis, ſperamus facillime & iſta tranſigi & componi poſſe.

Articulus de Religione præ cæteris grauiſsimus eſt: ex ea ratione, quod religio non ad homines, ſed ad Deum ſpectet, & non hominibus, ſed Deo præſtari debeat: cui non minus Rex, quam populus ſubiectus eſt: ſed & vtriſque tum Regi, tum Populo ex æquo obſeruatio eius præcepta eſt, & ex æquo etiã ambo vel vitam, vel mortem æternam ſperant, & metuunt, ſi aut benè aut male in Religione verſati fuerint. Itaque ambo etiam & Rex, & Populus (cum populum dicimus, ſimul etiam vnumquemque ſingulatim intelligimus) Deo iuxta ſuam conſcientiam ſeruire poſtulat.

Iſtius conſideratione, & quod etiam experimento nimis verum eſſe didicerunt, parum vim & arma ad propagationem, & conſeruationem religionis conferre: De in, prout nolunt ſuis conſcientijs vim vllam adhiberi, ita legi Dei non conuenire, vt ipſi aliorum conſcientijs vim vllam adhibeant.

Illorum ergo conſideratione, primum in pacificatione Gandauen. conſenſu Conſilij Regij, deinde etiam in pacificatione Bruxellenſi, quæ à Rege comprobata eſt, omnia edicta, quæ contra aſſertos hæreticos lata fuerant, ſuſpenſa ſunt, & in effectu abrogata.

Quo facto omnino confidimus Seren. Regem ſaltem tacite oſtendere voluiſſe, ſe non ſtatuiſſe vllum poſthac ad religionem ſuam cogere, ſed vnicuique permittere, vt domi ſuæ in quocunque loco habitet, ſine vlla perſecutione, & offenſione libere pro ſua conſcientia Deo ſeruire poſsit. Hoc ergo vnum eſt, quod conceſſum, et conuentum eſſe putamus, et concordat cum lenitate, et voluntate Chri-

ſti,

ſti, cum vſu primitiuæ Eccleſiæ, & cum doctrina Patrum.

Quòd verò definitum non eſt, ad publicum exercitium religionis pertinet: eſt tamē in eò quoque in dictis pacificationibus conuentum, quod Sereniſs. Rex noſter Ordinum arbitrio hanc rem commiſerit.

Circa iſtud primum attendi cupimus, nos indies videre & experiri, quo maior vis Religionis nomine hominibus inferatur, eo ſtatū Cathol. Rom. Eccleſiæ deteriorem fieri: imo manifeſtè deprehendimus, cum Regis conſilium & propoſitum non ſit aliud, quàm Cath. Romanam Eccleſiam, eiuſque cultores conſeruare, tueri, ác defendere: eius tamen Vicarios, & exercitum ſemper perdendis, & deſtruendis ijs occaſionem præbuiſſe, & adhuc occaſiones præbere hodie.

Ordines verò ſibi mutuo condolentes, cum Regi hactenus non libuerit, in tanta membrorum ſuorum diuulſione, & infirmitate per præſentiam ſuam ijs opitulari, & ſuccurrere, nec ipſis amplius aditus ad Regem, niſi cum vitæ diſcrimine pateat, vt veritatem ſtatus corporis ſui cognoſcere poſsit, conati ſunt, ſe ipſos varijs remedijs recreare. Sed cùm caput ipſis aduerſum ſit, & cōtrarijs remediis, quàm membris conueniat, vtatur, quos Rex potiſsimum conſeruatos voluit, eorum cōditionem & facultates de die in diem in peius vergere, & dilabi animaduertimus.

Quomodocunque iſtud accidat, hoc certum eſt, euenta omnia oſtendere, & demonſtrare media, quibus Rex cōtra nos vtitur ad eum finem, cui Maieſtas eius iſta deſtinauit, non ſeruire, ſed prorſus contraria operari. Ergo non eo loco, quo bona, ſed quo mala haberi debent.

Magnum myſterium eſt Religio Chriſtiana, ad quam promouendam & conſeruandam, Deus non impio milite, non arcubus, & gladiò, ſed ſpiritu ſuo, & paſtoribus à ſe miſsis vtitur.

Sed ne longius à propoſito noſtro digrediamur, ex his cauſis, quas modò breuiter áttigimus, Sereniſs. Regem, Dominum, ac Principem noſtrum naturalem demiſiſsimis animis rogatum volumus, vt placeat Maieſtati ipſius ſemel à medijs, quibus nunc vtitur, clementiſsime deſiſtere. Quàmdiu in his anguſtijs & miſeriis conſtituti ſumus, nec Ordinibus, nec ſubditis vlla requies ſuppetit; vt ſuper iis, quæ ad pietatem, quò ad Deum, & Maieſtatem eius, pertinent, ita, vt oportet, intenti eſſe poſsint. Sed omnes in eo laborant, quo ſe aduerſus iniurias Hiſpanorum defendant; & tueantur.

Neutros tamen pertinaciter in opinione ſua perſeuerare velle, exiſtimandum eſt, nec Regis voluntati, quò ad Religionem veram, vllo modo reſiſtere, ſi poſtea quieti reſtituti repererint, ſe in aliquo articulo aberrare: Quis enim eſt, qui ſciens ſe ipſum æternis cruciatibus dedicare velit? Quapropter obnixiſsimè Ordines rogant, quod ad publicum exercitium alterius Religionis, quàm quæ Cath. Rom.

eſt attinet, quod poſt prædictas pacificationes pluribus in locis, quam ante erat, introductum & inſtitutum eſt, vt pro neceſsitate, in qua conſtituti ſumus, & ex cauſis, quas ſupra enarrauimus, Rex hãc beneuolentiam, & amorem prouincijs noſtris clementiſsime præſtare velit, vt placeat Maieſt. ſuæ, eos ſubditos, qui ſunt alterius religionis, in hac parte quoque conſcientijs ſuis relinquere, & religionis publicum exercitium iuxta tenorem articulorum, qui à nobis exhibiti ſunt, indulgere.

Hanc vnicam viam vnà cum vera pœnitentia eſſe putamus, qua Dei iram erga nos auertere poterimus. Quod aliis fortaſsis mirum videbitur, nobis autem non ita, qui inter calamitates iſtas didicimus, regimen animarum, & conſcientiarum ad ſolum Deum pertinere, eumque verum religionis læſæ vindicem eſſe, item vnicum hunc eſſe modum, quo & Regi Cath. Domino, ac Principi noſtro naturali debita ſua obedientia reſtituatur, & nos ipſi inter nos ad mutuam concordiam, & amorem redeamus,

Qui modus propterea etiã magis amplectẽdus eſt, quod iã multis euentis eum ad concordiæ, & pacis conſtitutionem inter Principem, Magiſtratum, & Populũ vtilem, & ſalutarẽ eſſe, in multis regnis, Prouinciis, & ciuitatibus comprobatum ſit. Atque hæc de religione.

Secundum, in quo diximus aberrationem aliquam inter Seren. Regem noſtrum, & inter Ordines exiſtere, circa authoritatem Regis verſatur, quæ non ex culpa noſtra, nec etiam, vt ſperamus, ex voluntate Regis, ſed ex iniuria, & ignorantia Gubernatorum nata eſt. At maiori ex parte definita eſt hæc quoque controuerſia per priores pacificationes, quibus ſingulis prouinciis pacta, libertates, iura, & priuilegia ſua ſalua & illæſa à Rege promittuntur,

Viciſsim Ordines per eaſdem pacificationes Seren. Regi Cath. Principi, ac Domino ſuo naturali omnem obedientiam, quam ſecundũ mutua iſta pacta, libertates, iura, et priuilegia ſua Maieſt. eius præſtare debent, addicunt, et promittunt.

Nec ab eo tempore quicquam noui in hoc articulo acceſsit, quã quod in receptione Ser. Archiducis Auſtriæ, ſecũdum prædicta acta & iura, poteſtas Gubernatoris, & reliquorum conſiliariorum, & officialium per certas conditiones, vt poſthac mala, in quæ nunc per Gubernatores, & conſiliarios incidimus, euitentur, declarata & reſtricta eſt.

Has conditiones ſperamus Ser. Regi, cum non ad imminutionem authoritatis ipſius, ſed ad iniurias, & iniuſtitias Gubernatorũ, & conſiliariorũ præcauendas; Deinde, vt quod fieri debet, viri ſapientes & iuſti, in quibus non minus, quam in ipſis legibus ſalus Reipub. poſita eſt, dignitatibus & officiis præficiantur, in electionibus & ordinationibus eorum additæ et cõſtitutæ ſint, eas, inquã, ſperamus Maieſt. ipſius non diſpliciturās, ſed eaſdem conſenſu ſuo comprobaturam,

Hæc

Hęc breuiter ita Celſ.& Dig.V.ad defenſionem articulorũ,quos iuſſu Seren.Archiducis Auſtrię,& Ordinum exhibuimus,item ad declarationem eorũdem referre,& aperire voluimus.Si quid adhuc amplius in his,vel alijs articulis deſideretur, vel tãquam durius offendatur,Illuſtriſs. Dux Arſchottanus, & nos amice, & humilime petimus in ſpecie nobis iſta proponi, parati ſumus, quauis hora ſuper ijs intellectum, & mentem noſtram declarare. Datum Coloniæ xxi. Maii. 1579.

Num. 20.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GE-*neroſi, Nobiles, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarij.*

AD ea quæ heri,& ante,ratione obſcuritatum,& difficultatum, quæ ſe in articulis ab Illuſtriſsimo Duce Arſchotano, & nobis Seren. Archiducis Auſtriæ Gubernatoris, & Legatis Ordinũ exhibitis, offerre, & ex iis moueri poſſe videntur,propoſita ſunt,ne vllum impedimentum, aut mora tractationi inceptæ per nos inducatur,& vt amicæ,gratioſiſsimæ,gratioſæ, & beneuolæ exhortationi,& petitioni veſtræ acquieſcamus,conati ſumus,priores articulos,quantum à nobis fieri poteſt,iuxta mandatum, quod accepimus,lenire & mitigare, quibus obſcuritates, et difficultates, quæ heri obiectæ ſunt, et quæ adhuc obiici fortè poſſent, Celſ.et Dig.V. magna ex parte remotas, et ſublatas eſſe inuenient. Eos articulos iiſdem Celſ.et Dign. V. exhibemus,cum hac neceſſaria declaratione, nos nihil amplius, quam quod his articulis continetur, præſtare poſſe,vti nec præſens ſtatus rerum noſtrarum, et neceſsitates,in quibus verſamur,amplius aliquid ferunt,aut permittunt.

Sequuntur Articuli.

I.

Concedatur vtrinque perpetua obliuio,ſiue amneſtia omnium eorum,quæ facta ſunt à tempore primorum motuum, et cauſa illorum,quocunque modo aut loco tam generaliter quam particulariter,ita vt eorum nulla fiat amplius mentio,exprobratio, aut inquiſitio,quaſi ea nunquam accidiſſent,

II.

Rex Catholicus habeat ratum et gratum quidquid factum, contractum,conſtitutum,decretum,concluſum,definitum, prouiſum, collatum,aut quoquo modo actum eſt per Ser.Dominum Archiducem Auſtrię Matthiam,cõſilium Status, atque Ordines,tam id quod concernit negotium bellicum,quam politicum,

III.

Rex etiam promittat rata habere,et tenore præſentium rata habebit omnia Priuilegia,iura,vſus,antiquaſque Conſuetudines cuiuſcunque Prouinciæ Ciuitatis,et communitatis,

IIII.

Omnes milites Hiſpani,Itali,Burgundiones, Germani,Franci, Angli,Scoti,omneſque alii extranei indifferenter vtriuſque partis egrediantur ex ditionibus Belgicis intra terminum ſex hebdomadū. Interea tamen Princeps Parmenſis deſeret illico oppida,et loca, quæ occupat,vel detinet poſt inuaſum Namurcum,qualia ſunt arx et Ciuitas Namurcenſis,Carolomontium,Bouinæ, Philippo villa, Louanium,Levva,Dieſtum,et alia:Eaque reddet Ordinibus vna cum tormentis bellicis,munitionibus,et commeatu,et eorundem extraneorum loco collocabūtur in oppidis et arcibus, vbi expedire videbitur, milites naturales Belgii,idque conſenſu et approbatione Ordinum generalium,ac notanter eius Prouinciæ,vbi collocabuntur,

V.

Poſtquam autem Hiſpani,& exteri Belgio exierint, oppidaque, fortalitia,et loca reſtituta fuerint,in manus naturalium, ſicut dictū eſt,exautorētur etiā atq; exeant omnes exteri,qui Ordinibus militāt.

VI.

Supradicti quoque milites naturales,antequam ingrediētur Ciuitates,aut loca munita,præter fidelitatem,quam iurabunt Regi Catholico,vt prouinciarum Principi, et legitimo Domino, iurabunt etiam fidelitatem patriæ, Ordinibuſque generalibus, et particularibus prouinciarum,quas ingredientur,ac notanter obſeruare articulos in hac pace concluſos,

VII.

Omnes captiui vtriuſque partis liberabuntur ſine aliquo pretio redemptionis,ſi modo ante huius pacis communicationem non fuerint aliter obſtricti: Ita tamen vt teneantur reſpectiue expenſas ſoluere.Si qui etiam ante hanc cōmunicationē promiſerint redēptionis pretium ſoluere,tenebuntur etiam ſatisfacere ſuæ promiſsioni.

VIII.

Et quia Comes Buranus extra oppidum & Academiam Louanien.ſine cauſa extractus eſt, vectuſque ex Belgio contra priuilegia tū dictæ Academiæ,tum Ducatus Brabantiæ,idem Comes ſtatim reſtituetur in libertatem,& remittetur in oppidum Antuerpiæ intra terminum trium menſium.

IX.

Quilibet vtriuſque partis reſtituetur & regredietur in ſua bona immobilia,non obſtante quacunque alienatione facta à tempore pacificationis Gandauen.atque etiam in bona mobilia non diſtracta, aut alienata,

Fiet

X.

Fiet etiam reſtitutio bonorum in Burgũdia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandia, alijsq́ue locis, vbi pacificatio Gandauenſis non fuerit adimpleta, tam Eccleſiaſticis, Principi Aurangiæ, quàm omnibus alijs, iuxta dictam pacificationem.

XI.

Omnes naturales Belgij, vtriuſque partis poterũt liberè in Belgium reuerti, ibique habitare, ea lege, vt præſtent iuramentum fidelitatis, tam Regi, quàm Patriæ, ac Ordinibus generalibus, & particularibus eius Prouinciæ, in quam reuertentur, atque adeo ſeſe obſeruaturos omnes Articulos huius pacis.

XII.

Pacificatio quoq; Gandauenſis, Edictum perpetuum xvij. Febr. 1577. Bruxellæ publicatũ, Vnio ſiue cõfœderatio Ordinũ, ac alię ſecuritates ſubſequutæ, in omnibus alijs punctis & articulis obſeruabuntur.

XII.

Excepto, quòd in ijs Prouincijs & locis, vbi Religio, quæ dicitur reformata, Confeſsio Auguſtana, vel pax religionis, dicta Religionsfried / recepta eſt, omnia permanebunt in ſuo ſtatu, ſecundum eandẽ pacem religionis: neque religionis cauſa vlla fiat inquiſitio. Idq́; donec per conuentum Ordinum generalium aliter prouiſum fuerit, quemadmodum pro maximo bono, & quiete Prouinciarũ reſpectiuè expedire videbitur.

XIIII.

Gubernatio generalis Belgij maneat penes Sereniſs. Dominum Archiducem Matthiam, ijs conditionibus, quas iurauit. Quem ſi contingat mori, vel ſi forte ſeſe vellet aliò conferre, Regia Maieſtas non poterit committere alium Gubernatorem, niſi gratum Ordinibus ex ſuis liberis, aut ſanguine legitimo: Qui tenebuntur iurare eoſdem Articulos ac conditiones, ſuper quibus receptus fuit dictus Dominus Archidux.

XV.

Nulli in poſterum admittantur ad gubernacula Prouinciarum, Ciuitatum, Caſtrorum, & fortalitiorum, Capitaneatus, aut Præfecturas militum, neque ad conſilia Status ſecretum, aut finantiarum, aut alia officia magni momenti, niſi naturales Belgij benè idonei, & bona illic habentes, quiq́ue ſteterunt à partibus Ordinum, gratique tam Ordinibus generalibus, quàm Prouincijs particularibus, ad quas mittentur, ac alias iuxta priuilegia earum. Qui primum, & antequam admittentur, tenebuntur ſolenniter iurare, hanc pacem & particulariter etiam manutenere, & obſeruare priuilegia, conſuetudines, iura, & vſus generales, & particulares Belgij, ac iureiurando promittere, ſi reſciſcant aliquid tractari in eius præiudiciũ, quod ea de re certiores faciẽt Ordines generales, &

particulares prouinciarũ, ſub pœna, quòd habendi ſunt pro periuris.

XVI.

Et quia Ordines ſunt obligati Sereniſs. Reginæ Angliæ, propter ſynceram amicitiam, vicinitatem, & auxilium, quod illis præſtitit ad vtilitatem publicam, ipſa comprehẽdetur reciprocè in hoc tractatu, in confirmationem antiquorum fœderum perpetuò cõſeruatorum inter Principes tam eius Regni, quàm Belgij.

XVII.

Similiter comprehendetur in eodem hoc tractatu Illuſtriſ. Dux Andegauenſis, Regis Chriſtianiſs. frater, tanquam defenſor libertatis Belgij cum recognitione, quàm Ordines ipſi promiſerunt proponere, & reſoluere, quoniam tam liberaliter atque heroicè operam nauauit eorum defenſioni ac conſeruationi. Vti etiam comprehendentur omnes alij confœderati dictorum Ordinum.

XVIII.

Supplicabitur ſuæ ſanctitati, Cæſareæ Maie. Regi Chriſtianiſs. Reginæ Angliæ, Duci Andegauenſi, defenſori libertatis Belgicæ, omnibus Principibus Electorib. Germaniæ, & Duci Iuliacenſi, tanquã ſtudioſis vtilitatis, & tranquillitatis Reipub. Chriſtianæ, vt ijs placeat efficere, vt hic tractatus in omnibus ſuis partibus compleatur, & inuiolabiliter obſeruetur.

Hic tractatus reciprocè iureiurando ſolenni ſuper ſancta Euangelia præſtito confirmabitur, & à Rege approbabitur, intra terminũ trium Menſium poſt concluſam hanc pacem, aut citius ſi fieri poteſt. Actum Coloniæ xxv. Maij, Anno 1579.

Num. XXI.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMIQVE

Principes, Generoſi, Nobilesq́ Domini, Sac. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.

DVX de Terra noua, & Princeps de Caſteluetrano, Regius Mandatarius, viſo ſcripto Ordinũ Belgij Legatorum, ſibi iam pridem ad effectũ manifeſtandæ voluntatis ſeu determinationis ſuæ Maieſt. Cathol. veſtro omniũ iuſſu cõmunicato, nihilq́; minus pẽſi habẽs, quã occaſione Articulorũ, dicto ſcripto comprehenſorũ, in diſceptationis arenã cum prædictis Legatis deſcẽdere, ſeu cõtentaillorũ per viã obiectus, ſeu reprehenſionis quomodolibet eneruare, ac confutare: quinimo ecõtra omnino nihil ſibi potius faciundũ cenſens, quàm diſputationem, ſinuoſis ambagibus vitatis, planè ac ſimpliciter ob oculos ponere immenſum amorẽ, ac verè paternum affectũ, quo ſua Maieſt. tanquam Princeps naturalis ſuapte indole clementiſsimus rapitur erga

ergà ſuos ſubditos Belgicos. Quos quidē ipſis, ſicut vehemēter cum primis deſiderat, ſuis ſub legibus, vſibus, moribusq;, ac priuilegijs antiquis, tam circa ea, quæ concernunt ſacroſanctā Religionem, ipſamque obedientiam ſibi debitam, quàm etiam iuſtitiam, aliaue politica, ac deniq; & commerciorum proſperitatem ſplendori priſtino reſtitutas videre. Ita ſupradictus Dux nequaquam cunctandū ratus, quin ex parte ſuæ Maieſt. ac nomine, quo ſuprà, prorſus voluntariè ac liberaliter populo & Ordinibus Belgicis offerat, cōcedat, & largiatur Articulos ex ordine ſequentes. In quibus complexū arbitratur vniuerſum illud, quod à ſubditis bona mente prædítis, ac propriā ſalutē ſitientibus, honeſtè requiri, poſtulari, vel prætēdi poſſet: planè ſibi perſuaſum habēs, populo, dictiſq; Ordinibus curæ futurū, quo videātur dictos articulos nedum hilariter, verum etiam obedienter à dicta ſua Maieſt. tanquam naturali, ac ſupremo ipſorum Principe ſuſcepiſſe, Gallico nihilominus ſcripto, pro huius præſentis negotij autographo habendo.

I.

Principio, ne qua ad nutriendā animorū diffidentiā occaſio, ſeu fomes quoquomodo ſuperſtes relicta videri queat, atq; eatenus ad vniuerſum metū, ſcrupulosq; omnes, tam natos, quàm naſcituros, ex animis ſubditorū planè radicitus euellendos, placet ſuæ Maieſt. quod generalis vtrinq; obliuio omniū eorum, quæ ab exordio primorum motuum accidere, inſtituatur: ita vt eorum memoria perinde euaneſcens, ſepultaque intereat, ac ſi omnino non accidiſſent.

II.

Diſtrictè interdicēs omnibus, non ſolū Procuratoribus, Fiſcis, alijsq; Officiatis, verum etiā quibuſuis perſonis, tum publicis, tū priuatis, cuiuſcūq; ordinis, cōditionis, ac qualitatis fuerint, ne deinceps rerum quarumlibet præteritarum occaſione vlli negotium faceſcere præſumāt, ſiue in iudicio, ſiue extra iudiciū, neve etiam minarum ſpirantes ſeſe mutuo prouocent ad iracundiā; verùm è contra pacem ac concordiā ſibi vnicè, ſynceriter, & fraternè poſt hac colendam & obſeruandam eſſe nouerint. Et quidē ſub pœna correctionis exemplaris, tanquam in perturbatores quietis, ac boni publici diſtringendi.

III.

Quibus proximum eſt, quod Rex vaſallis, ſubditisque ſuis ſerio promittat, ac polliceatur, in poſterum ſeruare, manutenere, imo (ſi opus videbitur) etiā de nouo firmare, omnia & ſingula iura, vſus, conſuetudines, immunitates, exemptiones, & priuilegia quarūlibet Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum, communitatum, aliorumq; priuatorum omniū, tum in genere, tum in ſpecie, prout ijſdē vſi fuere, ac fruebantur eo tēpore, quo ſua Maieſt. dictis Prouincijs olim ſolenniter inauguratus, eadē promiſit, iurauitq;: Et ſicubi forſan ea ipſa priuilegia interea temporis vllā infractionem, ſeu violationē paſſa fuerint,

rint,nihil promptius fuerit, quam vbi tale quid apparuerit, eadem rurſus inſtaurare,ac priſtino vigori reſtituere.

IIII.

Et quantumuis Rex olim (licet inuitus) motuum tunc temporis exortorum occaſione plane coactus fuit, varium militem peregrinum, ad tuendam ſuam auctoritatem, in Belgium inducere, tamen paternè reſpiciens ad onera & grauamina ſubditorum inde reſultantia,omnino nihil alacrius præſtiterit, quam vt, ſtatim à pace promulgata,mandet omnibus ad vnum vſque militibus extraneis, vtpote Hiſpanis,Italis,Germanis,Burgundis, Gallis, Anglis, Scotis, ac cæteris omnibus peregrinis, qui propter hoſce motus vtrinque accerſiti comperientur, quatenus citra moram Prouincijs Belgicis excedant.Et quod illorum loco in vrbes, Arceſque & fortalitia, quæ ab omni memoria præſidium habuere,ſubſtituantur milites naturales,cæterũ aſtringẽdi iure iurãdo peculiari, prout infra latius dicetur.

V.

Quod vero attinet ad alios milites nequaquam extraneos,etiam ad pleniorem exonerationem afflictorum ſubditorum,mandabit S. Maieſt.vniuerſum militem,tam terra, quam mari illico poſt dictam promulgationem exauctorari & dimitti, vt nimirũ deinceps ſibi priuatim viuant in tranquillitate,ordinarijs tantum præſidijs (vt dictũ eſt) retentis,ac ſuſtecturis.

VI.

Porro,quia pace hac ſtabilita per diſceſſum extraneorũ, tanquã eatenus armorum occaſione quodammodo ſublata omnia ſperẽtur quaſi poſtliminio ad quietem reditura, vtque eo magis fructu pacis omnes gaudeant,nihil tam ex vſu publico futurum iudicatur, quam vt plebs citra omnem cunctationem redeat ad opificia, mercatus, & negocia pacis, quibus ſe vxores, liberoſque citra iniuriam proximi honeſte ſuſtentare valeat.Et proinde S.Maieſt.tum ob cauſam prædictam,tum etiam ad inpoſterum euitanda vitia & incommoda, quæ plerunque otium & armorum luxuriam comitari ſolent, mandabit vbiuis locorum arma poni, non minus ruri, quam in oppidis, quibus ea tempore pacis nec foueri,nec tractari conſueuere. Idque omnino ad inſtar,prout olim factitatum tam ante priores, quam poſteriores haſce turbas.

VII.

Conſequenter,vt tanto nimirum pinguius ac luculentius ſe orbi terrarum manifeſtet vere paternus Suæ Maieſt.amor & affectus erga ſuum populum occaſione præſentis belli inteſtini, ac ſignanter ob varietatem vectigalium, impoſitionũ, ſubſidiorum, aliarumque exactionũ & conceſsionũ vehemẽtẽr exorbitantium adeo exhauſtũ,vt quod aggrauet vix videatur deinceps ferri poſſe:placebit ſuę Maieſt. quod ad congruam reſpirationem eorundum ſubditorum vniuerſæ exactiones,impoſitiones, cæteraq; inuſitata Vectigalia, & onera præſentium turbarum occaſione quomodolibet indicta penitus ceſſent,

&

& tollantur. Ita tamen, vt ſi quæ certorum onerum continuatiò adhuc fore ex vſu publico iudicabitur, ſimul atq; per Ordines Statuum eiuſcemodi quid demonſtratum fuerit, S. Maieſtas haud grauatim ſe Ordinum conſilijs iuxta ac deſiderio accommodabit.

VIII.

Præterea reſtaurabitur libertas commerciorum, & tranſitus vbiuis locorum per Vrbes, Pagos, Pontes, Portus earundem Prouinciarum, non minus Terra, quàm Mari, perque Fluuios & Flumina, prout factitatum ante præſentes hoſce tumultus: Nouis autem Vectigalibus & impoſitionibus, abſque S. Maieſt. authoritate eatenus per hos motus de facto inſtitutis incontinenti ceſſaturis.

IX.

Quoniam verò hoc potiſsimum nunc agitur, pax vt coeat bona, firma, ac prorſus ſtabilis, qui haberi nequit, niſi eadem iuſta atq; æqua ſit, & par vtriuſque partis ratio habeatur. Et ob id ne quæ ſemina vllarum alterationum, aut querelarũ inter eiuſdem Principis conſubditos relinquatur, ſua Maieſt. cupiens ęquali fauore, ac benignitate omnes & ſingulos ſubditos, à cuiuſcunq; partibus hactenus ſteterint, deinceps proſequi, & promiſcuè vt bonos, fideleſq; ſubditos omnes tractare, vtq; etiam primus Articulus obliuionis generalis mutuarũ iniuriarum præteritarũ (in quo vera baſis, ac fundamētum ſolidæ pacis cōſiſtit) plenum effectum ſortiatur, eadem declarat, et vult omnes tã Eccleſiaſticas perſonas, quàm ſeculares recuperare pacificè bona ſua, mobilia, & immobilia, titulos, debita, & actiones, iiſque ſtatim vti, ac frui poſſe in eo nimirum ſtatu, ac qualitate, quibus in præſentiarum illa ipſa reperientur, idque omni dolo ac fraude ſemotis, non obſtante quauis alienatione facta in contrarium, & hoc tum in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandiaque, tum etiam in alijs quibuslibet Prouincijs ac locis, non minus ad vtilitatem Eccleſiaſticorum, quàm Principis Auraici, & aliorum denique omnium: non obſtante, quòd dictarum Prouinciarum binæ, vtpote Burgundia & Luxemburgum, notoriè ſint exemptæ à diſpoſitione tractatuum ſuperiorum.

X.

Similiter ob cauſas, rationeſq; prædictas, & vt, ne quiſpiã debita conſolatione carens, vllo damno iniuriáve affectum ſe iure conqueri poſsit, ipſa ratio dictat, ſuaq; Maieſt. omnino intendit, quòd quilibet ſubditorũ hincinde etiam redintegretur, in ſuis honoribus, dignitatibus, beneficijs, gubernaculis, muneribus, functionibus & officijs planè ad inſtar prout olim ante dictos tumultus extiterit. Exceptis tantũ ijs, quibus cōtra libertatẽ, iuraq; ac priuilegia patriæ de vlla functione proſpectũ fuiſſe demōſtrabitur. Prouiſo tamẽ, quod eiuſcemodi ſpoliati denuò redintegrãdi, tenebuntur præſtare iuſiurandũ, cuius infra fit mẽtio, prout facturi quoq; cæteri ad nouas functiones & officia in

F poſte-

poſterum cooptandi, reuocando, caſſando, & annullando, quicquid hinc inde factum, decretum, pronunciatumve fuerit in contrarium.

XI.

Et quia ſua Maieſtas in hac rerum facie iudicat ad ſecuritatẽ ſubditorum haud vulgariter pertinere, quod omnes deinceps functiones, et officia publica per ſolos naturales obeantur, etiã ſtudioſe prouidebitur, ne quis in poſterum admittatur ad vlla gubernacula Prouinciarum, Vrbium, Caſtrorum, et Fortalitiorum, nec vt ſit Capitaneus, aut Dux militum, nec ad conſilia rerũ Status priuatum, financias, aliaque officia maioris momenti, præter naturales patriæ. Qui etiam ante receptionem ſolenniter iurabunt in hos Articulos, eosque promittent fideliter, ſyncereque ſeruare, ſub pœna periurij, et tanquam tales puniendi: In qua re ſola videtur conſiſtere potiſsima ſecuritas præſentis Pacificationis adimplendæ, nec id ſolum, quinimo et ipſa vera quies, et tranquillitas publica, vt nec ab Ordinibus Statuum quicquam vlterius requiri, aut deſiderari poſſe videatur.

XII.

Inſuper captiui vtriuſque partis omnes, qui ob dictos tumultus adhucdum detinentur, ſtatim, et abſq; vllo pretio relaxabuntur: niſi iam antea aliud conuentum et ſolenniter ſtipulatũ fuiſſe conſtiterit.

XIII.

Quod verò attinet ad Comitem Buranum, ſicut ſua Maieſt. planè conſtituit de omnibus ſuis ſubditis in vniuerſum paternè promereri; ita quoque contentus eſt, eundem Comitem, licet per tractatus præcedentes ſpecialiter exceptum & reſeruatum, nihilominus, quan tociùs fieri fieri poterit, ſuæ libertati ac patriæ reſtituere, quinimo & illi gubernationẽ Hollãdiæ, Zelandiæ, & Traiectẽſis prouincię dabit.

XIIII.

Decreta verò, iuxta ac diſpoſitiones, & ordinationes per D. Archiducem Matthiã, ſuosq; collaterales, & Ordines Statuũ à tempore vltimarũ turbarũ, ſub auſpicijs S. Maieſt. emanatæ, tametſi notoriè cõſtet, legitimæ facultatis defectũ viribus nequaquã ſubſiſtere; tamẽ ſtudio promouẽdæ huius reconciliationis ſua Maieſt. cõſentit, quod pro legitimis ac validis habeãtur, ſuosq; debitos ſortiãtur effectus; quoad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaſpiã res, quæ ſolent eſſe poteſtatis, ac diſpoſitionis ordinariæ illorũ, qui tenẽt locum Gubernatoris dictarum Prouinciarum: non autem in ijs, quæ propriæ perſonæ ſuæ Maieſtatis reſeruantur; aut ſi quæ factæ ſint contra iura, priuilegia, & immunitates patriæ, tam in generali, quàm in particulari, vel alioqui in vllius iniuriam, ſeu detrimentum redundarint.

XV.

Pariter etiam omnes quarumlibet Vrbium, & aliorum locorum Magiſtratus, ſeu officiati, ſuis functionibus deſtituti, alia via ac ratione, quã iuris ordine legitimè ſeruato, aut alias cõtra priuilegia dictarũ

vrbium,

vrbium,aut præter ordinarios conſuetosque modos, cumprimis re-ſtituentur & redintegrabuntur in dignitates,officiaque ſua: necnon ad eorum creationem futuris temporibus procedetur prout olim, & ſicut ex iuribus,moribus,& priuilegijs cuiuſque patriæ,vrbis,& loci decet: ne cui facta toleretur iniuria.

XVI.

Quod verò cõcernit Religionem,quæ omnibus Principibus verè Chriſtianis iure eſſe debet cõmendatiſsima, haud poteſt S. Maieſt. vllatenus prætertire, quin veſtigijs Regũ Catholicorum,ſuorũ Maiorum inhærendo, percupiat,ac mandet in Prouincijs ſuis patrimonialibus retineri,ſeruariq; Religionem Catholicam,Apoſtolicam,Romanam,& ab omni æuo non ſolum ibidem receptam,verumetiã ſub qua earundem prouinciarum ſubditi olim tantopere floruere, & in qua tam dictam ſuam Maieſt.quàm cæteros ſuos prædeceſſores olim prouincijs inauguratos,& mediante ſolenni iureiurãdo in Principes ſupremos,ac naturales receptos fuiſſe notoriè conſtat. Quæ quidem ſupradicta Religio,excluſa quauis alia, liberè, pacificè, & abſque vllo impedimento, vbiuis locorum per vniuerſas Ditiones Belgicas poſt hac tradetur & exercebitur: prout etiam Ordines Statuum S.Maieſt. non minus poſt, quàm ante turbas præſentes frequentibus literis ſe paſſuros et procuraturos addixerunt: Et ſicut etiam iampridem ſcripſere ad S.Maieſt.Imperialem,vſqueadeo,quod abſque graui nota,vt ne dicatur confuſione, vniuerſi ſtatus politici haud poſsint in re tanti momenti proprijs ſcriptis vlla ex parte contrauenire.

XVII.

Enimuero tamen,ſi qui Subditorum, vel Incolarum, occaſione diuerſitatis ſeu contentionis(proh dolor)ſuſcitatæ circa vniformitatem Religionis, vel aliaquapiam, tum ſimili, tum diſsimili de cauſa, dictis prouincijs quandoq; excedere cupient,S.Maieſt. permittet hoc cuilibet liberum fore integro quadriennio ſubſecuturo; dummodo interea temporis à ſcandalis,ac rerum perturbatione ſtudioſe abſtineant. Quo caſu etiam liberrimè fruetur omnibus ſuis bonis, tam mobilibus,quàm immobilibus,iuribus, actionibusque: et poterunt ea ipſa,qualiacunque fuerint,etiam alio transferre, ſeu vendere, aut alienare,prout eis videbitur. Imo et hoc amplius(ſi modò bona ſua retinere malint)etiam poterunt abſentes ad eorundem bonorum regimen, adminiſtrationem et receptionem in prouincijs ſibi eligere Quæſtores Catholicos, qualeſcunque volent; ac præterea toties, quoties voluerint,ad prouincias iteratò redire,victuri tamen ritibus ac moribus priſtinis,et vt perſonas Catholicas decet. Eritque huiuſcemodi reditus, ac facultas bona adminiſtrandi per ſe cuilibet bona fide permiſſus, ſtatimatque Paſtoribus, Officiatis, ac Magiſtratibus locorum, ad quæ redire cupient, talis intentio ac voluntas inſinuata fuerit. Ex qua quidem Regali indulgentia nulli non perquàm ma-

nifeſtum redditur, quod S. Maieſtas nihil minus, quàm bonorũ con-fiſcationes, ruinam, & perniciem ſuorum ſubditorum appetat, multo autẽ minus, quod rigore ſuperiorum placitorũ ipſos perſtringere conſtituerit, cùm vel etiam paratiſsimus ſit, ea ipſa placita ex conſilio Ordinum Status competenter temperare ac moderari.

XVIII.

Quod ſpectat ad authoritatem, & obedientiam ſuæ Maieſt. à ſuis ſubditis omni iure diuino & humano, vt Principi naturali legitimo, & ſupremo debitam; illa cumprimis reſtituetur & ſeruabitur, qualis merito eſſe debet, qualiſque olim ſeruata eſt: vt rectè nimirum adminiſtretur iuſtitia, ſubditi regantur in omni ratione, æquitate, quiete & obedientia: idque ad eam formam, modumque, quo factum eſt ab omni memoria, tam defuncti Imperatoris Caroli V. eiuſque prædeceſſorum, quàm etiam ſuæ Maieſt. vſque ad harum turbarum initia: ſine cuius auctoritatis inſtauratione, ac ſubditorũ obedientia, nequaquam poſsibile eſt, populum in vnione, concordia, rectaque iuſtitia, quiete, ac tranquillitate manuteneri.

XIX.

Supereſt de gubernaculis generalibus dictarum Prouinciarum, quarũ occaſione S. Ma. eliget Principẽ de ſanguine, qui, queve rerũ experientia pollens habeat dotes & qualitates ad eius generis arduũ munus cumprimis neceſſarias: & de quo, ſeu qua ſubditi iuſtam cauſam ſatisfactionis ſint habituri. Gubernabit autem cum omni iuſtitia & æquitate, præſertim verò ſecundum vſus, iura, conſuetudines & priuilegia dictarum Prouinciarum, etiam comprehenſo hoc præſentis reconciliationis Edicto, quod pariter tenebuntur promittere, ac iurare.

XX.

Ad cuius quidem Gubernatoris generalis manus, citra vlteriorẽ hæſitationẽ, plenè ac integrè tradẽtur omnes, & ſingulæ ciuitates, vrbes, fortalitia, & alia loca, quæ ab vna, alteráve parte, quocunq; titulo aut prætextu modo tenentur, vnà cum patrimonio ad S. Maieſt. pertinente, tormentiſque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis & nauibus, vt nimirum de ijs diſponat, ſicuti ſeruitio S. Maieſt. ſimul & commodis, ac ſecuritati Prouinciarum magis expedire arbitrabitur; & alias prout fieri decet, factumque fuit ante motus præſentes.

XXI.

Permittente nihilominus ſua Maieſt. (& quidem merè in huius reconciliationis gratiã) vt quod hactenus ex eius patrimonio, ſeu populi ſubſidijs, deſumptum & collectum fuit, id ita collectum, receptumque maneat abſque vlteriori perſecutione, ſeu vexatione cuipiã mortalium eatenus inferenda; ita tamen, vt in poſterum ab eiuſcemodi detentionibus, occupationibus & collectis deſiſtatur.

Circa

XXII.

Circa tractatum Gandenſem, & inſecutã Vnionem generalem Statuum,ipſumque Edictum perpetuum, omnes & ſinguli Articuli ad amuſsim ſeruabuntur,qui huic præſenti tractatui nequaquam repugnare comperientur.

XXIII.

Prouiſo tamen,quod illico per Ordines Statuum renunciabitur alijs omnibus fœderibus,pactis,mutuisque ſponſionibus contractis occaſione dictorum tumultuum,tam intra,quàm extra prouincias.

XX*IIII.*

Comprehendentur hoc tractatu Regina Angliæ, & Dux Andegauenſis.

XX*V.*

Et quia ſua Maieſtas omnibus modis optat, hunc ipſum tractatũ perpetuo firmum ac ſtabilem eſſe; hauddubiè fuerit ſibi acceptiſsimum,quod S.Maieſtas tanquam caput vniuerſalis Eccleſiæ, & S.Maieſtas Cæſarea,tanquam Mediator vnà cum Principibus ad præſentis pacificationis negotium Delegatis ſeriò requirantur; quò interueniant tanquam ſponſores partium hincinde,eo potiſsimum fine,quod omnia & ſingula in hoc pręſenti tractatu comprehenſa, ſynceriter, bona fide,& abſque vlla contrauentione ad amuſsim poſthac complebuntur,necnon realiter præſtabuntur.

XX*VI.*

Poſtremo,vt ne ad ſummæ firmitatis,ac dictorum omniũ, reuera ſolidum ſtabilimentum quicquam defuiſſe videatur, haud grauabitur S.Maieſtas, omnia & ſingula ſupradicta non ſolum confirmare verbo Regio; quinimo & iuramento ſolenni. Cuius rei literæ ſuæ patentes, tam nominis ſubſcriptione, quam Sigilli impreſsione muniendæ; nec non in forma Edicti perpetui, & irreuocabilis deſuper in vtroque idiomate,tum Gallico,tum Flandrico expediendæ, hauddubiè fidem facturæ erunt. Quæ quidem literæ ad eum modum expeditæ conſequenter mandato S.Maieſt. publicabuntur; & in Actis publicis conſiliorum tàm ſupremorum, quàm prouincialium, vt moris eſt, deſcribendæ poſteris ſeruient in monumentum legis perpetuæ.

XX*VII.*

Tantundem promittere & iurare tenebuntur Ordines Statuũ, aut coniunctim ſimul aut ſeorſim ſinguli in ſuis prouincijs, pariter & ipſi Magiſtratus Oppidorum,& Communitatum totius Belgij; nimirum, quod ſarta tectaque, ac prorſus inuiolata ſeruabuntur omnia & ſingula ſupradicta, etiam cum ſolenni reiteratione iuramenti fidelitatis,ac obedientiæ S.Maieſtati debitæ.

Quocirca, cùm omnes & ſinguli ſupradicti Articuli tantoperè

abundent iuſtitia & æquitate, omnino perſuaſum eſt S. Maieſt. non ſolum à vobis Illuſtriſs. Principibus ac Dominis, Cæſareis Delegatis, cæterum ab orbe terrarum vniuerſo haud dubiè probandos fore: ac denique etiam Ordines Statuum, ipſoſque Subditos, tam in genere, quàm in ſpecie nequaquam paſſuros eiuſcemodi præpingues, ac verè Regales tantorum commodorum oblationes ſibi ac poſteris ſuis excidere. Potiſsimum quòd manarint ex pectore non minus candido, quàm amore paterno, quo ſua Maieſt. proſequitur Belgicos ſuos Subditos; à quibus tum ipſius prædeceſſores, tum etiam ipſemet (mirum dictu) quàm rara ac verè ingenua obſequia olim perceperint, vt nec dubitet tempora propediem recurſura, quibus tantundem ſibi ac ſucceſſoribus deinceps præſtandum fore, iure ſperare poterit. Actum Coloniæ Calendis Iulij, 1579.

Num. XXII.

REVERENDISSIMES, ET ILLVSTRISS. ELE-*cteurs, & Princes de Sainct Empire, Genereux & Noble Sieurs les Commiſſaires de la Maieſté de l'Empereur.*

LE Duc de Terra noua, Prince de Caſteluetrano, Commiſſaire de la Maieſté du Roy Catholicq, ayant veu les Articles preſentes par les Deputez des Eſtatz des pays bas, leſquelles il a pleuſt a voz Seigneuries Illuſtr. luy enuoyer pour ſur iceulx declarer la bõne volũté de ſadict Maieſté. Icelluy Duc ſans s'arreſter a debatere pluſieurs deſdicts Articles, (comme voz Seigneuries par leur prudences peuuent cognoſtre) il pourroit faire: Mais deſirant monſtrer par effect, la grande amour & affection paternelle, que ſa Maieſté, comme Prince tresbening, a touſiours porté, & porte a ſes ſubgectz. Et pour le deſir, qu'elle a revoir tous ſeſdicts pays remis en vne bonne paix, vnion, tranquillite & repos, tant en la Religion, obeiſſance deue a icelle ſa Maieſté, qu'en iuſtice, police et commerce, ſoubz les loix, vſances, couſtumes & priuileges anciennes diceulx pays, en la forme & maniere, qu'ilz eſtoyent en leur plus grande felicité & ſplendeur. Et ſans differer ny remectre plus longuement les choſes en demandes ny reſponces, offre plainement, voluntairement & liberallemẽt de la part de ſadicte Maieſté, leur accorder & donner les graces, poincts & articles ſuyuans: Qui eſt tout ce, qu'iceulx ſubgectz peuuent iuſtement requirer, deſirer & demander de ſadicte Maieſté, ne doubtant partant, qu'ilz les accepteront & eſtimeront auec telle demonſtration, de bon gre, & obeiſſance, qu'ilz doibuent a ſadicte Maieſté, comme leur Prince naturel, & ſouuerain Seigneur.

I.

Premierement, pour oſter tout occaſion de diffidence, & pour faire ceſſer toutes doubtres & ſcrupulles, qui pourroient demeurer es opiniõs des ſubgectz, et leur

leur donner aſſeurance pour les choſes paſſees, ſa Maieſté accord, qu'il y ait vne oubliance generalle, d'vne part & d'aultre, de toutes leſdicts choſes paſſees depuis les premieres troubles aduenuz. De ſorte que la memoire d'iceulx demeure eſtaincte & aſſoupie, comme des choſes non aduenuez.

II.

Interdiſant a tous ſes procureurs generaulx, Officiers, & toutes aultres perſonnes publicques ou priuees de quelcque eſtat, condition ou qualitez qu'ilz ſoyent, d'en faire mention ou pourſuytes s'en reſentir, iniurier, ny prouocquer l'vng l'aultre, de parolles ou de faict, pour les offenſes, tortz, mesfaicts, & voyes de faict, a cauſe d'iceulx troubles, tant en general, que particulier, a peine de punitiõ, & chaſtoy exemplaire, comme perturbateurs de la paix & repos publique.

III.

Promect auſſi ſa Maieſté a tous ſes vaſſaulx & ſubgects de garder maintenir & cõfirmer les droicts, vſancez, couſtumes, franchiſes & priuileges des Pays, Villes, Communitez, & de tous aultres, tant generallemẽt, que particulierement, comme ilz en ont iouy & ioyſſent, lors que ſa Maieſté les a promis & iuré a ſon aduenement & reception pour Prince d'iceulx pays, & s'y auant, que aulcunes ayent eſté enfrainctz, de les faire reparter & reſtituer incontinent qu'il en apparera.

IIII.

Et comme ſa Maieſté (a ſon regret) a eſté forcé a l'occaſion des troubles paſſees, faire venir en ces pays bas, pluſieurs ſoldatz & gens de guerre eſtrangiers, Icelle veult & entend pour le ſoulagement & contentement de ſeſdicts ſubgects, que incontinent apres l'accord publié, tous ſoldatz, Eſpaignolz, Italiens, Allemãs, Bourgoignons, Francois, Anglois, Eſcoſſois, & tous aultres eſtrangiers, venus de coſté & d'aultre, a cauſe deſdicts troubles es pays bas, ayent a ſortir & s'en retirer, Et au lieu d'iceulx ſeront remis es Villes & fortereſſes, ou eſt accouſtumé de tout temps y auoir garniſon naturelz d'iceulx pays bas, faiſans le ſerment comme cy apres ſera dict.

V.

Et pour le regard des aultres gens de guerre, non eſtrangiers, ſera ordonne par ſa Maieſté, que incontinent apres ladicte publication, toutes trouppes & armees, tant par terre, que par mere, ſe ſeparent & retirent, retournant chacun chez ſoy, pour y viure quietement & en paix, retenant ſeulement les garniſons ordinaires, comme dict eſt.

VI.

Et pource que par l'execution de ceſte accord, ſortye d'iceulx eſtrangiers, (eſtant l'occaſion des armes oſteé) toutes choſes ſeront remiſes a repos, & que le peuple ſe doibt promptement applicquer a l'exercice de ſes meſtiers, mainfaictures negotiation, trafficques & labeurs, pour la nouriture d'iceulx, leurs femmes & enfans, auſſi affin d'euiter les deſordres et incõueniens procedans de l'oyſiuité, & debauchement deſdicts armees. Conuiendra qu'au pluſtoſt les armes ſoyent miſes bas, par tous les lieux, champeſtres, & villes ou elles ne ſont eſté vſitez en temps

de paix

de paix, le tout en la forme & maniere, qu'ſe faiſoit par auant ces premiers & derniers troubles, affin meſmement, que chacũ iouyſſe du fruict de la pacification.

VII.

Pareillement pour tant plus demonſtrer l'affection, ſoing & amour paternelle, que ſa Maieſté porte a ſon peuple, lequel pour la lõgueur de ceſte guerre ciuile, & la multitude de touttes manieres d'impoſitions gabelles, centieſmes, aydes, & aultres exactions, exorbitances, (la plus part deſquelles a eſté extorqué par force plus que de leur conſentement & volunté) & dont le peuple eſt ainſi appoury, oppreſſé, & accablé, qu'il n'en peult plus, ſadicte Maieſté eſt cõtente, que toutes leſdicts chargez, aydes, impoſitions & exactiõs miſes ſoubz a cauſe de ces troubles, ſoyent oſtes, pour donner moyen a ſeſdicts ſubgects de reſpirer. Neantmoins s'il y a aulcunes charges, qui ſoyent encores pour quelque temps neceſſaires, eſtre continuees, pour ſouſtenir l'Eſtat, en le remonſtrant par les Eſtatz, ſadicte Maieſté ſera preſte de s'accommoder en cela par aduis d'iceulx Eſtatz.

VIII.

Le libre commerce & paſſaige ſera remis par tous les quartiers, villes, bourgades, pontz & paſſaiges deſdicts pays, tant par Meer que par Terre, enſemble par les riuiers & eaues doulces, comme ilz eſtoient parauant ces preſentes troubles, & tous noueaux peaiges & impoſitions, miſes ſous ſans l'authorité de ſa Maieſté, durant iceulx troubles, ſeront oſtez & leuez.

IX.

Et puis qu'il conuient totallement faire vne paix bonne, ferme & eſtable, qui ne peult eſtre qu'en la faiſant iuſte & equitable, & traictent eſgallemẽt l'vng & l'aultre party, pour ne laiſſer aulcune ſemence de rancune, alteration, ou meſcontentement entre les conſubgectz de meſme Prince, ſa Maieſté les veuillans traicter tous bien & eſgallement, comme ſes bons & loyaulx ſubgectz, ſans diſtinction ou difference, affin meſmes, que le premier poinct de l'oubliance generalle des iniures mutuelles, & choſes paſſees, fortiſſa ſon plain & entier effect, (vray fondement de toute vnion) Icelle declaire & trouue treſiuſte, que toutes perſonnes tant Eccleſiaſticques que ſeculiers, r'entrent & ſoient remiſes d'vne part & d'autre en leurs biens meubles & immeubles, tiltres, debtes & actiõs paiſiblemẽt, pour en ioyr & prouffiter promptement en tel eſtat, que leſdicts biens ſeront trouuez en nature, ſans fraude, ny malengien, non obſtant touttes alienations, faictes au contraire. Ce qui aura lieu auſſi bien pour les biens eſtans en Bourgoigne, Luxembourg, Hollande, Zeelande, qu'aultres lieux, & tant a l'endroict deſdicts Eccleſiaſticques, que du Prince d'Orainge, & tous aultres iacoit, que les prouinces de Bourgoigne &, Luxembourg, n'eſtoyent comprinſes & traictez precedens.

X.

Ambo hi articuli tanta æquitate, ac iuſtitia certatim exuberant; quod qui illorum diſpoſitionem faſtidiat, palam confiteatur neceſſe ſit, nihil minus quam pacem ſolidam & rotundam ſe optare. Nam, vt ex æquo, tam de bonis quam officijs, & functionibus, diſpiciatur, quis tam expers fuerit rationis, & æquitatis: profiteri quod auſit minorem eſſe habendam rationem oppreſſorum Eccleſiaſticorum, aliorumque fidelium miniſtrorum Regis, quam cæterorum, qui partes ſuas deſeruere. Quid enim profuerit primus articulus, diſponens de obliuione iniuriarum; ſi modo hi ſoli, ad inſtar illorum, qui à criminis macula nondum ſatis vindicati, cogentur tanquam extorres, inhonorati, boniſque ſpoliati reliquum tempus vitæ in luctu tranſigere? Speciosa profecto eiuſmodi obliuio, verbis reconciliationem ſimulare, re autem ipſa ex odij fomite, tum paupertatis laqueos viris bonis inijcere, tum etiam à muneribus publicis excluſionem ſuperaddere, prout Ordines Statuum requirere videntur, articulo ſuo decimoquinto. Etenim ſi Ordines vna cum ſuis membris, ac miniſtris vniuerſis plenarie reconcilientur Regi; cur non & Rex vna cum ſuis æquali iure potientur. Eſt ſane modus in rebus: nec decet Regem & ſuos, ad eum modum irritarier. Sapit equidem (medius fidius) haud leuis temeritatis notam eiuſcemodi quid proponere, abſit perurgere: vt liceat, ni forſan animus ſit, ſuſtinere ſolos Eccleſiaſticos vna cum Regijs, vt peccare potuiſſe, ita reliquos ſolos impeccabiles manſiſſe.

Quoad vndecimum

Articulus iſte, nil niſi meram gratiam ac ſummam Regis beneuolentiam continet: nam olim, qui potuit miniſtros cooptare quos & vnde locorum voluit, nunc ſponte ſe aſtringit ad Belgium, & quidem ſolos naturales; cæteris autem ſuis Regnis, ac ſubditis eorundem parum abeſt, quin tanquam anathemate percuſsis ab omni functione Belgica prorſus & omnino excluſis. Ingens profecto & inaudita hæc regis clementia, qui cum in re tanti momenti liberrimus fuerit olim: tamen in obſequium Subditorum ſibimet ipſi nunc quaſi compedes iniicit. Eſt ſane (ſi modo res ipſa penitius inſpiciatur) ſpecies quædam ſeruitutis haud vulgaris, libertatem eli-

quæ generalis futura, omnibus ex æquo conſulere, nec quenquam relinquere ſubtriſtem. Id enim Regi cumprimis curæ eſt, fueritque ſemper, & ob id reijcere prouiſionem in futurum, nec conuenit, nec decet, ne illi, quorum exiſtimationi ipſa deſtitutio iam nebulam offuſiſſe conſtiterit, ſe iniuria præteritos fuiſſe conquerantur, tanquam pinguiore ſorte ſucceſſorum, ſibi, ad honoris inſtaurationem, nequaquam profuturam.

Quoad decimumſextum, & decimumſeptimum.

Vtriuſque articuli rationes tam ſunt prægnantes, & manifeſtæ, quòd nemo videatur tam ſobriè poſſe ſapere, qui ſecum expendens, quænam ex profeſſo ſit vocatio Regis Catholici, non vltro iudicet, graue nimis fore: Velle tanto Principi circa admiſsionem nouæ religionis legem præſcribere, ſeu alias per contumaciam cogere, ad paucorum ſubditorum arbitria publicæ religionis exercitium componere. Nā vt ſilentio prætereatur, quod vſu & educatione ſit, ſemperque fuerit abſolutè ac zeloſè Catholicus: etiam illud accedit, quod eo tempore, quo hiſce Belgicis Prouincijs olim inauguratus extitit, ad ſancta Dei Euangelia ſolenniter iurarit, de Religione Catholica Romana ad extremum vſque vitę ſpiritum conſtanter tuenda, ac retinenda. Quid enim hoc vinculo ad ſtrictam obligationem fouendæ Religionis auitæ, cogitari poteſt fortius? Alium ſanè, quàm Regem Catholicum quærat, oportet, cui animus ſit perſuadere, crimen perjurij inter grauiſsima peccata numerarier deſijſſe. Nouit enim Rex tanta pietate imbutus, quātus vindex periuriorum Deus eſſe ſoleat; quamque etiam graue & nefandum ſit flagitium, in negotio Religionis petulanter luxuriari: præſertim verò, dum, quæ diuis facta pia vota animi quadam leuitate eluduntur: ſiquidem liberaliter adimpleri, non autem rideri ſacra iuramenta debeant. Illud autem rariſsimæ clementiæ teſtimonium per ſe longe grauiſsimum, quod Rex (nihil tam ſitiens, quàm ex debitæ conuerſionis oportuno remedio veram ſubditorum ſalutem paulatim elicere) etiam paratus ſit, rigorem ſuorum placitorum competenter moderari, atque ea via omnium tranquillitati conſulere.

Quoad decimumoctauum.

Haud operæpretium videtur præſenti articulo prolixius inhærere, tum quod ex ipſo tenore ſuimet ſit iuſtificatiuus, tum etiam quod à Legatis Ordinum non magnopere de eo laboretur.

Quoad decimumnonum.

Omnium autem iuſtiſsimè Rex poſtulat, arbitrium deſignandi Gubernatoris Generalis (à cuius præſtantia ac virtute tota ſalus populi, ſimul & ſecuritas vniuerſi Principatus haud dubiè pendet) ſibi permitti, tanquam Principi ſupremo ac naturali. Quid enim magis propriè ad principalis functionis ſublimiorem poteſtatem pertinet, quàm de ſuomet Vicario, ac locumtenente ſtatuere, non tam

alieno, quam iudicio proprio, ſiquidem populo ſatis eſſe debeat, quod Rex ſpondeat, talem ſe cooptaturum, qui ſubditis meritò ſit placiturus, nec id ſolum, quinimo etiam ad eum modum gubernaturus, quod iuſtitia & æquitas, iuxta ac iura & priuilegia patriæ ſuum decus & ſecuritatem omni ex parte ſint ſortitura.

Quoad viceſimum.

Si modo ne animus ſit Regem Principatu ſuo prorſus exuere, ratio dictare videtur, quod hac in re tam æquabili mos gerendus ſit S. Maieſt. vt nimirum ſublata memoria rerum nouarum præteritarum tanto tempeſtiuius ad veterem formam regiminis, ſub qua olim Belgium tanto tempore floruit, omnia reuocentur. Nam ciuitates, vrbes, fortalitia, & ſi quæ alia ſimilia, ad alterius, quàm Principis manus deponere haud ſane aliud eſt, quàm Principem exauctorare, & perpetuam diffidentiam inter ſe, & ſubditis malis artibus nutrire. Abundè namque ſatis proſpicitur, ſecuritati prouinciarum: quod Rex adeo clementer offerat, ſe velle vniuerſam eius cuſtodiam, tum ciuitatum, tum fortalitiorum (ſicubi opus videbitur) ſolis Prouincialibus concedere.

Quoad viceſimumprimum.

En quæ & quanta liberalitas Regis? hactenus ſingulis annis iacturam fecit ampliſsimi patrimonij annui, tamen, ac ſi tantundem ſibi accreuiſſet, ſpontè iam cedit quibuslibet prætēſionibus, tantum id cauet, vt ne violenta hæc vſurpatio ſerpat vlterius. Quid enim poſſet à Rege verè magnanimo, iuxta ac liberaliſsimo expectari indulgentius?

Quoad viceſimumſecundum.

Hocce articulo iterum quaſi ex integro ratificantur Pax Gandauenſis, & perpetuum Edictum Marchienſe: tantum additur, occaſione paucorum articulorum, (quos ad præſentem rerum faciem propius accommodare fuit neceſſe) conſueta ac ſalutaris clauſula, videlicet (quatenus præſenti huic tractatui nequaquam repugnent) Idem priores in ſuis articulis ſtipulati fuere legati populi Belgici, tamen ac ſi Regi minus permiſſum foret, ex cauſa iuſta quicquam limitando alterare, quam ipſis, idem iam reprehendunt in ſcripto Regio. Ex qua re pluſquam manifeſto apparet, quonam loco Regis auctoritas habeatur, & quàm multis id ſtudio ſit, Regis poteſtatem eneruarier. Porro vt ne ignoretur, quænā potiſsima ratio Ducem de Terranoua impulerit, quo minus præcisè articulorum pacis Gandauenſis tenori inſiſtendum cenſuerit, ponderatô cumprimis opus fuerit, quàm notoriam & pergrauem violationem ipſa Pax Gandauēſis, ſtatim ab exordio poſteriorum motuum perpeſſa fuerit, præſertim verò poſt Religionem, tum Gandaui, tum Antvverpiæ, tum alibi: Quibus acceſsit modica diſcretio Principis Auraici, qua ilicò poſt abſolutum tractatum Gandenſem vti cœpit, non minus in poſtulando ea,

quæ

quæ prorſus contra omnem rationem, & ſupra terminos dicti tractatus ſibi deberi prætendebat, quam etiam in largiẽda ſatisfactione plerisque Ciuitatibus Hollandiæ, ad ſuum regimen quaſi poſtliminio reuerſurus: idque alia via ac ratione, quã iure & ex pacto tenebatur. Quæ omnia cùm ceſſerint in termaximum præiudicium S. Maieſtatis proſpiciundum fuit in hoc tractatu, ne tam graues exceſſus, competenti remedio deſtituti, ad longè grauiores viam monſtrarent. De reliquis vero articulis, ad poſtremum vſque haud operæpretium fuerit attingere: Sunt namque eius generis, qui ne quidem Legatis Ordinum diſpliceant.

Num. XXXI.

Vnſer freundlich dienſt/ vnd was wir liebs vnd guts vermögen/ auch günſtigen gruß/ gnedigen vnnd geneigten willen zuuor/ Hochgeborne/ Ehrwürdige/ Wolgeborne/ Edle/ Erſame/ Fürſichtige vnnd Weiſe/ beſondere liebe freund vnd beſondere: Auch Durchleuchtige/ Hochgeborne Fürſten/ Ehrwürdige/ Wolgeborne/ Edle/ Würdige/ Ehrnhaffte/ Fürſichtige vnnd Weiſe/ gnedige Fürſten/ gnedige/ günſtige Herrn vnd freund/ Ewer F. G. vnd gunſten ſeyen vnſere willig dienſt/ vnnd alles guts zuuor. Wir ſetzen in keinen zweiffel/ ewer L. L. F. G. vnd jhr/ werden hieuor ſo wol auß vnſerm an ewer L. vnnd euch/ außgangnem ſchreiben/ wie auch ſonſt/ vernommen haben/ welcher geſtalt/ als wir alhie vermög habender Kayſerlicher Commiſſion/ dieſer friedens Tractation einen anfang in Gottes namen zu machẽ/ erſchienen/ ewer L. L. F. G. vnd ewere Geſandten daſelbſt nit funden/ ſonder ettliche wochen lang/ nit mit geringen beſchwernuſſen/ erwarten müſſen. Vnd wiewol wir vns dennoch endlich verſehen gehabt/ es würden ewer L. L. F. G. vnd jhr/ derſelben Deputierten/ der Röm. Kay. May. vnſers allergnedigſten Herrn beſchehener Vätterlicher/ trewhertziger erinnerung/ noch mit genugſamem Gewalt hieher zu diſer vnderhandlung/ wie dann die Kön. W. zu Hiſpanien jres theils auch gethan/ abgefertigt haben. So befinden wir doch demſelben zugegen/ daß beyde vns von ewer L. L. F. G. vnd ewern obgemelten Geſandten fürgetragene Gewäld/ neben andern mengeln/ ſo wir jhnen/ den Geſandten/ nottürfftiglich zuuerſtehen geben vnd erklärt/ limitirt/ vnd ſich nit weiter als ſechs wochen/ von dem tag jhrer vns vbergebner friedens medien vnnd Articuln anzurechnen/ erſtrecken thun/ binnen welcher zeit/ vnangeſehen wir an vnſerm euſſerſten vnnd möglichen fleiß nichts erwinden laſſen/ ſo hats doch das von vns gewünſchtes end wider vnſere zuuerſicht bißher nit erreichen mögen. Die weil dann ſolch zeit vnnd

termin

termin nunmehr ſchier fürüber / vnnd gleichwol vngern ſehen wolten/ daß der Röm. Kay. Maieſt. vns allergnediſte aufferlegte Commiſſion alſo ohne frucht abgehen/ſonder vielmehr ewer LL. ewer F.G. vnd euwerer zu ſelbs eigen wolfart/gedeyen/vnd gemeinem beſten ſeinen heilſamen/glücklichen außgang gewiñen möcht: Als haben wir nit vmbgehen können noch ſollen/ ewer LL.F.G.vnd euch/ hiemit freundlich/ günſtig/gnedig/dienſtlich vnd fleiſſig/diß alles zu gemüt zu führen/ zu ermanen/vñ daneben zu begeren vnd zu bitten/jhren Abgeſandten/ die wir gleichfals vor lengſt nach der lengdt erinnern / vnd darūb erſuchen laſſen/ nit allein den terminum der ſechs wochen/ zu endlicher verhoffentlicher volnführung berürter vnderhandlung zu prorogiren/ſonder auch denſelbigen jhren Geſandten volnkommenlichen / notwendigen Gewalt/vnd ohne einige limitation/ damit dißfals kein mangel ferner erſcheine/das angefangen werck dardurch auch nit vmbgeſtoſſen/ fürderlich zükommen zu laſſen/ vnd hierin/wie auch ſonſt durchauß in diſer vnderhandlung/ dermaſſen erweiſen vnnd erzeigen / daß ewer LL. F.G. vnnd ewer friedfertig gemüt von jedermenniglich geſpürt werde: Des wollen wir vns zu ewer LL.F.G.vnnd euch / der ſachen gelegenheit nach/freund günſtig/gnedigh vnd dienſtlich verſtehen. Vnd ſeynd ewer LL.F.G. vnd euch/ zu freundlichen/angenemen willen/gunſten vnd gnaden wol gewogen/auch vnderthenig dienſt zu erzeigen willig. Datum Cöllen den xxvj. Junij/ Anno 79.

Den General Staten der Niderlanden.

Ingelegter Zettel.

NAchdem wir auch von ewer LL.F.G. vnd ewern Geſandten vnlengſt vertröſtet worden / daß ſie des Hertzogen de Terranoua vbergebene friedens mittel vnnd Articul ewer LL.F.G. vnnd euch / davon zum vberfluß Copey beygelegt worden/ zükommen laſſen: Begeren vnnd bitten freund günſtig / gnedig vnnd fleiſſig / die Reſolution darauff lenger nit eynzuſtellen / ſonder zu befürdern / vnnd neben angeregten Gewalt vnnd prorogation vnuerzüglich herauff zu vberſchicken. Datum, vt in literis.

REVE-

Num. XXXII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GEneroſi, *Nobiles, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarij.*

ILluſtriſsimus Dux Arſchotanus, & nos reliqui Ordinum Legati aliquoties publicè & priuatim indicauimus, niſi Celſ. & Dign. V. ſua interceſsione pacem inter Sereniſs. Regem, & Ordines conſtituant, metuere nos, ne Ordines neceſsitate coacti, de alia forma Reipub. cogitare incipiãt, qua ſe & ſua contra conatus & iniurias Hiſpanorũ ſecurius & melius tueri & conſeruare poſsint. Nunc verò literis ea de re acceptis, intelligimus non ſolũ ſuper eo, quod ante declarauimus, deliberari: ſed & Ordines ad oblationem, quæ de nouo à Duce Andegauenſi, tam per literas, quàm per Legatum eius facta eſt, quæ propterea etiam promptius & gratius accipitur, quod exiſtimetur matrimonium cum Regina Angliæ contracturus, iam inſtructionẽ concepiſſe. Cuius exemplar ad nos quoq; tranſmiſſum eſt, ſuper qua conſilium & voluntatem ſingularum Prouinciarum requiſierunt. Vt Celſ. & Dign. V. per literas, quas hic exhibemus, abundè cognoſcent.

Quare cùm pro certo habeamus, niſi pax hic per Celſ. & Dign. V. concilietur, Rege ſe per ſuum Legatum ad neceſsitates noſtras nullo modo accommodare volente, nec finem iniurijs & vaſtationibus exercitus ſui imponẽte, Ordines ad actum priuationis proceſſuros, quo declaraturi ſint Regem imperio, authoritate, & Dominio, quod habet, vel habere poteſt in Belgio, excidiſſe: ſubditos à iuramento, quod Maieſt. eius præſtiterunt, eſſe & fore in perpetuum ſolutos & liberos. Deinde extremè coactos Ducem Andegauenſem iuxta pacta & conuentiones iam ante cum Celſ. eius initas, recepturos.

Illuſtriſsimus Dux, & nos reliqui Ordinum Legati prætermittere non potuimus, quin Celſ. & Dign. V. huius incontinenti certiores faceremus, cùm hac amica, humillima, humili, & officioſa petitione, vt de huiuſmodi medijs cogitare velint, quibus & Sereniſs. Rex nobis, & nos Regi, Principi, & Domino noſtro naturali æquis conditionibus, quas à nobis præſertim in cauſa religionis iam ante ex articulis noſtris Celſ. & Dig. V. cognouerunt, conſeruemur. Actum Coloniæ 4. Iulij, Anno 1579.

Num. XXXIII.

MEſsieurs, Comme hier vous auons eſcrit & enuoyé par la poſte, ce que nous ſembloit cõuenir pour reſpõce ſur les voſtres du 18. de ce mois, n'auõs voulu laiſſer de vous enuoyer l'inſtruction, laquelle auons faict dreſſer en cõformité des accords faicts auec Monſ. le Duc d'Alencõ, à fin, que tãt mieux ſoyes informez de tout, et aſſeurez que noſtre intẽtiõ eſt de poure-

 neoir

veoir a la ſeureté & conſeruation du pays, par la meilleure voye que trouuerons conuenir, ce que vous auez auſſy donné en charge, de declairer en vertu de voſtre derniere inſtructiō. Ne voulāt auſſy obmettre de vous aduertir, que Monſeigneur le Duc le 23. de ce mois nous a faict declarer par ſon Ambaſſadeur d'Eſpruneaux, qu'il continue en ſa bonne affection vers ces pays, Et comme le mariage de luy auec la Royne d'Angleterre s'approche, qu'il aura tant meilleur moyen de nous aßiſter. A quoy le Roy ſon frere luy auroit auſſy offert les forces de toute la France, nous baillant de ſa part la lettre ioincte a ceſtes. Et ne ſeruant la preſente a aultre effect, que pour vous enuoyer la copie de ladicte inſtruction, & lettres allantes quand & ceſtes feront fin, priant Dieu.

Meßieurs, vous octroyer l'accompliſſement de voz bons & vertueux deſirs. D'Anuers ce 29. Iuing 1579.

De voſtre Excel. Reueren. & Seigneuries

Bien affectionnez en ſeruice les Eſtatz generaux des pays bas.

Par Ordonnance deſdicts Eſtats ſigné.

A. Byleuen.

La ſuperſcription eſtoit,

A Meißieurs,

Monſeigneur le Duc d'Arſchot, Prince de Chymay, de Porceau, Conte de Beaumont, &c. Cheuallier de l'Ordre de la thoiſon d'or. Reuerend Perez en Dieu, les Prelats de S. Gertrude, & de Maroilles, & aultres Seigneurs Deputez des Eſtatz generaux en Couloigne.

Num. XXXIIII.

MEßieurs, voſtre lettre du 3. d'Apuril, dont eſtoit porteur Harangier me tire de la peine ou i'eſtois, de n'auoir eu de voz nouelles, depuis mon partement de Conde, ny veu encores aulcune des Deputez, qu'auiez reſolu m'enuoyer. Et ne ſcauois que penſer, voyant tant de longueurs naiſtre, lors que les promeſſes portees es traictes & conuentions paſſez entre nous debuoient reuſſir. Toutesfois apres auoir bien conſideré les cauſes de ce retardement amplement deduictes par voſtre lettre: I'ay veu que ce n'a poinct eſté faulte ny changement de bonne volunté, mais qu'au contraire vous demeurez fermes en la reſolution, qu'auez prinſe d'entretenir & ſatisfaire a voſdicts promeſſes, & me donner toute occaſion de contentement, qui eſt ce que ie me ſuis touſiours promis de voſtre ſyncerité & rondeur. Vous priant croire, que pour eſtre eslongue de vous, ie ne diminue rien de l'affectiō que i'ay au bien de voz affaires, mais que ie demeure reſolu de ne me departir aulcunement

cunement de la bonne intelligence, que i'ay auec vous conforme auſdicts traictez, & conuentions, ainſi que le Seigneur de Pruneaulx, qui eſt pres de vous pour mon ſeruice, vous fera plus particulierement entendre, ſuyuant la charge, que ie luy en ay donnée, comme de tout ce, qui me concerne par dela. Et vous prie, vous en aſſeuerer & continuer la communication & intelligence familiere, qu'auez en auec luy, laquelle ie trouue tresbonne & neceſſaire pour la conduicte des affaires. I'approuue auſſy, qu'ayez enuoyé voz Deputez a l'aſſemblée de Couloigne, dõt i'attens la reſolution, qui ne peult a mon aduis plus gueres tarder, puis que vous leur auez limité le temps ſi court. Ie deſire qu'il ſy prenne reſolution telle, que vous ayes occaſion de vous en contenter, & vous puiſſe apporter le repos & tranquillité, que ie vous ſouhayte. Mais ie ne puis eſtre que treſmarry de la deſvnion de ceulx de Haynault, Artois & Lille, tant pource que ie y voye vng commencement de partialitez, dont l'exemple eſt pernicieux bien fort, que pour la doubte que i'ay, que ces diuiſions apportent a eulx beaucoup de malheur & deſauantage, & augmente l'auantage & l'eſperance de l'ennemy, qui ſans doubte esbranlerõt bien toſt, ſi chacune Prouince demeuroit vnie pour la conſeruation de tout, de quoy de ma part ie m'affectionneray toſiours aultant que prince qui viue. Et n'eſpargneray iamais aucun moyen que i'aye, de vous faire paroiſtre, en quelle recommendation i'ay vous & voz affaires: m'aſſeurant, que vous m'en donnerez aultãt d'occaſion, que la preuue que i'en ay faicte le merite, en recognoiſſance de laquelle vous vous eſtez ſi liberalement obligez, que i'ay de quoy croire, qu'en l'accompliſſement vous vſerez de meſme liberalité, comme le requiroit bien l'eſtat de vous affaires, leſquelles ie prie Dieu Meſſieurs vouloir terminer a voſtre heur & contentement, & vous maintenir tous en ſa ſaincte garde. Eſcript a Paris le 13. de Iuing 1579.

Voſtre bienaffectioné amy

Francois.

La ſuperſcription eſtoit,

A Meſſieurs,

Les Eſtatz generaux des pays bas.

Num. XXXV.

I.

PRimo, pacificatio anno 76. die 8. Nouemb. Gandaui inita, & conſtituta, Vnio quoque Bruxellẽſis 9. Ianuarij anno. 77. ſubſecuta, *E*dictum inſuper perpetuum Bruxell. 17. Febr. eodem anno publicatũ, vna cum approbatione Regia, ſaluis ſequentibus Articulis, obſeruabuntur, & executioni mandabuntur.

II.

Et quia præter ea, quæ à tempore primorum motuũ acciderunt, poſt iam dictos tractatus pacificationis Gandauenſis, Vnionis, & Edicti perpetui, vltro citroque varia facta, dicta, & admiſſa fuere,

 tam

tam in generali quam in particulari hac præſenti quoque pacificatione non minus poſteriorum iſtorum factorum, & dictorum, quam eorum, quæ antea contigerunt, perpetua obliuio conſtituatur: ita vt eorum nulla fiat amplius mentio, exprobatio, aut inquiſitio, quaſi ea nunquam accidiſſent: idque ſub pœna exemplaris correctionis ſubditis contrauenientibus tanquam perturbatoribus tranquillitatis publicæ infligenda.

III.

Rex Catholicus Vaſallis, ſubditiſque ſuis ſeruabit, manutenebit, &, ſi opus videbitur, etiam denuo confirmabit omnia & ſingula iura, vſus, conſuetudines, immunitates, exemptiones & Priuilegia quarumlibet Prouinciarum, Ciuitatum, Oppidorum, Communitatum, aliorumque priuatorum omniu͂m tum in genere, tum in ſpecie, quemadmodum in Edicto perpetuo art. 10. &, cum Prouincijs Belgicis inauguratus extitit, promiſit, & iurauit.

IIII.

Omnes milites extranei, vtpote Hiſpani, Itali, Germani, Galli, Burgundi, Angli, Scoti, ac cæteri omnes peregrini, qui propter hoſce motus vtrinque accerſiti ſunt in Prouincijs Belgicis, ab hac pace promulgata intra N. terminum ſimul excedent & eodem tempore.

V.

Quod vero attinet ad alios milites non extraneos, etiam ad pleniorem exonerationem afflictorum ſubditorum, mandabit Rex vniuerſum militem, tam terra, quam mari, eodem ququе tempore exauctorari & dimitti, vt nimirum deinceps ſibi priuatim viuant in tranquillitate, ordinarijs tantum præſidijs retentis, ac ſuffecturis.

VI.

Subditi quoque Ciues, & Incolæ omnes citra cunctationem redeant ad mercaturas, opificia, & negotia pacis, quibus ſe, vxores, liberoſque citra iniuriam proximi honeſtè ſuſtentare valeant, & à publico armorum vſu antea non conſueto, & pacis tempori non conuenienti deſiſtant, & abſtineant.

VII.

Vniuerſæ exactiones, impoſitiones, cæteraque inuſitata vectigalia, & onera præſentiũ turbarũ occaſione quomodolibet indicta, penitus ceſſent, & tollantur: Ita tamen, quod ſi quæ certorum onerum continuatio adhuc fore ex vſu publico iudicabitur, ſimul atque per Ordines Statuum eiuſcemodi quid demonſtratum fuerit, Rex haud grauatim ſe Ordinum conſilijs iuxta ac deſiderio accommodabit.

VIII.

Præterea reſtaurabitur libertas Commerciorum, & trãſitus vbiuis locorum per vrbes, pagos, pontes, portus earundem Prouinciarum

rum

rum non minus terra, quam mari, perque fluuios & flumina, prout factitatum ante præſentes hoſce tumultus. Nouis autem vectigalibus, & impoſitionibus abſque Regis auctoritate eatenus per hos motus de facto inſtitutis, incontinenti ceſſaturis.

IX.

Et ne qua ſemina altercationum, aut querelarum relinquantur, omnes tam Eccleſiaſticæ perſonæ, quam Seculares, tam intraneæ, quam extraneæ recuperabunt pacificè bona ſua mobilia extantia, & omnia immobilia, titulos, debita, & actiones: iiſque ſtatim vti, ac frui poterunt in eo nimirum ſtatu, ac qualitate, quibus inpræſentiarum illa ipſa reperientur: idque dolo omni, ac fraude ſemotis, non obſtante vlla hypothecatione, aut quauis alienatione facta in contrarium. Et hoc tum in Burgundia, Luxenburgio, Hollandia, Zelandiaque; tum etiam in aliis quibuſlibet Prouinciis, ac locis non minus ad vtilitatem Eccleſiaſticorum quam Principis Auraici, ac aliorum denique omnium.

X.

Similiter quoque Subditorum quilibet hinc inde etiam redintegrabitur in ſuis honoribus, dignitatibus, beneficiis, Gubernaculis, muneribus, functionibus, & officijs, plane ad inſtar prout ab exordio horum motuum extiterit. Exceptis tantum iis, quibus contra libertatem, iuraque, ac Priuilegia Patriȩ de vlla functione prouiſum fuiſſe demonſtrabitur. Prouiſo tamen, quod eiuſmodi ſpoliati denuo redintegradi, tenebuntur præſtare iuſiurandum, cuius in proximo ſequenti articulo fit mentio. Prout facturi quoque cȩteri ad nouas functiones, & officia in poſterum cooptandi; reuocando, caſſando, & annullando, quicquid hinc inde factum, decretumue fuerit in contrarium.

XI.

Nulli admittentur ad vlla Gubernacula Prouinciarum, Ciuitatum, Caſtrorum, & fortalitiorũ, Capitaneatus, aut Præfecturas militum, nec ad conſilia rerum Status, priuatum, Financiarum, aliaque officia maioris momenti præter naturales Patriæ; Qui etiam ante receptionem vltra antiqua, & conſueta Iuramenta Regi tanquam eorum Principi naturali præſtari ſolita, ſolenniter iurabunt in hos articulos, eoſque promittent fideliter, ſincereque ſeruare: ſub pœna periurij & tanquam tales puniendi.

XII.

Captiui vtriuſque partis omnes, qui ob dictos tumultus adhuc dum detinentur, ſtatim & abſque vllo pretio relaxabuntur. Niſi iam antea de eo aliud inter eos fuerit conuentum, & concordatum.

XIII.

Comes Buranus ſuæ libertati, & Patriȩ, quantocius fieri poterit, reſtituetur. In difficultatibus quoque Principem Auraicum concer-

 nenti-

nentibus conciliandis, poſt pleniorem earum informationem, omnis diligentia adhibebitur.

XIIII.

Decreta, diſpoſitiones, & ordinationes per D. Archiducem Matthiam, ſuoſque Collaterales, & Ordines Statuum à tempore vltimarum turbarum, nomine Regis emanatæ, pro legitimis ac validis habebuntur, ſuoſque debitos ſortientur effectus, quoad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaſpiam res, quę ſolent eſſe poteſtatis ac diſpoſitionis ordinariæ illorũ, qui tenent locum Gubernatoris dictarum Prouinciarum: non autem in ijs, quæ propriæ perſonæ Regis reſeruantur, aut ſi quæ factæ ſint contra iura, Priuilegia, & immunitates patrias, tam in generali, quam in particulari, vel alioqui in vllius iniuriam ſeu detrimentum redundarint.

XV.

Pariter etiam quarumlibet Vrbium, & aliorum locorum Magiſtratus, ſeu Officiati ſuis functionibus deſtituti, alia vià, ac ratione, quam iuris legitime ſeruato, aut alias contra Priuilegia dictarum Vrbium, aut præter ordinarios, conſuetoſque modos cumprimis reſtituentur, & redintegrabũtur in dignitates, officiaque ſua, nec non ad eorum creationem futuris temporibus procedetur, prout olim, & ſicut ex iuribus, moribus, & Priuilegiis cuiuſque Patriæ, Vrbis & loci decet, ne cui facta toleretur iniuria.

XVI.

Auctoritas, & obedientia Regi a Subditis cumprimis reſtituetur & ſeruabitur, qualis merito iuxta præſcriptũ Diuini & humani Iuris, nec non Priuilegia, vſus, & conſuetudines patrias eſſe debet, qualiſque olim ſeruata eſt, vt recte nimirum adminiſtretur iuſtitia, ſubditi regantur in omni ratione, æquitate, quiete, & obedientia idque ad eam formam, modumque, quo factum eſt ab omni memoria tam defuncti Imperatoris Caroli Quinti, eiuſque prædeceſſorum, quam etiam à Regis tempore vſque ad harum turbarum initia, etiam cum obſeruatione ſupradictorum tractatuum, ſimul & præſentis. Sine cuius auctoritatis inſtauratione, ac ſubditorum obedĩetia nequaquam poſsibile eſt, populum in vnione, concordia, rectaque iuſtitia, quiete, ac tranquillitate manuteneri.

XVII.

Supereſt de Gubernaculis generalibus dictarũ Prouinciarum; quarum occaſione Rex eliget Principem de ſanguine, qui, quæue rerum experientia pollens habeat dotes & qualitates ad eius generis arduum munus cumprimis neceſſarias, & de quo ſeu qua Subditi iuſtã cauſam ſatiſfactionis ſint habituri. Gubernabit autẽ cũ omni iuſtitia, & æquitate, præſertim vero ſecundum vſus, Iura, conſuetudines & priuilegia dictarum Prouinciarum, etiam comprehenſo hoc præſentis reconciliationis Edicto, quod tenebitur promittere & iurare.

Ad

XVIII.

Ad cuius quidem Gubernatoris generalis manus, citra vlteriorem hæſitationem, planè ac integrè tradentur omnes, & ſingulæ Ciuitates, Vrbes, fortalitia, & alia loca, quæ ab vna alteraue parte quocunque titulo aut prætextu modò tenentur, vnà cum Patrimonio ad Regem pertinente, tormentiſque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis, & nauibus: Vt nimirũ ea loca, quæ ab omni memoria præſidium habuerunt conſilij Regij Senatus, ſiue conſilij Status naturalibus Belgiis aſtringendis iureiurando, quod vltra antiqua & conſueta Iuramenta Regi, tanquam eorum Principi naturali, præſtari ſolita, hos articulos fideliter ſeruabunt, cuſtodienda committat, aliâſque de illis diſponat: ſicuti ſeruitio Regis ſimul, & commodis, ac ſecuritati Prouinciarum magis expedire arbitrabitur, & aliàs prout fieri decet, factumque fuit ante motus præſentes.

XIX.

Permittente nihilominus Rege (& quidem merè in huius recõciliationis gratiam) vt quod hactenus ex eius Patrimonio ſeu populi ſubſidiis deſumptum & collectum fuit, id ita collectum, receptumque maneat abſque vlteriori perſecutione, ſeu vexatione cuipiã mortalium eatenus inferenda. Ita tamen, vt in poſterum ab eiuſmodi detentionibus, occupationibus & collectis deſiſtatur.

XX.

Pacificatione Gandauenſi, Vnione generali Statuum ſecuta, et Edicto perpetuo Bruxellenſi, ſupra ab initio poſitis ſaluis, Ordines Statuum renunciabunt aliis omnibus fœderibus, pactis, mutuiſque ſponſionibus, contractis occaſione dictorum tumultuum, tam intra quam extra Prouincias.

XXI.

Comprehendentur hoc tractatu Regina Angliæ, et Dux Andegauenſis.

De cæteris concernentibus expeditionem, confirmationem, publicationem, perpetuamque, et firmam obſeruationem huius pacificationis, poſtea agendum erit, cum omnia fuerint concordata, et concluſa.

I.

QVAE concernunt religionem, quæ omnibus Principibus vere Chriſtianis iure debet eſſe commendatiſſima, haud poteſt Rex vllatenus prætetire, quin veſtigiis Regum Catholicorum ſuorum Maiorum inhærendo, percupiat, ac mandet in Prouinciis ſuis Patrimonialibus retineri, ſeruarique religionem Catholicam, Apoſtolicam, Romanam, ab omni æuo non ſolum ibidem receptam, verumetiam

ſub

ſub qua earundem Prouinciarum ſubditi olim tantopere floruere, & in qua tam dictum Regem, quàm cæteros ſuos prædeceſſores, olim Prouincijs inauguratos, & mediante ſolenni iureiurando in Principes ſupremos ac naturales receptos fuiſſe, notoriè conſtat. Quæ quidem ſupradicta Religio, excluſa quauis alia, liberè, pacificè, & abſque vllo impedimento vbiuis locorum, per vniuerſas ditiones Belgicas poſthac tradetur, & exercebitur: prout etiam Ordines iam antea ſe ipſos in Vnione generali prædicta mutuò, ac ſolenniter obligarunt, & in Edicto quoque perpetuo, ac literis frequentibus Regi non minus poſt, quàm ante turbas præſentes ſe paſſuros & procuraturos addixerunt; & ſicut etiam iampridē ſcripſere ad S. Maieſt. Imperialem; vſque adeò, quod abſque graui nota, vt ne dicatur confuſione, vniuerſi ſtatus politici, haud poſsint in re tanti momenti proprijs ſcriptis vlla ex parte contrauenire.

II.

Ijs verò, qui oriundi ſunt ex prouincijs, quæ in præſenti tractatione comprehendentur, in Religione Catholica Romana viuere noluerint, Regius Mandatarius reſpiciens ad præſentem ſtatum Belgij concedet illis terminum quatuor annorum computandorum à die publicationis præſentis tractatus: Infra quem terminum ab omni coertione & moleſtia, occaſione placitorum religionis ſibi inferenda, exempti & immunes erunt. Niſi cum conſilio Ordinum Belgij legitimè ac debitè in loco tuto, vbi ſuffragia libera eſſe queant, congregandorum dictus terminus abbreuiatus fuerit. Poteruntque interim de ſtatu ſuo maturè ſecum deliberare. Quo termino elapſo, niſi ad dictam Catholicam Romanam religionem redierint, omnino è Belgij Prouincijs recedere, & aliò domicilium trāsferre ac viuere teneantur. Prouiſo tamen, quòd interea temporis eiuſmodi ſubditi à ſcandalis, ac rerum perturbatione ſtudioſè abſtineant. Quo caſu etiam liberrimè fruentur omnibus ſuis bonis, tam mobilibus, quàm immobilibus, iuribus, actionibuſque: & poterunt ea ipſa, qualiacunque fuerint, etiam aliò transferre, ſeu vendere, aut alienare, prout eis videbitur. Imo & hoc amplius (ſi modò bona ſua retinere malint) etiam poterunt abſentes ad eorundem bonorum regimen, adminiſtrationem, & receptionem in Prouincijs ſibi eligere Quæſtores Catholicos, qualeſcunque volēt. Ac præterea toties, quoties voluerint, ad Prouincias iteratò redire, victuri tamen ritibus, ac moribus priſtinis, & vt perſonas Catholicas decet. Eritque huiuſcemodi reditus ac facultas bona adminiſtrandi per ſe cuilibet bona fide permiſſus, ſtatim atque Paſtoribus, Officiatis, ac Magiſtratibus locorum, ad quæ redire cupient, talis intentio ac voluntas inſinuata fuerit. Ex qua quidem Regali indulgentia nulli non perquàm manifeſtum redditur, quod Rex nihil minus, quàm bonorum confiſcationes, ruinam, & perniciem ſuorum ſubditorum appetat: multo autē minus quod

rigore

rigore ſuperiorum Placitorum ipſos perſtringere conſtituerit: cùm vel etiam paratiſsimus ſit ea ipſa placita cum conſilio Ordinum Status competenter temperare ac moderari.

Num. XXXVI.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GEneroſi, *Nobiles, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarÿ.*

ILluſtriſsimus Dux Arſchotanus, & nos reliqui Ordinum Legati perlegimus vtroſq; Articulos, quos Celſ. & Dign. V. nudiuſtertius nobis exhibuerunt. Cur ita diuiſi & ſeparati ſint, cùm à neutra parte diuidantur, rationem ſuam habere poteſt. Sed quantum ad commendationem eorũ attinet, tantum abeſt, vt Ordines eos pro æquis habituri ſint, vel vt æquos, prout putatur, obuijs vlnis recepturi, quin potius ècontra metuamus, ſi illum effectum conſequantur, eos non aliò, quàm ad maiores perturbationes & mutationes ſeruituros.

De primo, quòd vt æqui non recipientur, inde patet, quòd in omnibus conueniant cum articulis à Duce de Terra noua exhibitis, ſic vt nullum quaſi medium à Celſ. & Dign. V. propoſitum eſſe dici poſſit, ſed de nouo articuli Ducis de Terra noua repetiti ſunt, ijdemque veſtro aſſenſu, & authoritate vidẽtur approbari & confirmari. At iſti articuli iam ante per Ordines improbati & recuſati fuerunt, ſicut ex literis eorum Celſ. & Dign. V. cognouerunt.

De ſecundo, quòd maiores perturbationes & mutationes excitaturi ſint, in primis inde metuitur, quòd contra, quàm Ordines vnquam cogitarũt, contra quam Dux de Terra noua ipſe quibuſdam ex noſtris promiſit, cõtra etiam quã Celſ. & Dig. V. & publicè & priuatim tum Cæſareo & proprio nomine aliquoties declararũt, ſe velle pacificatiões priores ſequi, nũc tamẽ in pleriſq; illę infirmẽtur & aboleãtur.

Deinde cuncta, quæ per Ordines ad opt. formã Reip. conſtituendam, ad communẽ tranquillitatem, & ſecuritatem confirmandam, circa comitia, honores, dignitates & officia; item circa tributa, vectigalia, bona, munitiones, & iuramenta inſtituerunt & ordinarunt, ea omnia tanquam nulla & iniqua reijciuntur.

Qui putat, ad pacem illa collatura, vt quicunque nunc regunt & præſident, remoueãtur, homines alij Ordinibus nõ grati, vel qui iam ante exoſi & graues ſubditis fuerunt, in ipſorum locũ ſufficiantur, & reſtituãtur. Deinde cætera illa publica ita tractari velit, tanquã ad Ordines nõ pertineãt, atq; ſolius Regis arbitrio cũ ſuo cõſilio relinquãtur, is nõ videtur ſatis de præſenti ſtatu rerum in Belgio informatus eſſe: vel præiudicio quodã anticipatæ & ſiniſtræ opinionis impeditur.

Quamdiu Princeps,& Domini noſtri naturales,vel eorum Gubernatores humanitate,beneuolentia,& moderatione quadam cum obſeruatione mediocris Iuſtitiæ erga ſubditos vſi ſunt , tandiu nec Ordines, nec priuati exactiorem & ſtrictiorem rationem iurium & Priuilegiorum ſuorum,etiamſi in multis læderentur,habere, et inire voluerunt.

Sed poſteaquam per Gubernatores et Conſiliarios Regis iura, & Priuilegia ſua prorſus inuerti, et auferri, noua iura introduci; item tributa noua, Vectigalia noua indici, conſtitui, publica officia vendi, eaque imperitiſsimis & viliſsimis hominibus commendari,iuſtitiam male & perperam vbique adminiſtrari viderunt, ibi Ordines non ſolum ad defendendos ſe & ſuos, arma aduerſus illos ſuſcipere, ſed ſimul Iura & priuilegia ſua maiori ſtudio vrgere, & tueri,iuſte & legitime inducti & coacti ſunt,

Quicunque nunc Ordines ad eam rem adiuuarunt, quicunque pro neceſsitate Reipub.ab ijs electi,& promoti ſunt, item quæcũque pro conſeruatione Iuſtitiæ & tranquillitatis Reipub. conſtituerunt, iuſtæ defenſionis ſuæ tempore, quo iure diuino & humano adminiſtratio Reipub.apud eos fuit,ea vt nulla vel iniqua negligere , et reijcere,non poteſt non magnas confuſiones et perturbationes, non ſolum apud vnam partem,ſed etiam apud vtramque parere,vel ſaltem, ſi hic vnus ex vna parte alteri præponatur,fieri non poteſt, quin in ſe mutuo cõmoueantur et inſurgãt. Cui facto per Celſ.et Dign. V. non occaſio et cauſa dari,ſed ea omnibus modis prçaueri,et auerti debẽt.

Non eſt is ſtatus rerum nunc,in quo præciſe vel officium Regis, vel ſubditorum conſiderari poteſt,nempe quod vnus alteri præſtare debeat,ad quod tamẽ ſi attenderemus,firmiora argumẽta pro ijs,quę egerunt Ordines,inuenientur,quã ſunt iſta,quibus alij acta iſta refellere,et labefactare conantur,modo quis ad illam communem ſententiam reſpicere velit,qua traditur Principes propter ſubditos creatos, et ordinatos eſſe,non ſubditos propter Principes.

Sed expedit eam moderationẽ huic negotio adhiberi,vt nec vnius,nec alterius ius non nimis ſtrictè requiratur;Sed ambo de iure ſuo aliquid remittant et concedant,donec mutua fides,mutua beneuolẽtia per legitimam Gubernationem et obedientiam inter ſeren. Regẽ Catholicum,Principem,et Dominum noſtrum naturalẽ,et nos ſubditos eius confirmata et ſtabilita fuerit. Hæc de politicis Articulis,

Quod attinet ad Articulos de Religione inprimis mirati ſumus, cur dictum nobis fuerit,Celſ.et Dign.V.vltra nihil à Duce de Terranoua impetrare poſſe,quam quod ijs articulis continetur?Non enim media ab Excellentia ipſius,ſed à Cæſa.Maieſt.et à Dign. V.eius Commiſſarijs mediatoribus et interceſſoribus expectauimus: Imo multò magis mirati ſumus, non ea media nobis à Celſitudi. Dignitatib. V.propoſita eſſe, quæ ipſe Dux de Terra noua quibuſdam ex noſtris

obtu-

obtulit,et addixit,et quę fere omnes Principes Catholici in ſuis ditio•nibus piiſsimè et prudentiſsimè ſeruant:ne cui ſubdito in religione graues ſint,ſi ciuiliter et honeſtè ſecundum politicas leges inter con•ciues et conruſticos ſuos viuat,modo non author ſit alterius exerci•tii,vel in eo loco alio exercitio vti cupiat. Et adhuc controuerſia eſt, in Imperio,an,qui ſic viuit,expelli poſsit: Sed et magis,non ægrè etiam ferunt,ſi illi ſubditi,qui ſunt Auguſtanæ Confeſsionis,è ſuis Vrbibus & Pagis ſingulis diebus feſtis exeant, & ad vicinam Vrbem, & Pagum commeent,ibique Conciones audiant,eaque quę ſuę ſunt religionis,cæremonias,& Sacramenta exerceant,vt non habeãt quod de exercitio conquerantur. Ad quod in hoc negotio ſimiliter reſpi-ciendum fuit,ne illi,qui ſunt alterius religionis,exercitio prorſus de-ſtituantur,cùm ſine illo conſcientijs ſuis ſatisfacere nequeant.

Mirabilius autem nobis viſum eſt,adhuc Placitorum in ijs Arti•culis mentionem fieri,quibus ad religionem Regis ſubditi cogendi ſint,quaſi non ſatis ſanguinis propter religionem hactenus effuſum ſit,quin debeat adhuc & in bello & in pace gladius in cauſa religionis contra omnem pietatem,& iuſtitiam dominari.

Cùm ergo ea,quæ diximus,in vtriſque articulis ita ſe habeãt,nec vllo modo alius euentus ex ijs,quam qui maiores turbas,& mutatio-nes allaturus ſit,expectari poſsit,rogamus Celſitud.& Dign.V.ſi quid forte moderatius adhuc & melius pro pace & ſalute noſtra habeant, & proponere ſtatuant,vt id nobis hodie vel ſaltem in diem craſtinum communicare velint. Agnoſcimus quem honorem, & reuerentiam Celſitud.& Dign.V.debeamus,vt minus honeſtum videatur,certum tempus definire: ſed neceſsitas publica, & officij noſtri ratio poſtu•lat,vt ex literis Ordinum iam ante cognouiſtis, ne diutius hoc nego•tium extrahi patiamur. Neque etiam nunc animus nobis eſt, in vl-lam vlteriorem tractationem progredi,ſed neceſſe putauimus, iſtud adhuc quærere & intelligere: Sin verò hi articuli vltima ſit reſolu-tio,quibus Celſ.& Dign.V.volunt & cenſent Ordines contentos eſ-ſe debere, id tribus verbis nobis ſignificetis; vt,quod porro in Man-datis habemus,perficiamus,& ad noſtros redeamus. Actum Coloniæ xij. Iulij, Anno 1579.

Num. XXXVII.

1.

PRrimo, Pacificatio Anno &c.76. die 8. Nouemb. Gandaui inita,& inſtituta; Vnio quoque Bruxel•lenſis 9. Ianuarij.Anno &c. 77. ſubſecuta; Edictũ inſuper perpetuum Bruxellis 17. Februarij An•no eodem publicatum, vna cum approbatione Regia,in omnibus ſuis punctis & articulis ſerua-buntur,& executioni mandabuntur.

VII.

Præterea reſtaurabitur libertas commerciorum & tranſitus vbiuis locorum, per Vrbes, pagos, pontes, portus earundem prouinciarum, non minus terra, quam mari, perque fluuios, & flumina, prout factitatum fuit ante præſentes hoſce tumultus: Nouis autem vectigalibus, atque impoſitionibus, abſque Regis auctoritate eatenus per hos motus de facto inſtitutis, in continenti ceſſaturis.

VIII.

Et ne qua ſemina altercationum aut querelarum relinquantur omnes Eccleſiaſtici, nec nō omnes Seculares, tam intranei, quam extranei, recuperabunt pacifice bona ſua Secularia & Eccleſiaſtica, reſpectiuè mobilia extantia, & omnia immobilia, titulos, debita, & actiones: iiſque ſtatim uti, ac frui poterunt, in eo nimirum ſtatu ac qualitate, quibus in præſentiarum illa ipſa reperientur: Idque omni dolo ac fraude ſemotis; Non obſtāte vlla hypothecatione, aut quauis alienatione à tempore Pacificationis Gandauenſis facta in contrarium. Quæ vero ante pacificationem Gandauenſem acciderunt, eiuſdem diſpoſitioni relinquuntur.

IX.

Similiter quoque ſubditorum quilibet hinc inde etiam redintegrabitur in ſuis honoribus, dignitatibus, beneficijs, gubernaculis, muneribus, functionibus, & officijs, planè ad inſtar prout tempore Edicti perpetui (illis, quæ ante Edictum contigere, eiuſdem diſpoſitioni relictis) extiterit. Exceptis tantum iis, quibus contra libertatem, iuraque ac Priuilegia Patriæ, de vlla functione proſpectum fuiſſe demonſtrabitur. Prouiſo tamen, quod eiuſcemodi ſpoliati denuo redintegrandi, tenebuntur præſtare iuſiurandum, cuius in proximo ſequenti articulo fit mentio, prout facturi quoque ſunt cæteri, ad nouas functiones, et officia in poſterū cooptandi. Reuocando, caſſando, & annullando quicquid hinc inde factum, decretum, pronūciatumue fuerit in contrarium.

X.

Nulli admittentur ad vlla gubernacula prouinciarum, Ciuitatum, Caſtrorum, & fortalitiorum, Capitaneatus, aut Præfecturas militum, nec ad conſilia rerum Status, priuatum, financiarum, aliaque officia maioris momenti, præter naturales harum prouinciarum ſub gubernaculis generalibus comprehenſarum. Qui etiam ante receptionem, vltra antiqua & conſueta iuramenta, Regi tanquam eorū Principi naturali præſtari ſolita, in hos articulos Regi & Ordinibus ſolemniter iurabunt, eoſque promittent fideliter, ſincerèque ſeruare, ſub pœna periurii & tanquam tales puniendi,

XI.

Captiui vtriuſque partis omnes, qui ob dictos tumultus ad huc dum detinentur, ſtatim & abſque vllo pretio relaxabuntur: niſi iam

antea de eo aliud inter eos fuerit conuentum et concordatum.

XII.

Comes Buranus ſuæ libertati et Patriæ intra tres Menſes, poſtquam Princeps Auraicus ea, quæ cum ipſo tractabuntur, impleuerit, reſtituetur.

XIII.

Decreta, diſpoſitiones, & ordinationes per D. Archiducem Matthiam, ſuoſque Collaterales, & Ordines Statuum à tempore vltimarum turbarum, nomine Regis emanatæ, pro legitimis ac validis habebuntur, ſuoſque debitos ſortientur effectus, quoad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaſpiam res, quę ſolent eſſe poteſtatis ac diſpoſitionis ordinariæ illorũ, qui tenent locum Gubernatoris dictarum Prouinciarum: non autem in ijs, quæ propriæ perſonæ Regis reſeruantur, aut ſi quæ factæ ſunt contra iura, Priuilegia, & immunitates patrias, tam in generali, quam in particulari, vel alioqui in vllius iniuriam ſeu detrimentum redundarint.

XIV.

Pariter etiam quarumlibet Vrbium, & aliorum locorum Magiſtratus, ſeu Officiati ſuis functionibus deſtituti, alia via, ac ratione, quã iuris ordine legitime ſeruato, aut alias contra Priuilegia dictarũ Vrbiũ, aut præter ordinarios, conſuetoſque modos cumprimis reſtituentur, & redintegrabũtur in dignitates, officiaque ſua, nec non ad eorum creationem futuris temporibus procedetur, prout olim, & ſicut ex iuribus, moribus, & Priuilegiis cuiuſque Patriæ, Vrbis & loci decet, ne cui facta toleretur iniuria.

XV.

Auctoritas, & obedientia Regi a Subditis cumprimis reſtituetur & ſeruabitur, qualis merito iuxta præſcriptũ Diuini & humani Iuris, nec non Priuilegia, vſus, & conſuetudines patrias nec non pacificationem Gandenſem, Vnionemque ſubſecutam, Edictum perpetuum, et præſentem Tractatum eſſe debet, qualiſque olim ſeruata eſt, vt recte nimirum adminiſtretur iuſtitia, ſubditi regantur in omni ratione, æquitate, quiete, & obedientia idque ad eam formam, modumque, quo factum eſt ab omni memoria tam defuncti Imperatoris Caroli Quinti, eiuſque prædeceſſorum, quam etiam à Regis tempore vſque ad harum turbarum initia. Sine cuius auctoritatis inſtauratione, ac ſubditorum obedıẽtia nequaquam poſsibile eſt, populum in vnione, concordia, rectaque iuſtitia, quiete, ac tranquillitate manuteneri.

XVI.

Supereſt de Gubernaculis dictarum Prouinciarum; quarum occaſione Rex eliget Principem de ſanguine, qui, quæue rerum experientia pollens habeat dotes & qualitates ad eius generis arduum munus cumprimis neceſſarias, & de quo, ſeu qua Subditi iuſtã

cau

ſatiſfactionis ſint habituri. Gubernabit autem cum omni iuſtitia, & æquitate, præſertim vero ſecundum vſus, Iura, conſuetudines & priuilegia dictarum Prouinciarum, etiam comprehenſis Pacificationibus ſupradictis, et hoc præſentis reconciliationis Edicto, quod tenebitur promittere & iurare.

XVII.

Ad cuius quidem Gubernatoris generalis manus, citra vlteriorem hæſitationem, plane ac integrè tradentur omnes, & ſingulæ Ciuitates, Vrbes, fortalitia, & alia loca, quæ ab vna alteraue parte quocunque titulo aut prætextu modò tenentur, vnà cum Patrimonio ad Regem pertinente, tormentiſque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis, & nauibus: Vt nimirũ ea loca, quæ ab omni memoria præſidium habuerunt conſilio conſilij Status naturalibus Belgicis aſtringendis iureiurando, quo vltra antiqua & conſueta Iuramenta Regi, tanquam eorum Principi naturali, præſtari ſolita, his articulis ſeruandis Regi, & ordinibus ſeſe obligabunt, cuſtodienda committat, aliàſque de illis diſponat: ſicuti ſeruitio Regis ſimul, & commodis, ac ſecuritati Prouinciarum magis expedire arbitrabitur, & aliàs prout fieri decet, factumque fuit ante motus præſentes.

XVIII.

Permittente nihilominus Rege (& quidem merè in huius recõciliationis gratiam) vt quod hactenus ex eius Patrimonio ſeu populi ſubſidiis deſumptum & collectum fuit, id ita collectum, receptumque maneat abſque vlteriori perſecutione, ſeu vexatione cuipiã mortalium eatenus inferenda. Ita tamen, vt in poſterum ab eiuſmodi detentionibus, occupationibus & collectis deſiſtatur.

XIX.

Pacificatione Gandauenſi, Vnione generali Statuum ſecuta, et Edicto perpetuo Bruxellenſi, ſupra ab initio poſitis ſaluis, Ordines Statuum renunciabunt aliis omnibus fœderibus, pactis, mutuiſque ſponſionibus, contractis occaſione dictorum tumultuum, tam intra quam extra Prouincias.

XX.

Comprehendentur hoc tractatu Regina Angliæ, et Dux Andegauenſis.

De cæteris concernentibus expeditionem, confirmationem, publicationem, perpetuamque, et firmam obſeruationem huius pacificationis, poſtea agendum erit, cum omnia fuerint concordata, et concluſa.

QVAE

LXXXVIII.

Num. XXXVIII.

I.

QVAE concernunt religionem, quæ omnibus Principibus vere Chriſtianis iure debet eſſe commendatiſsima, haud poteſt Rex vllatenus prætermittere, quin veſtigiis Regum Catholicorum ſuorum Maiorum inhærendo, percupiat, ac mandet in Prouinciis ſuis Patrimonialibus retineri, ſeruarique religionem Catholicam, Apoſtolicam, Romanam, ab omni æuo non ſolum ibidem receptam, verumetiam ſub qua earundem Prouinciarum ſubditi olim tantopere floruere, & in qua tam dictum Regem, quàm cæteros ſuos prædeceſſores, olim Prouincijs inauguratos, mediante ſolenni iureiurando in Principes ſuos naturales receptos fuiſſe, notoriè conſtat. Quæ quidem ſupradicta Religio, excluſa quauis alia, liberè, pacificè, & abſque vllo impedimēto per prouincias Belgicas poſthac tradetur, & exercebitur: prout Ordines etiam iam antea in Vnione generali ſeipſos mutuò, ac ſolenniter obligarunt, & in Edicto quoque perpetuo, ac literis frequentibus Regi non minus poſt, quàm ante turbas præſentes ſe paſſuros & procuraturos addixerunt; & ſicut etiam iampridem ſcripſere ad S. Maieſt. Imperialem, vſque adeò, quod abſque graui nota, vt non dicatur confuſione vniuerſi ſtatus politici, haud poſsint in re tanti momenti proprijs ſcriptis vlla ex parte contrauenire.

Quod verò ad Hollandiam, Zeelandiam, & oppidum Bommel attinet, diſpoſitioni Pacificationis Gandauenſis relinquitur: Ita tamen, quòd interea temporis in ijs Ciuitatibus, ac locis dictarum Prouinciarum Religio Catholica Romana reſtituetur, in quibus tempore dicti tractatus ibidem exercebatur.

II.

Subditis, qui in reliquis Prouincijs Belgicis in hac tractatione comprehenſis, à Catholica Romana Religione receſſerunt, Rex Catholicus ad præſentem Belgij ſtatum reſpiciens, per Regium ſuum Commiſſarium cōcedit, vt liceat ijs in Prouincijs iſtis ſine aliqua coarctione, aut moleſtia, occaſione placitorum religionis eouſq; ſuſpendendorum, degere & manere, donec cum coſilio Ordinum, legitimè ac debitè in loco tuto, vbi ſuffragia libera eſſe queant, per Regem, ſeu eius Gubernatorem Generalem congregandorum aliter diſpoſitum fuerit ſuper placitorum moderatione. Prouiſo tamen, quòd interea temporis eiuſmodi ſubditi à ſcandalis, ac rerum perturbatione, ac omni vſu & exercitio alterius, quàm Catholicæ Romanæ religionis prorſus abſtineant. Et interim etiam liberrimè fruentur omnibus ſuis bonis, tam mobilibus, quàm immobilibus, iuribus, actionibuſque: & poterunt ea ipſa, qualiacunque fuerint, etiam aliò transferre, ſeu vendere, aut alienare, prout eis videbitur. Et quatenus ſua bo-

na retinere malint, poterunt etiam abſentes ad eorundem bonorum regimen, adminiſtrationem, & receptionem in Prouincijs ſibi eligere Quæſtores Catholicos, quoſcunque volent. Præterea toties, quoties voluerint, ad Prouincias iteratò redire, victuri tamen Catholicè, iiſq; ritibus, ac moribus, quos perſonas Catholicas decet. Eritque huiuſmodi reditus ac facultas bona adminiſtrandi per ſe cuilibet bona fide permiſſus, ſtatim atque Paſtoribus, Officiatis, ac Magiſtratibus locorum, ad quæ redire cupiant, talis intentio ac voluntas inſinuata fuerit. Ex qua quidem Regali indulgentia nulli non perquàm manifeſtum redditur, quod Rex nihil minus, quàm bonorum confiſcationes, ruinam, & perniciem ſuorũ ſubditorum appetat: nec etiã quod rigore ſuperiorum Placitorum ipſos perſtringere conſtituerit: Cùm paratiſsimus quoque ſit ea ipſa Placita cum cõſilio Ordinum Statuũ competenter temperare, ac moderari, omniaque facere, quæ ad Dei Opt. Max. cultum, Prouinciarumq; quietem, & tranquillitatem pertinent, ac benignum, amantiſsimũ, Chriſtianumq; Principem decẽt.

Num. XXXIX.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, *Generoſi, Nobiles, Sac. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.*

ILluſtriſsimus Dux Arſchottanus, & nos reliqui Ordinum Legati, legimus & cõſiderauimus Articulos, qui hodie manè nobis exhibiti ſunt, & quia inuenimus eos propius ad mentem & intentionẽ Ordinũ accedere, volumus inprimis Celſ. & Dig. V. quàm maximas gratias agere, pro fauore, opera, & labore, quẽ Ordinibus, & nobis amicè, gratioſiſsimè, gratioſè, & beneuolè in Pace cõciliãda oſtendunt, & præſtant. Sed cùm Celſ. & Dign. V. non ignorent, etiamſi nos Articulis iis contenti eſſe vellemus, virtute tamẽ Mandati noſtri amplecti nos eos non poſſe: Sed eſſe multos alios, quibus non minus illi, quàm nobis perſuaſi & probati eſſe debent. Ad eam rem nihil magis expedire arbitramur, quam vt quamprimum non ſolum apud Ordines Generales: ſed etiam apud Status ſingularum Prouinciarum ſuper iis deliberetur. In eum finem ſecundum Prouincias, quarum nomine hic comparuimus, aliquos ex noſtris deputare propoſuimus, qui fideliter hoc, quod ſupra diximus, exequantur. Sed cùm ſingulæ Prouinciæ, & præſertim illæ, quarum Mandato hic agimus, in ſingulos dies irruptionem Hiſpanorum expectent, fieri id commodè ad vtilitatem, & deſiderium noſtrum non poteſt, niſi tamdiu requies illis, & ceſſatio ab armis concedatur. Quæ res etiam, ſi rectè conſideretur, & ſyncerè inter Sereniſsimum Regem, & Catholicum Principem &

Dominum noſtrum naturalem,& Ordines reconciliatio,& pax quęratur,de ea Celſ.et Dig.V.tum etiam Illuſtriſs.Dux de Terra noua nō poſſunt aliter iudicare. Quapropter, vt Celſ. et Dign.V. principium nunc Pacis ineundæ iacere incœperunt, rogamus porrò, vt eodem affectu et amore perficere eam ſtudeant: et dum in hoc cum Ordinibus Generalibus, et Particularibus incumbere ex toto animo propoſuimus,quod pium,iuſtū, et æquum eſſe putamus, hoc agere velint, vt ſaltem ad duos menſes ceſſatio ab armis indicetur. Ad quod etiam perſonam Cęſ.Maieſt.quæ auctrix et conciliatrix huius Pacis eſt,tum etiam perſonas veſtras, quæ Eccleſiaſticæ ſunt, et maximè perſonas, inter quas hoc bellum geritur,attendi cupimus,quibus omnibus nihil minus conuenit, quàm arma pati dominari, vbi ſeriò de pace agitur.

Hæc ſynceris animis Illuſtriſs.Dux, & reliqui Ordinum Legati, Celſ.& Dign.V.propoſita volumus: Nec dubitamus, quin Ordinibus iſta grata futura ſint. Imo niſi ita fiat,adhuc dicere neceſsitas nos cogit, metuere nos in iſto armorum horrore, & armorum perturbatione nihil pacificum,& frugiferum vſquam actum & concluſum iri. Dictum & exhibitum Coloniæ 8.Iulij, Anno etc.79.

Num. XL.

SACRAE CAES. MAIEST. AD NEGOTIVM *Pacificationis Belgicæ deputati Commiſſarij.*

Illuſtres, Reuerendi, Generoſi, Nobiles, Prudentes, & Circumſpecti.

QVemadmodum vbique gentium percrebuit quibus, quantisq́; calamitatibus, & afflictionibus Patria veſta aliquot annis iactata, concuſſa , & vaſtata fuerit, ita nemini obſcurum eſſe poteſt, quàm vero paterno affectu & ſtudio Sacra Cæſarea Maieſtas huius adeo calamitoſi et diuturni, in veſtris viſceribus ardentis belli faces extinguere hactenus tentauerit. Cumque ſua Maieſtas inter cætera remedia, quibus Patriam veſtram, ab hoc flagranti incendio liberatam, priſtino ſplendori, Legibus atq; inſtitutis Patrijs reſtituere conata eſt, nobis grauiſsimum onus et curam eius rei perficiendæ impoſuerit, omnino duximus noſtri eſſe officij, quantum in nobis eſſet, tantis malis maturè occurrere: ac proinde ante quatuor integros mēſes, ſepoſitis noſtris, noſtrorumq́; ſubditorū negotijs, nos huc cōtulimus, eoq́; affectu, quo et Regi Catholico, et vobis, et toti Imperio, ac Reipublicæ Chriſtianæ ex animo benè volumus, nec laboribus, nec moleſtijs, nec ſumptibus pepercimus, nihilq́; prætermiſimus, quod ad Pacē conci-

liandam neceſſarium, vel vtile eſſe arbitrati ſumus. Quanquam autem Legatos veſtros non tantum in initio huius actionis aliquandiu expectauimus: ſed & deinde illos, cùm minus ſufficienti, & ad ſex hebdomadas reſtricto Mandato comparentes ſæpiſsimè ad hortati ſumus, vt plenius Mandatum, & temporis prorogationem procurarent, eoque nomine etiam ad vos ſcripſimus, & certò nobis perſuaſimus, in vobis moram nullam futuram: tamen præter ſpem & expectationem noſtram nec ad literas noſtras reſponſum à vobis accepimus, nec Legatis veſtris ſufficientius Mandatum tranſmiſſum, nec temporis prorogatio facta, nec interim ab innouationibus & mutationibus Pacis conciliationem difficiliorem reddentibus in Belgio ceſſatum eſt. Quæ res cauſam non iniuſtam nobis tribuere potuiſſet, ſpem omnem Pacis conſtituendæ protinus deponendi, & ad euitandos inutiles ſumptus, & moleſtias hinc diſcedendi, niſi & Cæſareæ Maieſtatis Mandatum, & pietas Chriſtiana erga ſubditos Belgij, qui diuturnis inteſtinis bellis miſerè atteruntur, nos hîc detinuiſſet, et ad tractationem hanc continuandam commouiſſet. In qua eò tandem progreſſum eſt, vt in politicis negotijs huiuſcemodi media propoſuerimus, et à Regis Mandatario Duce de Terranoua obtinuerimus, quæ nemo non iuſtiſsima, et ad tollendas omnes hactenus allegatas ſumptorum armorum cauſas commodiſsima cenſere poteſt, niſi quis adeo diuini & humani iuris, & promiſsionis per Ordines, & ſubditos tam ſanctæ, totieſque iteratæ, immemor eſſe velit: vt obedientiam, & authoritatem, ad retinendam Reipublicæ tranquillitatem, modis omnibus neceſſariam, Regi prorſus denegandam & auferendam eſſe arbitretur. In negotio quoque Religionis ipſemet Regius Mandatarius, nomine Regis, vltro non minus, ſed potius plus, quàm in Pacificatione Gandauenſi, Vnione ſecuta, et Edicto Bruxellenſi conuentum, frequentioribusque tam ad Sacram Cæſ. Maieſtatem, quàm ad Regem Catholicum, et alios Principes literis promiſſum, totieſque iuratum fuit, ſubditis conceſsit. Quod cùm ita ſit, et per horum mediorum acceptationem omnes politicæ controuerſiæ, propter quas grauiſsimum hoc bellum inchoatum eſſe allegatum fuit, planè ceſſaturæ ſint. Inſuper etiam in negotio Religionis Regi vi et armis plus extorquere velle, quàm prioribus iuratis Pacificationibus, promiſsionibuſque conſentaneum eſt, ac Regius Mandatarius vltro permiſit, nec æquum, nec neceſſarium ſit, et ipſa patriæ veſtræ calamitas omninò poſtulet: vt difficillimo eius tempori, et ingruentibus maioribus periculis, quàm ocyſsimè, et ſine vlla mora ſuccurratur. Miramur non immerito, quamobrem ad huiuſmodi media ante tres hebdomadas veſtris Legatis porrecta, et per eoſdem tunc temporis vobis proculdubio tranſmiſſa, hactenus nihil reſponſi acceperimus. Cumque noſtra, et Subditorum noſtrorũ negocia, ſolius huius tractationis cauſa per

tot mẽſes ſepoſita,et ſuſpenſa,plane nõ admittant,vt hic diutius fruſtra nos detineri patiamur,facere non potuimus, quin denuo media propoſita vobis tranſmitteremus,et nomine Sac.Cæſ.Maieſt. veſtrũ reſponſum exigeremus.Diligẽter igitur,et ſedulo vos adhortamur, vt quàm primum ad media his literis noſtris adiũcta ,tale reſponſum nobis tranſmittatis;vt et Cæſ.Maieſt.et omnes Imperii Status, et nos ex eo certò deprehendere, et intelligere poſsimus, vos malle ſopitis odiis,armiſque ſublatis in pace tutò viuere,quam funeſti et calamitoſi huius belli incommoditatibus,et periculis diutius agitari. Ad quã pacem maturè,et ſolidè conficiendam, et corroborandam neceſſarium erit,vt Legatis veſtris vna cum dicto reſponſo ſufficiens quoque Mandatum mittatis.Quod ſi feceritis,vti facturos confidimus, vobis ipſis et Patriæ veſtræ officium optimum,et planè neceſſarium præſtabitis.Deus optimus Maximus vos diu ſeruet incolumes, et ad pacem oblatam obuiis vlnis amplectendam flectet,et inclinet.Datum Coloniæ quinta Augusti.Anno &c. lxxix.

Num. XLI.

SACRAE CAES. MAIEST. AD NEGOTIVM *pacificationis Belgicæ deputati Commiſſarij.*

Reuerendi, Generoſi, Nobiles, Spectabiles, & Prudentes.

QVID hactenus ex Sacræ Cæſ. Maieſtatis Mandato ad patriam veſtram ex diuturni et calamitoſi belli incendio eripiendam,& liberãdam,cum Regis Catholici,Principis veſtri naturalis, Mandatario Duce de Terra noua,& Legatis Ordinum Belgij egerimus, & quæ pacis media propoſita ſint, per eorundem Ordinum Legatos,vel Deputatos Antuerpiæ congregatos vobis ſignificatum eſſe non dubitamus. Et licet ſuperfluum fortè videri poſſet eo nomine ad vos, aliarumque Prouinciarum Belgicarum Particulares Status literas dare; cum tamen à Sacra Cæſ. Maieſtate nobis mandatum,noſtrique officij ſit, vt quacunque ratione hoc Pacificationis negotium promoueamus,& ab Ordinum Deputatis Antuerpiæ congregatis, nec ad priores noſtras literas,nec ad media pacis ante aliquot hebdomadas propoſita, reſponſum hactenus acceperimus,& noſtræ, ac Subditorum noſtrorum cauſæ hactenus ſepoſitæ,& ſuſpenſæ, ac tantum non neglectæ non admittant,vt nos hic diutius fruſtra detineri patiamur,facere nõ potuimus,quin & vobis, & aliarum Prouinciarum Belgicarum Particularibus Statibus,poſteriorum literarum noſtrarum ad Ordines ſcriptarum, & mediorum propoſitorum Copias tranſmitteremus. Certò enim nobis perſuademus, veſtram promotionem apud Ordi-

num

num Deputatos Antuerpiæ exiſtentes tantum ponderis & momenti habituram, vt eo maturius & celerius ab ijſdem reſponſum accepturi ſimus. Diligenter igitur & ſedulo vos adhortamur, vt ea cura & diligentia, quam res tanti momenti, & totius Patriæ veſtræ ſalus exigit, negotium hoc perpendatis; ſimulque cogitetis bellum hoc ſiue trahatur, ſiue impetu breuiori finiatur, in eam tādem neceſsitatem Prouincias facile adducere poſſe, vt ad difficiliorem multo, quam nunc offertur, pacem compellātur, atque tāto magis apud Deputatos Ordinum Antuerpiæ congregatos ea, qua oportet, dexteritate negotiū hoc veſtrum promoueatis, & ſollicitetis: vt quamprimum ad media his adiuncta, paci & tranquillitati, ac quieti Patriæ veſtræ conueniens reſponſum, & Legatis ſuis, & veſtris hic exiſtentibus ſufficiens Mandatum tranſmittatur. Vt ita Dei omnipotentis ope pax vobis, & Patriæ veſtræ reſtitui, & funeſti ac calamitoſi belli fax extingui poſsit. Neque ab eo propoſito alicuius diffidentiæ opinione, ſi quæ forte ab aliquibus felicitati veſtræ minus fauentibus vobis ſuggeratur, vos abduci patiamini, cum Regis Catholici animum ad pacem nō ſolum faciendam, ſed & ſeruandam, & continuandam ita omnino affectum ſciamus, vt non dubitemus, Imperatoria maximè intercedente authoritate, quin ea ſic muniri poſsit, ne quicquam periculi in poſterū vnquam vobis vniuerſis, & ſingulis ſit metuendum, vel expectandū. Deus Opt. Max. vos ſeruet incolumes, vobiſque pacem iamdiu exoptatam concedat. Datum Coloniæ die 5. Auguſti Anno. 1579.

Ad Prouincias particulares & Ciuitates.

Num. XLII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GEnerosi, Nobiles, *Sacræ Cæſariæ Maieſtatis Commiſſarij.*

Illuſtriſsimus Dux Arſchotanus & nos reliqui Ordinum Legati nudiuſtertius literas ab Ordinibus accepimus, quibus primum nobis ſignificāt, ſe Articulos, quos Celſ. & Dign. V. nobis exhibuerunt, ad ſingulas Prouincias tranſmiſiſſe, vt ſuper ijs iudicium, et voluntatem earum cognoſcant.

Secundo, poſteaquam petitionem noſtram, quam eodem die, quo Articuli exhibiti ſunt, de Induciis fecimus, æquam et neceſſariam prorſus inueniant, requirunt a nobis, vt vrgere eas non deſiſtamus. Nondum enim literæ noſtræ, quibus indicauimus illas denegatas eſſe, ad eos tum peruenerant.

Nihilominus Illuſtriſsimus Dux, et nos excitati iſtis literis ſemel adhuc toties propoſitam de Induciis petitionem renouare vo-

luimus;Idque ex hac ratione maxime, quod Ordines nobis ſignificent permouendis,& conciliandis ſubditorum animis, qua re principium ad Pacificationem ponitur, nihil adeo ſeruiturum, quam ſi illæ in præſenti ad tempus aliquod indicantur. Ita etiam non ignorant Celſ.& Dign. V. Inducias per ſe in manſuetudinis officijs includi, eaſque ſæpe non paruas tantum iras, ſed & magnas atque difficiles reſtinxiſſe,& beneuolentiam facile conciliare.

Quinimo conſiderata perſona Ser. Regis erga ſubditos ſuos, quorum obedientiam & amorem maiores eius,& Maieſtas illius ipſamet inaugurationis tempore,'& pòſt quam Maximum cognouit & experta eſt, qui nunc multis annis communiter ab exercitu Hiſpano vexati, direpti & oppreſsi ſunt, his aliquot hebdomadarum Inducias in eum finem petitas, vt ſecure & quietè ſuper Pacis conditionibus conuenire,& deliberare poſsint, denegare, non putant poſsibile eſſe, modò ex parte Regis ſyncere recóciliatio, & pax, et nòn potius media ad prorſus perdendos et ſubiugandos ipſos quærantur.

Quid multis?nec nos tacere poſſumus, iam ab initio nobis duram viſam fuiſſe induciarum recuſationem, et durior adhuc ea viſa eſt, quæ poſtremo facta eſt: nec dubitamus, quin etiam Sacræ Cæſareæ Maieſt. diſplicebit, multoque adhuc magis Celſſ. et Dign. V. propter perſonas, quas ſuſtinent, diſplicere. Cui hoc ſolum, nunc addere volumus, ex Mandato Ordinum, niſi illæ concedantur, quæ alioquin Pacem præcedere,& ad eam viam præparare ſolent, metuere ipſos, omnem cogitationem Subditos de pace abiecturos: quod & ante indicauimus; Cum è contra Inducijs conceſsis ſpem nouæ beneuolentię concipient, animiſque à bellicis curis & timoribus nõnihil liberatis, ſimul inter ſe ea ſolum, quæ ad pacem facere poterunt, ſine dubio deliberaturi,& ſciſcituri ſint.

Conditiones Induciarum iam ante quoque expoſuimus, eæ in ijſdem literis repetuntur, nimirum, quam diu illæ durant, vna & altera pars ſe contineat in locis, Ciuitatibus, & munitionibus, quę occupauit,& detinet,& vt vtrique ad ea liberè meare, & remeare, in ijs agere,& conuerſari liceat, communicatione vnius partis cum altera penitus interdicta.

Gratioſiſsimi Domini, hæc eſt Ordinum ſeria adhuc de Inducijs petitio ex rationibus, quas ſupra diximus. Eas rationes & pro veſtra prudentia perpendatis,& vna cum Duce de Terranoua communicetis, eiuſque Excel. ad locum petitioni illi dandum indicatis, Illuſtriſſimus Dux Arſchotanus,& nos Ordinũ Legati obnixiſsime petimus.

Vltimo Celſſ.& Dign. V. latere non volumus, etſi generales Ordines non expreſſe terminum nobis prorogauerint, tamen ſicut antea, ita et nunc iuſſerunt nobis hic ſubſiſtere, donec reſponſum ſuper Articulis Pacificationis ab ipſis accipiamus. Actum Coloniæ 9. Auguſti, Anno 1579.

REVE-

XCV.

Num. XLIII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMIQVE *DD. Electores, Principeſque Generoſi, Nobilesq́ Domini, Cæſ. Maieſt. Delegati longe digniſsimi.*

AD ea, quæ circa Inducias, armorumque ſuſpenſionem ab ampliſsimo veſtro conſeſſu, iam aliquoties ad requiſitionem Ordinum Belgij Legatorum propoſita fuere, Dux de Terranoua Regius Mandatarius nihil tam ex animo deſiderans, quam ea omnia, quæ ad veram ſolidamque pacem ineundam quoquomodo ſpectare dignoſcuntur, re ipſa promouere, breuiter reſpōdenda duxit ea, quæ ſequuntur.

Principio, quod ſicut armorum ſuſpenſio primus gradus eſſe prætenditur ad Pacis ſerenitatem conſequendam, ita declarat, quod etiam ab ipſomet exordio pręſentis negotiationis in eam ſemper fuerit propenſiſsimus: vt nec dubium, quod ſponte illam conceſſurus fuerat, ſi modo rerum publicarum ſtatus, ac diſpoſitio tunc temporis pręſe tuliſſent. Quod de pace tandem ſubſecutura, ſi non plane certam, ſaltem veriſimilem ſpem tunc iuſtè concipere potuiſſet. Nec dubitare quiſquam debet, quin inpræſentiarum adhuc eadem illi mens ſit ac voluntas caſu, quo ſpes aliqua vberior, quam hactenus, etiam nunc affulgere inciperet.

Cæterum cum Status Belgij neque in hunc vſque diem ſuis huc deſtinatis de ſufficienti Mandato, etiam ad frequentiora Dominorum Commiſſariorum monita proſpexerint, ita vt propter hanc & alias cauſas, nec hoc quidem tempore vlla ſpes adhucdum ſeſe oſtendat omnino, ne quidem poſt tranſmiſſos Articulos Pacis, iam diu per Belgium ſatis ſuperque latè diuulgatos, non poteſt non ſibi perſuaſum habere, eius rei præcipuum impedimentum prouenire à militibus pręſidiarijs libertatem ſuffragiorum Ciuium & Incolarum haud dubie prohibentibus.

Quocirca ad Pacis negotium oportune iam præparandum nihil tam neceſſarium videtur, quam Ciuitates obtruſis, vel ſiniſtris perſuaſionibus inuectis præſidijs citra moram exonerare, ipſoſque Ciues & Incolas ſuæ libertati permittere: vt nimirum ſepoſito omni metu, horroreque belli poſſent de ſalute propria, atque adeo etiam tranquillitate publica verum animi ſui ſenſum apertè dicere, & explicare.

Porrò, vt ne qua excuſatio retorqueatur, quaſi videlicet dictæ Ciuitates milite præſidiario egeant, ad tutelam ſui contra exercitum Regium: Paratus erit Regius Mandatarius eo caſu in poſtulatam armorum ſuſpenſionem ſub conditionibus, ac ſecu-

ritati-

ritatibus communi partium conſenſu ſtatuendis conſentire, dummodo tamen interea temporis abſtineant à noua collectione militum, ſimul et coactione Subditorum ad nouas Vniones huic præſenti reconciliationi, ac tranquillitati publicæ contrarias: prout etiam ex parte Regis idem cauebitur et præſtabitur. Quæ quidem res tam æqua et iuſta videtur, quod citra tergiuerſationem recuſari nequeat. Datum Coloniæ 24. Auguſti, Anno 1579.

Num. XLIIII.

SACRAE CAES. MAIEST. AD NEGOTIVM *Pacificationis Belgici deputati Commiſſarij.*

NEmini obſcurum eſſe arbitramur, quãto ſtudio, quantisq; moleſtijs, & laboribus hoc onus Belgicæ Pacificationis à Sac. Cæſ. Maieſt. nobis impoſitum hucuſque proſecuti fuerimus; Neq; à quoquam in malam partem accipi, vel poſſe, vel debere, ſi longiori veſtra, cæterarumq; Prouinciarum & Ciuitatum, ad quas iamdudum Articuli Pacificationis omnium iudicio tam æqui & tolerabiles decimaoctaua Iulij à nobis Legatis Ordinum exhibiti, vobis proculdubio communicati, poſtremo verò à nobis ſub Dato quinta huius denuo tranſmiſsi, protracta mora cum magno noſtro, noſtrorumque incommodo fruſtra hic tempus terere, non leui afficiamur tædio.

Quamobrem vos iterum hiſce noſtris literis monere voluimus, prout monemus, & hortamur, vt hanc optimam veſtræ ſalutis, Reip, quoque veſtræ, tranquillitatis, & pacis perpetuæ ſtabiliendæ occaſionem verè vobis cordi eſſe, & nec vllo vel diffidentiæ, vel ſiniſtræ alicuius perſuaſionis affectu mentes & animos veſtros ita faſcinari, vel obnubilari patiamini, quo præſentem vobis vltro oblatam, tamq; plauſibilem & iucundam quietis & felicitatis veſtræ opportunitatem vobis præripi permittatis.

Et quia veremur, ne frequẽtiores illæ Antvverpienſes turbæ impedimento ſint, & in futurum eſſe poſsint, quo minus res hęc tam ardua debita celeritate expediatur, ob id vos ſeriò hortandos duximus, quod vlteriore quauis mora remota etiam nobis huc Coloniam cuiuslibet alterius Prouinciæ, vel Ciuitatis, longiori protelatione non attenta, ſuper ante memoratis vobis tranſmiſsis Pacificationis Articulis veſtram reſolutionem & ſententiam, vti ſperamus, huic negotio conuenientem in forma authentica quamprimum, aut ſaltem intra ſpacium trium ſeptimanarum à Datis pręſentium computandarum renunciari curetis. Hoc ipſo facietis rem inprimis vobis, veſtræque patriæ ſalutarem, Cæſ. Maieſt, & nobis gratam. Datum Coloniæ 29. Auguſti Anno 1579.

Num. XLV.

EXTRAICT DE CERTEINES LETTRES DES *Eſtatz generaulx du pays bas, aux Seigneurs Deputez eſtant a Couloigne. Datez d'Anuers le xxiiij. d'Aougſt 1579.*

MEſsieurs, Nous auons receu les voſtres, tant du iij. que de le xi. de ces mois, par leſquelles ayans entendu, que les treues par vous demandees de noſtre part vous ſont refuſees, n'en pouuons ſi non auoir vng grandiſsime regret et meſcontentement, attendu que leſdicts treues euſſent donne moyen de plus aiſement paruenir a la paix. Et que par le refus d'icelles l'aigreur de pieca conceue aux eſpritz des inhabitãs du pays bas, par la continuation de la guerre, ne ſe pourra aulcunement aſſopir, veu que ceſte denegation ſemble aſſez ouertement demonſtrer, qu'on ne procede en ce traicté de paix de bonne foy, ou a bon eſcient. Et que ſa Maieſté d'Eſpaigne, eſt peu affectionnée au bien, repos & tranquillité de ces pays. Neantemoins pour noſtre decharge deuant tout le monde, Ayant faict l'enuoy des poincts & articles concernans la dicte paix, nous ſommes icy r'attendans la reſolution des Prouinces particulieres.

Num. XLVI.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, *Generoſi, Nobiles, Sac. Caſ. Maieſt. Commiſſarij.*

ILluſtriſsimus Dux Arſchotanus, & nos reliqui Ordinum Legati, cùm facile conijciamus, Celſ. & Dign. V. nonnihil eam moram, quæ nunc ab Ordinibus poſt exhibitas vltimas pacis conditiones interponitur, grauem & moleſtam eſſe: Omittere nullo modo potuimus, quin ijſdem Celſ. & Dig. V. exemplum earum literarum, quas heſterna die accepimus, communicemus, vt ex ijs cauſam iſtius moræ cognoſcant, & perſpiciant.

Reſolutio quidem à Statibus ſingularum Prouinciarum de die in diem ſuper ijs expectatur. Sed poſtquam prima noſtra petitio de Inducijs à Terra noua denegata nobis fuerit, quid inde euenturum Ordines metuant, non obſcurè literæ eorum indicant.

Quid ergo erit, vbi reſponſum Ducis de Terra noua ad ſecundam noſtram petitionem de ijſdem Inducijs acceperint & perlegerint? Cùm in eo nihil ferè ſit, ſi penitius conſideretur, quod non plus ad irritandos Subditorum animos, quàm ad leniendos & conciliandos eos faciat.

Narratur quidẽ de propenſione, quam Excell. eius ad Inducias ab

initio habuit,ſed tamen res ipſa oſtendit,cum toties eas petierimus, graueſque cauſas attulerimus, cur illæ concedi debuerint, nihil nos vnquam,imo ne tum quidem,cum exercitus Regius nulli rei, quam vexandis & depopulandis agris intentus eſt,impetrare potuimus.

Spem pacis ſatis ſuperque calamitates Subditorum oſtendunt. Quid enim ijs poſſet eſſe gratius, vel magis neceſſarium? eandem ſpẽ pacis maior pars Populi, qui Catholici Romani ſunt, declarat, multæ Ciuitates,multi Nobiles ad eam ineundam parati ſeſe offerunt.Idẽ ſuis literis Ordines, & nos eorum nomine ſæpius ſignificauimus, ſolum medium iſtud petitum eſt,quo ſolet ſuper pacis conditionibus agi;ſed in hunc vſque diem recuſatur.Quid putamus Subditos cogitaturos;hoc nimirum,quod ex literis hic exhibitis, Celſ.& Dign. veſtræ percipient:Deinde eſſe aliquos,qui exiſtiment, Ser.Regi ex noſtris diſcordijs,& mutuis lanienis plus boni, quam ex concordia nobis data prouenturum.

Vtcunque ſit: vberrimã ſpem præbere ſe & præbuiſſe hactenus ad pacem dicimus,ſed deeſſe tempus & locum: Item deeſſe quietem, & tranquillitatem, qua in tam magna rerum confuſione, tanquam vehementi animorum alienatione,& perturbatione ad rem tantam opus eſt. Ita qui recte & Regi & ſubditis conſultum volunt, non Inducias vnius aut alterius menſis,ſed potius totius anni ſuadere,& indulgere debent.

Neque id ſub ea conditione,qua ſoli Ordines ſuas Ciuitates præſidiarijs militibus exonerent, quæ paucæ numero ſunt,plæræque enim Prouinciæ & Ciuitates nullum militem habent, ſed qua Hiſpani, & Malecontenti ad paria facienda ſimul teneantur & obſtringantur.

Nunc vero cum requiratur ex noſtra parte id ſolum fieri; Præterea cum eo caſu primum,hoc eſt,liberatis Ciuitatibus noſtris præſidiarijs militibus,de Conditionibus,ſub quibus Induciæ conſtituendæ erunt, agere incipiemus;quam alienum hoc ab omni pacis ſtudio Subditis videbitur, nemo prudens eſt, qui non intelligit. Quod ad nos attinet,ſerio dicimus, vehementer nos dolere eiuſmodi medijs proponendis viam ad pacem impediri.

Quinetiam ſummopere miramur, toties Mandati mentionem fieri,quaſi per illud impedimentum aliquod vel Inducijs, vel paci obijciatur.Ex ſubditis tamen erunt, qui ſub eius prætextu aliud aliquid quæri exiſtimabunt: Nos vero arbitramur fruſtra difficultatem de eo fieri.Nam habet omnia ſubſtãtialia,quæ habere debet, nec quicquam relatio in eo facta(ad inſtructionem noſtram)ad rem pertinet; quia etiam iam ante non ſemel, ſed aliquoties declarauimus nos non aliam habere Inſtructionem,quam quæ Articulis à nobis exhibitis continetur Quod etiam oſtendere, & docere tam parati fuimus, & incontinenti etiam nunc oſtendere & docere parati ſumus. Addidimus

mus quoque, ſi neceſſe eſt, & negocium eo deductum fuerit, nos effecturos, vt ſingulæ Prouinciȩ, quæ per nos hic acta ſunt, grata & rata habeant. Id etiam Celſ. & Dign. Veſtræ hucuſque cognouerunt ex literis Ordinum, per nos exhibitis, & cognoſcent, ſi vel Articulos iam antè exhibitos Ordines approbarint, vel quid vlterius conuentum vel conceſſum fuerit.

Poſtquam Illuſtriſsimus Dux & nos putauimus expedire, vt exemplum literarum, quas diximus heſterno die nos recepiſſe, Celſ. & Dign. veſtris exhiberemus: ſimul viſum nobis reliqua iſta adijcere, quæ vt æquis animis eadem Celſ. & Dig. V. accipiant, amicè, humillimè, humiliter & officioſe poſtulamus. Actum Coloniæ. 29. Auguſti, Anno 1579.

Num. XLVII.

ILLVSTRISS, ET REVERENDISS. INCLI-
ti, Illuſtres, Nobiles, & Honorati cumprimis Domini.

LITERAS Amplitud. veſtrarum datas Non. Auguſti accepimus ſeptimo Calend. Septembris, vnà cum exemplaribus literarũ ab Ordinibus huius Belgij ſcriptarum, & mediorum, Capitumq; Pacis iiſdem tranſmiſſorum. Quibus vt paucis præſentibus hiſce reſpondeamus, non poſſumus non ex animo amplecti, & deoſculari benigniſsimam Sacræ Cæſareæ Maieſtatis clementiam, illiq; conformẽ promptiſſ. Amplitud. V. voluntatem promouendæ pacificationi Belgicȩ tãtopere addictam, nobiſque tam multis variiſque officiis iampridem perſpectam, & exploratam. Quo nomine & generatim Ordines omnes, & nos particulatim in perpetuum. Sacræ Cæſ. Maieſt. & Amplitud. veſtris obſtrictos, & obligatos ſentimus. Ingrati profecto futuri, ſi deſtituti inpræſentiarum commoditate & occaſione animi noſtri gratitudinem re ipſa Amplitud. veſtris approbandi, ſaltem verbis illis gratias agere, & corde habere differemus. Quibus vt Amplitud. veſtræ, dum occaſionem operimur, gratæ noſtræ voluntatis re ipſa vberius explicandæ patiantur interea ſibi ſatisfieri, iterum atque iterum rogamus, illudque perſuaſum habeant, nos non memoriam tantum fidelis ab iis operæ Patriæ noſtræ præſtitæ, ſed nec ſtudium, ac voluntatem eam quouis officii genere demerendi, vllo vnquam tẽpore eſſe depoſituros. Et quando tam felicia ſunt iacta ac inita fundamenta pacis, & Regi noſtro Clementiſsimo, & communi Patrię nõ vtiles tãtum, ac cõmodæ, ſed etiã omnino neceſſariæ, graue fuerit ac dolendũ imprimis, ſi negotiatio tã féliciter hactenus inſtituta in medio curſu abrũpatur; Rex & Patria ſperato ex ea fructu, & Ampli. V. debita pacis

perpetuo debeant. Datum Antvverpiæ pridiè Nonas Septembris 1579.

Illuſtriſs. Reuerendiſs. Inclytarum, Nobilium, & Honoratarum Amplitud. veſtrarum

Addictiſs. Clientes,

Prætor, Coſs. & Senatus Ciuitatis Antvverpiæ.

I. Martiniſſi.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs. Illuſtriſs. Inclytis, Illuſtribus, Nobilibus, ac Honoratis Dominis, D. Sacræ Cæſ. Maieſt. Commiſſarijs, Dominis noſtris cumprimis obſeruandis.

Coloniæ.

Num. XLVIII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, *Generoſi, Nobiles, Sac. Cæſ. Maieſt. Commiſſarij.*

Celſ. & Dign. V. Illuſtriſ. Dux Arſchotanus, & nos reliqui Ordinum Legati amicè, & ſubmiſsis animis celare non poſſumus, nos heſterno die binas literas eiuſdem ferè argumenti, vnas à Sereniſ. Archiduce Auſtriæ Matthia, Gubernatore, & Capitaneo noſtro generali; Alteras ab Ordinibus accepiſſe: in quibus non tantũ cauſas iam ante quoque excuſatæ moræ repetunt, ſed vnà etiam ſtatum conſultationis, quæ ſuper Pacificationis Articulis per Status ſingularũm Prouinciarum haberi debet, exponunt.

Nulla quidem Prouincia eſt, nullus Subditus, qui non ex toto animo reconciliationem cum Sereniſs. Rege, Principe, & Domino noſtro naturali inire deſideret; nullus qui non pacem publicè & priuatim perſequendam exiſtimet: ſed talia dicta & facta noſtrorũ Aduerſariorum referuut, quæ ijſdem Prouincijs & Subditis non ſolum impedimentum ad eam præſtent, ſed ſimul etiam alia ſtudia in animis eorum excitent, quæ magis ad arma defendendi ſui gratia, quam ad pacem ſpectare videntur.

Sed hæc malumus ex allegatis literis, quarum exempla hic exhibemus, quàm ex noſtro ſermone cognoſci & audiri. Hoc vnum tantũ adde-

addere nos oportet, cum ex ijſdem literis Celſ. & Dign. V. ſimul perſpicient prædictos Articulos Pacificationis non ita Ordines approbaturos eſſe, nobiſque iniungāt, vt alia media, quæ apud vtramque partem ad effectum perduci queant, poſtulemus.

Propterea eaſdem Celſ. & Dig. V. obnixiſsime rogatas volumus, vt, ſi fieri poſſit, præueniendo, antequam ſcilicet reſolutio per Status ſingularum Prouinciarum fiat, eaque huc tranſmittatur (ita enim multis obſtaculis & impedimentis obuiam ibitur, quæ poſtea non tam facile remoueri poterunt) huiuſmodi media proponere nobis dignentur, quæ ſubditis plenam ſecuritatem, maioremque libertatem, quam quæ adhuc conceſſa eſt, animis & cōſcientijs eorum adferant. Circa quæ duo difficultas omnis verſatur.

In quibus etiam optamus, vt Celſ. & Dig. V. non tam ad ea, quæ in ſuis, vel alijs ditionibus pacto, & lege conuenta, & ſtatuta ſunt, reſpiciant: ſed quæ expedit nunc propter præſentes neceſsitates in ditionibus noſtris conueniri, & ſtatui. Non enim omnium pactorum & legum eadem cauſa & occaſio eſt, nec par ratio & neceſsitas eſt in omnibus locis. Sed & negocium per ſe tale eſt, in quo nemo aberrare & peccare poteſt, qui alteri commiſeratur, vel indulgendo & permittendo quid patientiam cum eo habeat. Datum, & exhibitum Coloniæ 12. Septembris, Anno 1579.

Num. XLIX.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, ac *Generoſiſsimi.*

ACcepimus literas, quibus placuit Celſ. & Amplitud. veſtris nobis tranſmittere ac communicare Conditiones, atque Articulos Pacis, quos poſt maturam ac diutinam negotiationem tandem concepiſtis, ac iudicaſtis rationi & æquitati conſentaneos; Eo quippe fine, vt eoſdem ſerio perpendamus, negociū hoc Pacis ſedulo promoueamus, efficiamuſque, quantum in nobis eſſet, apud Deputatos Ordinum Antvverpiæ congregatos, hac in re alioqui negligētiores, vt ipſi quæ ſuarum Partium ſunt, quæque ab ipſis neceſſario requiruntur, primo quoque tempore effecta reddant. Multum profecto nobis ſemper diſplicuit, in longius tempus, quàm par fuit, protrahi rem tanti momenti: qua vtique ſola Prouincias haſce afflictiſsimas è turbulentiſsimo, calamitoſiſsimo, ac fere deplorato ſuo ſtatu priſtinæ ſaluti ac quieti reſtitui poſſe datur. Attamen cum Dei Opt. Max. miſericordia, veſtraq; opera ac ſolicitudine pluſquā paterna eò nunc negociū hoc tam pium, & neceſſarium promotum videamus, vt tamdiu exoptata pax omnibus & quibuſuis obuia, & amplectenda ſeſe offerat.

Puta

Putauimus noſtri officij omnino eſſe, vt propriæ ſaluti conſulentes noſmet pro noſtra parte oſtēdamus, ac declaremus, obiatas pacis conditiones cum debita gratitudine abſque vlteriori hæſitatione velle probare, atque acceptare. Sperantes nos hac ratione poſt tam varios exantlatos caſus, funeſtaque perpeſſa pericula in ſtatum ſecuriorem, ac probatiorem poſſe conſtituere: quanquam non dubitamus, multos pacis impatientes futuros, qui nos vndique atrociſsimis diuexationibus ſint afflicturi, vel eo ſolo nomine, quod publicā, priſtinamq; tranquillitatē & quietē nobis, totique noſtræ afflictiſsimæ patriæ reſtitutā iri, ex animo optamus. Porro, quæ noſtra hac in re ſit mens ac propoſitum, confidimus Illuſtriſs. Ducem de Terra noua dignatur ā Celſ. V. latius aperire ac participare ex ijs, quæ inpræſentiarum ad S. Celſ. ſcribimus. Quod supereſt, obnixè atque humillimè rogamus, vt promotio rerum noſtrarum V. Celſ. commendata eſſe queat, vt ſecuritatem, aliaſque conditiones in hoc negocio Pacis requiſitas corroborando etiam per veſtram authoritatem poſsimus vndequaque obtinere certas, firmas, & in perpetuum valituras. Deus Opt. Max. Celſitud. veſtras, ad vtilitatem Reipublicæ Chriſtianæ, quàm diutiſsimè incolumes cōſeruare dignetur. Datum Buſcoducis, quarta die menſis Septembris, Anno 1579.

Celſ. V.

Obſequentiſs. ac Deditiſsimi,

Scabini, Iurati, Conſules, ac Decani Opificū, repræſentantes tria membra dictæ Ciuitatis Buſcoducenſis.

Ad mandatum ſpeciale eorundem.

I. De Emmerickell ſſt.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs. Illuſtriſs. ac Generoſiſs. Principibus, ac Dominis, Sacræ Cæſ. Maieſt. Comiſſarijs, Dominis obſeruandiſsimis.

Coloniam.

Num. L.

Hoechweerdichſte / Dorchlüchtige / Welgeboerne / Genedichſte vnd gebiedende Heeren / Vwer Durchl. G. vnd Edelheit ſy vnſere bereitwillige dienſte / vnnd wes wy guedes vermogen / ſteets touoren bereit / Genedichſte Furſten vnd

Heeren

Heeren/Vwer Hochw.Durchl.G.vnnd Edelheit Brieuen van Dato den vyfften tegenwoerdiger Maend Augusti/ ſampt byuerwarten Exemplar van den Articulen des Vredehandels/ hebben wy mit gebuerlicker reuerentz vpgiſtern vntfangen/ ende verleſen/ Daer vor ende mede oock van wegen der genediger thonegenheit ende angewanten vlyt tot der gemeiner Landen walfart/ Vwer Hooch.Durch.G.vnnd Edelheit vor erſt gantz demůdichlicken ende dienſtlicken bedancken/ Dann alſo darinne van andere vorgaende Brieuen gemeldet wordt/en hebben wy ghiene derſeluer alſnoch vntfangen: Ende willen erſter gelegenheit vergaederen omme dien angaende gebuerlicke reſolutie te neemen/ ende vwer Hooch. Durchl.G.vnnd Edelheit willen in die genedige thogenegenheit ende angewanten vlyt tho den Vredehandel continuieren/ vp dat die allgemeine Landen ende Prouincien tot einen gueden beſtendigen/ ende vor langeſt gewůnſchten Vrede geraecken mogen. Doende hiermit dieſelue vwer Hoch. Durchl. G. ende Edelheit den Allmechtigen Heeren zu hogen Fürſtlicken Stande ende walfart beuelen. Datum vp den Landſtag binnen der Stadt Zwolle/vnder tSeegel derſeluer Stadt/ dat wy ditmael hierthoe gebrucken. Vp den xxiiij Augusti/ Anno lxxix.

Vwer Hoch.Durch.G.vnd Edelheit

Dienſtwillige/

Ridderſchap ende Steden
sLands van Ouerysſel.

DEn Hochweerdichſten/Durchlůchtichſten/ Welgeboeren Furſten vnd Heeren/ Romiſcher Keyſerlicker May. gedeputierde Commiſſarien/ tho der Nederlandſche Vredehandelinge/ binnen der Stadt Cölen vergadert ſynde/ vnſeren genedichſten Furſten/ genedigen vnd gebiedenden Heeren.

Num. LI.

HOechweerdichſte/ Dorchlůchtichſte/ Welgeboeren/ genedichſte/genedighe vnd gebiedende Heeren/ Vwer Hoechw. Dorchl. G.vnd Edelheit ſynnen vnſere bereitwillige dienſten/ vnd wes wy guedes vermoegen/ ſteets tho beuorens. Genedichſte Furſten vñ Heeren/ Vwer Hoechw. Dorchl. G.vnd E.ſollen wy dienſtlicken nit verhalden/ welcker geſtalt wy vp tegenwerdigen Landſtag binnen der Stadt Zwolle die Articülen des Vredehandels/ vns van vwer Hoechw. Dorchl.G. vnnd E. ende in

gelicken

gelicken van den Ertzhertzoge van Oeſtenrick/ Gouuerneur/ ende den General Staeten deſer Erffnederlanden thogeſchickt/ in gebuerlicke beraetſchlaginge genomen/ dieſelue rypelick erwegen/ oock vnſe Reſolution daerop in ſchriffte verfattet/ ende an Hochſtgedachten Ertzhertzoge/ wie oock an gedachte general Staeten ouergeſendt hebben: Nit twyuelende/ dieſeluē ſollen V. Hoch. Durch. G. vnd E. van daer voerts ouerſchickt werden. Wy verhoepen oock by vns ſodane Reſolutie genaeme tho ſyn/ dat V. Hochw. Durchl. G. vnd E. daeran ein genedichſt ende guetlich gefallen dragen werden. Biddende gantz demoedich ende dienſtlick/ V. Hochw. Durchl. G. ende E. gelieue die genedichſte ende genedige handt daeran thoe halden/ ende alſoe in den angewandten vlyt ende thogenegenheit totten Vredenhandel vnuerdrietlicken te continueren/ dat die allgemeine Landen ende Prouincien tot einen gueden/ Chriſtlicken/ beſtendigen/ ende vor langes gewünſten Vreden geracken moegen. Daeran V. Hochw. Durchl. G. ende E. vns/ als ſynde Medelidtmaeten des Hilligen Romiſchen Ryckes/ ein Chriſtlich werck doen werden. Ende daer V. Hochw. Durch. G. ende E. wy einichen dienſt ertzeigen konnen/ ſollen wy ſteets bereit ſyn. Kenne Gott Allmechtich/ die V. Hochw Durch. G. ende E. in hogen Furſtlicken ſtande ende walfart lange erholden wolle. Datum op den Landſtag binnen der Stadt Zwolle vnder t'Segel derſeluer Stadt/ dat wy voer ditmael hierthoe gebruicken. Op den xiij. Septembris/ Anno ꝛc. lxxix.

Vwer Hoch. Durch. G. vnd Edelheit

Dienſtwillige/

Ridderſchap ende Steden
ſLands van Ouerysſel.

DEn Hochweerdichſten/ Durchlüchtichſten/ Welgeboere Furſten vnd Heeren/ Romiſcher Keyſerlicker May. gedeputierde Commiſſarien/ tho der Nederlandſche Vredehandelinge/ binnen der Stadt Cölen vergadert ſynde/ vnſeren genedichſten Furſten/ genedigen vnd gebiedenden Heeren.

Num. LII.

Der Röm. Kayſ. May. ꝛc. vnſers allergnedigſten Herrn/ zu Cöllen anweſende Commiſſarij.

VEſte/ Erſame vnnd Weiſe/ liebe beſondern/ Ewer zweit ſchreiben vom Dato Zwoll/ den dreyzehenden diſes/ haben wir empfangen/ Vernemmen darauß/ wie ihr auff gehaltenem Landtag die durch vns erhöffnete friedens

O Arti-

Articuln in berahtſchlagung genommen / dieſelben reifflich erwegen/ ewer Reſolution darauff in ſchrifften verfaſſet/vñ dem Durchleuchtigſten / vnnd Hochgebornen Fürſten / Herrn Matthie / Ertzhertzogen zu Oeſterreich/ ꝛc. vnſerm beſondern lieben freund vnd gnedigſten Herrn/ wie auch den general Staten zugefertigt haben/der hoffnung/es werde vns ſolches nunmehr dannen hero zůkommen ſeyn / vnd wir daran ein gůtlich gefallen tragen.

Darauff wir euch gnedig/ günſtig vnd freundlich nit mögen verhalten/wie vns vber ſtetigs gehabte hoffnung vnd verlangen/ dieſe zeit hero/ als die Articuln/ nemlich den xviij. Julij nechſtuerlitten/ von vns den hieigen Geſandten communiciert / vnnd nachfolgends vnſere außgangene ſchrifftliche vermanungen vngeacht / nach der zeit kein endtliche/ſonder allein auffzügliche antwort zůkommen / auſſerhalb daß die Stadt Hertzogenbuſch vns vnlängſt / wie ſie mit denen fürgeſchlagenen Articuln wol begnügig/vnd ſich widerumb mit dem König/als jhrem Landsfürſten/zu reconcilieren geneigt vnd willig. Hetten derowegen wol gewölt/vnd gern geſehen/daß ewere antwort vnd Reſolution/ die wir vnſerm vertrawen/auch ewerer anzeig nach/vnd ſonſt nach geſtalten ſachen der gebür gemeß ſeyn verhoffen / vns were hieher zůgeſchickt worden.

Wann aber der verzug vber die maß ſich verlengt / vnnd die ſterbende lufft dieſer ort faſt hefftig einreiſt / auch vnſere Hoffhaltung vnd Geſind albereit ſchwerlich angegriffen / ſeynd wir endlich entſchloſſen/ vns in dieſer Stadt nit lang mehr zuſaumen.

Haben derowegen nit vnderlaſſen / ſolches den general Staten zu erkennen zu geben/vnd jhnen einen Termin/ ſich gegen vns jhres gemüts hierzwiſchen dem achtzehenden tag volgenden Monats Octobris/endlich zu erklären erneñt. Wolte es euch dann belieben/ewere erklärung hierzwiſchen vns hieher zu ſchicken/ vnd wir euch bey der Kön. W. zu Hiſpanien/derſelben Beuelhabern/vnd ſonſt zu allem guten befürderlich ſeyn/ gnad/ gunſt / vnnd alles guts erweiſen köndten/Des mögen jhr euch zu vns ſampt vnd ſonder gewißlich verſehen vnnd getröſten. Datum Cöllen den xxvj. Septemb. Anno ꝛc. LXXIX.

Den Veſten/Erſamen/ vnnd Weiſen/vnſern lieben beſondern/ der Ritterſchafft vnd Stetten des Lands von Oueryſſel.

Num. LIII.

SACRAE CAES. MAIEST. DEPVTATI COMmiſſarij, *Spectabiles, Prudentes, Circumſpecti.*

Recepimus literas veſtras quarta huius ad nos ſcriptas, quibus oſtenditis & declaratis vos pro veſtra parte oblatas pacis conditiones, quas antea vobis vnà cum literis noſtris tranſmiſimus, grato animo velle probare, rogantes, vt cauſam veſtram nobis ita habeamus commendatam, quò noſtra auctoritate cum cæteris requiſitis conditionibus pax certa, firma, & in perpetuum valitura vobis conſtituatur.

Relatum præterea nobis fuit, quanta prudentia & dexteritate negotium hoc per vos hactenus tractatum, & ad fœlicem hunc effectum perductum fuerit. Non potuerunt certe veſtræ hæ literæ nobis non eſſe niſi gratiſsimæ, & acceptiſsimæ: quibus per tot iam menſes moleſtiarum & laborum noſtrorum, quos pro ſalute totius Belgij ſuſceperamus, & hucuſq; pertulimus primos, & ſuauiſsimos hos flores, cum inſigni voluptate nos deguſtare feciſtis. Tantoq́ue magis vobis gratulamur et applaudimus, quod non tantum ab interitu Patriam veſtram vindicare ſtuduiſtis, ſed etiam cæteris Prouincijs, Populis, et Ciuitatibus malis, quibus in perniciem propriam conſtricti adhuc detinentur, euadendi et ad priſtinam quietem redeundi perpetuo commendabilem exemplo veſtro præbuiſtis occaſionem.

Iucundiſsimam quoque Illuſtriſs. Principi ac Domino Duci de Terranoua etc. amico noſtro chariſsimo, et Domino gratioſo hanc veſtram eſſe declarationem intelleximus, quæ tanta diligentia et fauore per nos, ſuamq́; Dilectionē, et Excellentiam Regi Cathol. commendabitur, quod proculdubio vos omnes et ſinguli, quouis metu et periculo longè remoto, vos, veſtroſq́ue poſteros totis benignitatis et Regiæ manſuetudinis affectibus ſit proſecuturus.

Vos interim omni beneuolentia monemus, et hortamur, ne vos quibuſuis illecebris, ſiniſtris ve ſuggeſtionibus ab hoc tam pio propoſito abduci patiamini, ſed potius animo conſtanti, et alacri, quæ benè cœpiſtis, feliciter perficiatis.

Neque vos mouere debent tranquillitatis perturbatorum minæ, vel moleſtiæ: ſed in Deum Opt. Max. veræ pacis Authorem, et Conſeruatorem, hanc ſollicitudinem reijcientes, de Regis veſtri clementia, Cæſareæ quoque Maieſtatis ſublimitate confiſi, omnem fauorem et patrocinium vobis certiſsimè pollicemini. Quod ad nos attinet, nullam occaſionem vobis omnem beneuolentiam exhibendi negligemus.

Tanto etiā minus vos conſtanti et inuiolabili initæ recōciliationis, et Pacis obſeruatione dubitare debebitis, quod hęc omnia per Re-

gem,Catholicum, Principem veſtrum naturalem ratificanda iuramento veniant, quem certum eſt nullo vnquam tempore infractum illa,quæ cum interuentu, & ad interceſsionem Sacræ Cæſareæ Maieſtatis adeo ſolemniter peraguntur.

Nobis vero vix quicquam grauius accidere poſſet, quam vos,vel aliquem ex veſtris noſtra auctoritate in leuiſsimum quoduis adducere diſcrimen,vel periculum.

Cæterorum Statuum ſimul, & Particularium Prouinciarum, Ciuitatum,& oppidorum reſolutiones in horas expectamus. Quæ ſi paci conuenientes erunt,omnem adhibebimus diligentiam,quo vobis omnibus,& ſingulis hoc nomine,quoad poſsibile,ſatiſfieri poſsit. Vos,veſtramque Ciuitatem Diuinæ protectioni commendantes,noſtra quæuis pollicemur & nunc & in poſterum beneuolentiæ officia. Datæ Coloniæ 20 die menſis Septembris,Anno 1579.

Num. LIIII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GE- *neroſi,Nobiles,Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarij.*

EFficit diuturni huius belli calamitas,ac totius agri Brabantici vaſtatio, qua à Duce ſuo Rege Hiſpaniarum,ſeu eius per Belgiam Præfectis nimis inique premitur, vt non ſolum pacis conditiones propoſitæ, ſed etiam ipſa pacis cogitatio gratiſsima nobis ſit,mirèque animos Subditorum recreet:Tum vero ſummæ eſſet ingratitudinis ac inhumanitatis operam,quam hac in re tanti Principes,Ampliſsimique viri Ditionibus iſtis hactenus præſtiterint,leuem exiſtimare.Nos certe eam ſemper fecimus maximi,atque eo nomine Celſ. &Dig. V. ſummas gratias agimus, obnixeque rogamus, vt rem tanti momenti aliqua ex parte bene cœptam felicius perficiant,neu deſerant: Sed cum ſalus iſtarum Prouinciarum inferioris Germaniç ad Sacram Cæſareã Maieſtatem,ac Celſ.& Dig. Veſtras, & vtilitatem ſubditorum ſuorũ magnopere pertineat,animum inducant,dignenturque(quod ordinem ſuum,atque ſplendorem deceat)cauſas proprias nonnihil ſeponere,& quoad eius ſine periculo & graui incommodo fieri poterit, negligere,quo celeberrimæ huius Reipub. cõpoſitæ,priſtinoque nitori reſtitutç beneficiũ apud Deũ,Opt.Max.laudem vero immortalẽ vbiuis terrarum referant. Dolemus profecto hoc negocium tantam moram ſecum trahere,ſed quorſum attinuit Ducem de Terra noua populũ qui benolentia, & æquabilitate Principũ ſuorum(ſeu Ducũ ſeu Comitũ, ſeu Dominorum)retineri cõſueuerit,tamdiu, tam illiberaliter,duriſque, nec vlla ratione accommodatis conditionibus diſtine-

ſtineri? niſi id ſtudio habuerit, vt ſtatim omnium animos in ipſo limine ab hac pacificatione redderet alienos, intelligerentque nihil ſe ex Regis Clementia ſperare debere, quod vel vt mercatu licitando extorqueatur non concedendum, ſi denegado, ſine proprio detrimento, queat auferri. Quemadmodum etiam cum vniuerſa plebe nos ipſi ſatis mirari non poſſumus, illi pacis huius negocium adeo non eſſe cordi, vt in paciſcendis Inducijs ne tantillum quidem auctoritati Imperatoriæ, ac Celſ. & Dig. veſtrarum (quarum hæ arbitrij partes erant) cenſuerit deferendum: nimirum vt incrudeſcente bello, multitudinem armorum ſtrepitu impeditam, frementemque ab omni ſpe pacis reuocaret, ac ne quicquam eo etiam magis impelleret; quos ea ratione ad tranquillitatem componi potius, quam vel inteſtinis diſsidijs, quæ in deſperationem pleroſque adigunt, aut vi ac fauore Hiſpanorum, quem iamdudum etiam mortis periculo contemnere didicerunt, deterreri: Tum vero in ipſis pacis conditionibus, adeo ægris animis, morbique vim quotidie alentibus, parum præſidij eſt, ſiue ad ſecuritatem publicam ex propoſita Gubernationis ratione, ſiue ad vitæ commoditatem ex moribus, & præfinita Religionis obſeruatione reſpicias. Vt difficile futurum ſit, hic varia multumque diſsidētia hominum ingenia atque ſtudia in vnam ſententiam, opinionemque adducere, & vbique inter ſe conſentientia reddere. Quanquam autem hæc omnia magni ponderis, multaque alia ſint, quæ ad conciliandam hanc pacem momenti plurimum habeant: Annitemur tamen quantum in nobis erit, & præſens rerum ſtatus patitur, vt negotium hoc quam citiſsime promoueatur, vtque Comitijs Ordinū Ducatus Brabantiæ pleraque ſic temperentur, quo Imp. Maieſtati ac Celſ. & Dign. V. totique Orbi Chriſtiano manifeſtum fiat; nos ſaluti, tranquillitati, & vtilitati publicæ omnia, nihil vero priuatis affectibus tribuiſſe; cognoſcatque Rex Cathol. Brabantiæ Dux, & Princeps noſter, nos non minus ſuæ Maieſtati, quam omnibus retro Ducibus, ac Dominis noſtris Clementiſsimis ſubditos deuotoſque manere. Præſertim cum hactenus nihil ab Ordinum Legatis iſthic poſtulatū ſit, vel ad populi libertatem ac ſecuritatem, vel ad Regis auctoritatem omnemque politiam, quod non (quantum ad Ducatum Brabantiæ attinet) ex priuilegijs, iureque patrio, atque etiam pactis conuentis, & quidem iurato debeatur. Porro Celſſ. & Dign. Veſtras humiliter humillime officioſeque precamur, vt interea Ducem de Terra noua ſic mitigare velint (ſi Cæſ. Maieſtatis deſit authoritas) vt aliam, quam hactenus fecit, Pacis hiſce Ditionibus (quibus propter eorum commercia, officiorumque commutationes & cum alijs vicinitas eſt) conficiendæ rationem ineat, ingenijſque ac moribus Incolarum nonnihil concedat, nec ad accuratam illam, rigidamque, & ſummam Hiſpanici moderaminis regulam (cum ita non conſueuerint) omnia metiatur. Ita futurum eſt, vt huic Reipub. priſtina redeat tranquillitas, eaque

diuturna, quam perpetuo Sac.Cæſ.Maieſt.ac Celſ.& Dign.V.ſumma cum gratitudine, animorumque propenſione, obſeruantia & obſequio acceptam feremus poſt Deum Opt.Max. Qui eam nobis pro immenſa ſua bonitate, ac gratia largiatur, atque Celſ.& Dign.V.in multos annos ſeruet incolumes. Antvverpiæ ſexto Idus Septemb. 1579.

Celſ.& Dign.V.

Addictiſsimi,

Ordinum Ducatus Brabantiæ Deputati, nunc Antvverpię congregati.

Mandato prædictorum Dominorum.

Andeleſſeldt ſſt.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs.Illuſtriſsimiſque Sacri Romani Imperij Principibus, Electoribus, Generoſis, Nobilibuſque Sac.Cæſ.Maieſt. Commiſſariis, Paci per Belgiã conciliandæ Delegatis.

Coloniam.

Num. LV.

SACRAE CAES. MAIEST. AD NEGOTIVM *Pacificationis Belgicæ deputati Commiſſarij.*

POſteaquàm Cæſareæ Maieſt. Domino noſtro clementiſsimo placuit nobis in hoc Belgicæ Pacificationis negotio vices ſuæ Maieſtatis committere, ſimulque à ſua Maieſtate moniti, & iuſſu huc Coloniam, Ciuitatem vobis vicinam, tantæque tractationi commodiſsimam, ad Dominicam Lętare, huius anni labentis nos conferre, ſimul etiã ſignificatum eundem terminum, & locum vtrique parti à ſua Maieſtate præfixum & conſtitutum fuiſſe, quantũ in nobis fuit, & voluntati ſuæ Maieſtatis, vt æquum eſt, parere, & partium exſpectationi ſatisfacere deſiderantes; omnibus noſtris, & Ditionum noſtrarum negotijs ſepoſitis, paucis diebus poſt dictum à Sua Maieſtate diem, nos huc omnes contulimus, veſtros Legatos, quos magis tempeſtiuè adeſſe conueniebat, per menſem integrum patienter expectauimus. Re deinde cœpta, non leuem moram negotio peperit, quòd eos, qui nomine veſtro aderant, ſufficienti Mandato, eõdemq; ad ſex tantum ſeptimanas reſtricto carere compertum. Cuius

defe-

defectus,& quidem ſubſtantialis, neque in hunc vſque diem ad cre-
briores tam diligentes,& ſerias noſtras monitiones à vobis ſuppletus
fuit,nec temporis prorogatio impetrari potuit. Quod ipſum Regi-
um Mandatarium ſtatim ab initio dubiũ reddere, nobis etiam volun-
tatis veſtræ magnum ſcrupulum inijcere potuiſſet. Nihilominus ta-
men temporis lucrum affectantes, & cauſam,quantum ad nos ſpe-
ctat,promouere ſtudentes, de pleniori veſtro Mandato confiſi cum
partibus tractationem iniuimus,eademque ſpe Regium Mandatariũ
huc vſque ſuſpenſum tenuimus.Partium deinde propoſitionibus,&
allegationibus auditis, i js quoque, quæ antea inter voſmetipſos ini-
ta & conuenta fuere,diligenter perpenſis,capita quædam Pacificatio-
nis decima octaua Menſis Iulij propoſita ſunt. Per quæ cum vobis
omnes offenſæ condonentur,iniurię,damna,impēſæ,veſtigalia, præ-
terea & onera horum rumorum , & tumultuũ cauſa inuecta tollan-
tur,obliuionique omnia tradantur, Regi Catholico,veſtro Principi,
& legitimo Magiſtratui omni rigore ſublato pleniſsime reconcilie-
mini,& priſtinæ tranquillitati & quieti reſtituemini, vobis denique,
Patriæque veſtræ to:a Regis offeratur benignitas,& manſuetudo,ea-
demque fere omnia ampliora & mitiora quoque,quam quę proximis
annis horum tumultuum cauſa à vobiſmet ipſis in pace Gandauenſi,
& Vnione generali ſubſecuta conſtituta,promiſſa,ſolemniter iurata,
poſtea in Edicto perpetuo denuo renouata & confirmata fuere, lar-
giantur:Omnino nobis perſuaſum erat, maximè cum has tam lucu-
lentas,honeſtas, & tollerabiles ſane conditiones Cæſ. Maieſt. ſuis ſa-
cris monitionibus plurimum commendare videbatur vobis eaſ-
dem nō poſſe eſſe niſi gratiſsimas. Veſtram propterea declarationem
beneuolam & obſequioſam magno deſiderio in tertiũ vſque Menſem
nūc expectauimus,& ne aliquo noſtro deeſſemus officio,ſi forte dictę
Conditiones vobis debitó tempore non fuiſſent redditæ,vel fortè in
via deperditæ,aut ſuppreſſæ,quinta die Auguſti ad vos,et Particula-
res Prouincias, primariaſque Ciuitates,eoſdem articulos cum literis
noſtris,quæ diligenter omnia, ſalutem præſertim veſtram,eiuſque
tam opportunam occaſionem aſſequendæ ad animum vobis reuo-
carent,tranſmiſimus:veſtros etiã Deputatos præſentes ſæpius de ma-
turanda, & accleranda reſolutione aſsidue moneri fecimus. Tertia
denique vice ad Prouincias particulares, & Ciuitates alias in
eundem effectum vicesſima nona Menſis Auguſti dedimus literas : ad
quas ſoli Ciues Buſcoducenſes pacis cupidos,ijſdemque conditioni-
bus contentos ſeſe nuper declararunt. Et quamuis aliæ quædam Pro-
uinciæ,& Ciuitates nobis ſignificarint,quod ad Illuſtriſsimum Prin-
cipem,Dominum Matthiam,Archiducem Auſtriæ,&c.amicum no-
ſtrum ſingularem,Dominumque gratioſiſsimum ; & Status genera-
les Antuerpiæ congregatos reſolutiones ſuas miſerint ; nihil tamen
certi de ijs ad nos pręter omnē expectationē hactenus relatũ eſt,ſpem

autem

autem noſtram,& eorum omnium,qui iam bonam de Pace conſtituenda opinionem conceperant, non parum minuerunt literæ,quas his diebus à Deputatis Ordinum Ducatus Brabantiæ Antvverpiæ congregatis,(à quibus non minimã totius huius negociationis authoritas dependere exiſtimatur) de Data ſexta Idib. Septembis accepimus. Quibus negotium hoc, noſtra quidem opinione ferme completum,aliqua ex parte tantummodo cœptum putant, & has conditiones totas repudiare,aliamq́; omnino Pacis conficiendæ rationem poſtulare videntur.

Cùm igitur etiamnũ ad tam frequentes noſtros hortatus & monitiones nihil certi nobis per vos reſponſum ſit,graue admodũ nobis eſſe cœpit, cum tanti temporis diſpendio, ſumptuum grauiſsimorũ profuſione,Maieſt.Imp.noſtroq́; neglectu diutius hic immorari, his vobis ſignificare voluimus,nos abitum omnino parare. Ne autem aliquam culpam in nos referendi prætendere poſsitis occaſionem, vobis vltimum hunc terminum peremptorium conſtituimus, & aſsignamus,vt cathegoricè,clarè & apertè veſtrorum animorum conceptum infra decimumoctauum diem menſis Octob.proximè ſequentis huc mittatis,&,an Articulos propoſitos, & iampridẽ tranſmiſſos, acceptare velitis, reſcribatis: quo nos laborum, faſtidiorum & ſumptuum minus pœniteat, tantoq́; melius & citius totum hoc negotiũ confici poſsit. Sin verò vel media propoſita repudiaueritis, vel nihil ad ea intra terminum præfixum reſponderitis, (cùm vix aliud noſtro iudicio à quouis Magiſtratu, per benè affectos ſubditos honeſtè peti poſsit)abſque omni vlteriore cũctatione, nullaque alia à nobis expectanda tractatione nos, hoc conuentu ſoluto, hinc diſceſſuros certiores reddimus. Cùm inſuper etiam propter indies magis ingraueſcentem peſtis contagionem, quæ etiã familiares noſtros iam inuaſit, hic diutius morã trahere nõ poſſumus: Neq; etiã hic terminus nimis anguſtus cenſeri poteſt.Cum proximis iam aliquot annis plæraq; omnia tractata,diſcuſſa,ventilata,interim ſæpius repetita, & ruminata,compoſita, deciſa, & iurata fuerint, Imperatori iam antea relata, earumque occaſione huius tractationis commiſsio iterum impetrata, à Sua Maieſtate dies vobis maturè ſatis dictus; tanto nunc tempore coram nobis hæc negotia agitata,tertius iam cedat menſis, quo pacis conditiones veſtris Legatis ſint exhibitæ, neque Miles Regius, neque aliud quicquã vobis impedimẽto eſſe potuerit, quominus conuenire,ſecureq́; de rebus veſtris agere valueritis, imò & vos iam antea congregatos; interim quoq; particulares Prouincialiũ conuentus habitos eſſe, partim ex Ordinũ Ducatus Brabantiæ, partim ex aliarũ quarundam Prouinciarum,& Ciuitatum ſcriptis intellexerimus, neq; de rebus vobis ignotis, vel obſcurioribus agendum fuerit; ſed plærumq; omnia in factis veſtris proprijs ſint poſita, & à veſtra omnino pendeant voluntate, Populum etiam continuis his calamitatibus attritum,

nihil

nihil niſi feruentiſsimis deſiderijs & ſuſpirijs Pacem exoptare cõſtet: quam tanto facilius vobis, quanto populum propenſiorem, & Regem Principem veſtrum benigniorem experiemini, parare poteſtis, modo veſtra auctoritate, quod facillimè præſtare poteritis, & vos facturos omnino confidimus, errantem populum in viam manſuetudinis reducere velitis. Vos, veſtraque conſilia Diuinæ clementiæ commendamus, & quæcunque beneuolentiæ officia in poſterum quoque de nobis omnibus & ſingulis ſperare iubemus. Datæ Coloniæ 26. Menſis Septemb. Anno Dominicæ incarnationis 1579.

Statuum generalium Belgij Deputatis
Antvverpiæ congregatis.

Num. LVI.

REVERENDISS. ILLVSTRISS. GENEROSI,
Nobiles, Prudentes, & Circumſpecti.

QVòd ad literas Celſ. & Dign. veſtrarum nondũ reſponderimus, non noſtra culpa, negligentia, aut ceſſatione accidit, ſed quia propter magnitudinẽ negotij, & Prouinciarum diuerſitatem hactenus neque de formula certi Mandati, prioribus literis requiſiti, neq; in approbationem, contradictionẽ aut moderationem propoſitorum Articulorum (de quibus poſterioribus literis Celſ. & Dign. veſtrarũ agitur) conuenire potuimus. Etenim, quod ad Mandatũ attinet, natura rei principalis talis eſt, vt antecedentem partium diſceptationem & communicationem exigat, nec limitibus ſeu formula certi Mandati ab initio circunſcribi, aut concludi potuit, & liberum atq; abſolutum Mandatum in re tam graui Deputati deſtinati Coloniam propter nimium onus atq; periculum detrectaſſent accipere, vti etiã in talibus Prouinciarum cauſis, inter horrida bella ſummam rerum abſq; pręparationẽ & referendi neceſsitate Particularibus committi, nec ratio, nec conſuetudo patitur. Cumq; Articuli à veſtris Celſ. & Dign. tranſmiſsi omnes Ditiones ex æquo reſpiciant, primoquoq; tempore eos omnibus, & ſingulis communicauimus, vt ſingulorum arbitrio & voluntate intellecta, communi conſenſu de communi cauſa ſtatueretur, atque tam Duci de Terra noua, Delegato Maieſt. Catholicæ, quàm veſtris Celſ. & Dig. aliquid certi reſponderetur. Et quãuis Princeps Parmenſis, & plæriq; alij in contemptũ auctoritatis Cęſareæ, & veſtri celeberrimi Conuentus non deſtiterint per particulares conuentiones moliri diſtractionem Prouinciarũ, atq; Subditos maioribus exagitare diſſenſionibus (quæ nobis non leuẽ malè ſuſpicandi cauſam, & occaſionem capiendi alia conſilia præbuerunt) Nihilominus tamen de-

ſiderio, atque enixo ſtudio ſynceræ pacis, quo tenemur à conſtantia promouendi communem tranquillitatem, publico fœdere non deflexímus continuo inſtando, vrgendoque apud Prouincias, vt ſuper dictis Articulis quam celeberrimis deliberarent, atque intentionem ſuam ſignificarēt,ita vt in nobis nulla mora ſit: Sed rei pondus, multitudo Prouinciarum, naturalis opinionum varietas,& contraria maleuolorum hominum ſtudia tarditatem inuexerunt. Quam veſtras Celſitud. & Dignit. re penitius inſpecta,& ob cauſas ſupradictas non iniquo animo laturas confidimus. Interim verò ex animo agnoſcimus, & perpetua gratitudinis memoria celebramus benignum, atque paternum affectum Cæſ. Maieſt. erga has calamitoſas Ditiones, & veſtrarum Celſitud. et Dignita. in pacandis illis præclaram diligentiam, ſtudium, atque laborem : tametſi res quodam malo fato nondum in eum ſtatum perducta ſit, quem ratio temporum et rerū poſtulat. Maius enim (vt veremur) eſt malum, et altioribus radicibus Prouinciarum corporibus infixū, quàm vt remedia, in dictis Articulis comprehenſa, curationi ſufficiant; niſi Regia Maieſtas effuſo benignitatis ſinu dignetur maiorem in ſubditos ſuos exercere liberalitatem, & hactenus anguſtis emanantia venis longiore progreſſu in magnos amnes extendere. Nam vt cùm bona venia veſtrarum Celſitud.& Dign. & ſine præiudicio Prouinciarum è multis pauca attingamus, ſi iuxta nonum articulum omnes hactenus abſentes, vel amoti ab officijs priſtinū Ordinum ſtatum, ac dignitatem recuperent, atque auctoritatem, imperiumque conſequantur; quid reliquis expectandum eſt, quàm cum ſumma omnium rerū perturbatione, vincula, proſcriptiones, exilia, & cædes, patefacta via Hiſpanis odio Ditionum adhuc flagrantibus recuperandi eas quandocunq; voluerint, adminiſtrantibus Rempub. eorum amicis, ſocijs, & confœderatis, qui eorū beneficio reſtituti Patriæ, & Dignitati priſtinæ ſine illis arbitrabuntur vitam ſibi non ſatis ſecuram fore? Et huius periculi procliuiorem occaſionem reddunt ſeparata, & particularia cum Hannonien. & Artheſienſ. in propriam eorum perniciem, ac præiudicium vicinarum Prouinciarum ſubtiliter excogitata fœdera, & Hiſpanorū, ſi fortè (vt Græci Troia) ſimulatè abire incipiant, voluntatem & obſequium conſcribendi exercitus, obligationes, nec non iuxta 16. & 17. Articulorum decreta, de tradendis ilicò omnibus ciuitatibus, fortalitijs, armis, & munitionibus Gubernatori generali ex arbitrio Regis Catholici deſignando. Quod ſuperioribus annis in Conuentu Bredenſi ſoli Hollandi, Zeelandique recuſarunt, & in fœdere Gandenſi expreſsè pro ſecuritate ſua contrarium ſtipulati ſunt, & conuenerunt : ita vt per Articulum illum 17. contra Pacem Gandenſem Principi Auraico prærogatiua Gubernationis adimatur, & Hollandis, Zeelandiſque, ac Bommelenſibus eorum confœderatis imperetur, Ciuitatum, Caſtrorum, & munitionum (in quibus ſecuritatem

tem ſuam habent poſitam) reſtitutio, & inſuper denegetur omnib ūs Prouincijs in vniuerſum ea ſecuritas, ſine qua Hollandi, Zeelandique ſoli cum vicinis reconciliari noluerunt, & qua ſublata Prouinciales fragilitate ſolius iuramenti muniti, ſeſe inimicis recenter reconciliatis committerent, quod humana fugit ratio & natura abhorret. Etenim compertum eſt, quàm parua in Regnorum & Principatuū cauſis iuriſiurandi plærunque habeatur ratio, & quàm faciles ſint diſpenſationes, & abſolutiones Pontificiæ, maximè ſi Maieſtas Imperij imminuta dicatur, aut iniuſtitia fœderis cum rebellibus Subditis initi allegatur, aut colore extirpandarum hęreſum prætendatur. Cuius occaſione ante annos aliquot vidimus Galliam pacatam miſerabili ſtrage ſubitò conturbari, & cadaueribus occiſorum repleri. Et quamuis Edicto perpetuo publicato Dominus Ioannes Auſtriacus pacem Gandauenſem confirmauerat, quid per ſecretas molitiones occupandorum caſtrorū, & fortalitiorum, nec non per clandeſtina conſilia cum Ducibus Germanorum militū conatus eſt, niſi pacem illā Gandenſ. abrumpere, & neglectis pactis publicis liberū Dominatum per omnes Prouincias acquirere? In quem finem etiam nunc ſpectare videtur frequens, & per multos Articulos cū pace Gandenſi coniuncta commemoratio dicti Edicti perpetui: quod ab Hollandis, Zelandisque ab initio conſtanter, aperteque repudiatum eſt, ab alijs ſine magna diſcuſsione incautè admiſſum fuit. Vnde cauſa omnium calamitatum noſtrarum proceſsit, & fax ſequentium bellorum accenſa fuit, propter generalem & ſimplicem promiſsionē & obligationem de conſeruanda Religione Catholica Romana, quæ illi Edicto inſerta fuit, & in vim cuius Ioannes Auſtriacus mox ab initio Ordines ad arma ſumenda Religionis ergo impellere tentauit, & ipſe Rex ſuperſtruendo (cùm omnes Ordines Baroni de Selles, Commiſſario Maieſtatis Catholicæ, ſe offerrent paratos ſecundum terminos pacis Gandenſis, & Religionis obſeruantiam & obedientiam ſuperioritatis exhibere) Pacem illam Gandenſem tanquam infamem, & ſcandalis obnoxiam reiecit, atque improbauit, reductisque Hiſpanis, alijsque exteris, crudeliſsimum bellum redintegrauit, vt abſolutum Imperium, & Religionis obſeruantiam, qualis tempore Caroli Quinti Imperatoris fuerat, reſtauraret: vt res ipſa oſtendit, et euidentius conſtat ex communicatione cum dicto Barone de Selles habita, eiusque inſtructione, et literis Regijs, per eum allatis, quæ cum literis Ioannis Auſtriaci publice impreſſæ, in omnium manibus verſantur. Vnde Prouinciales animaduertentes poſſeſsionem, et vſum Pacis Gandenſis à Rege denegari, et aperto bello, atque incitatis diſsidijs inteſtinis hoc agi; vt qui à Romana Religione declinauerant, et ad veterem morem, ritumque fidei, qui tempore Caroli Quinti fuerat, regredi nollent, vel expellerentur, vel opprimerentur, derelictis cancellis

dictæ pacis,quam retinere non licebat,in tantas turbas reciderunt, vt ad euitãdam totius Reipub.ſubuerſionem neceſſe fuerit vlterius progredi,& primo per literas mutuæ ſecuritatis, deinde per concordiam Religionis,aliaque pacta Ciuium tranquillitati proſpicere. Ob quod magno odio digni ſunt,& deteſtabiles,qui Prouinciales,aut Ordines inconſtantiæ,& quodammodo periurij culpãt,quod admiſſo exercitio alterius religionis intra terminos dictæ pacis Gandenſis non conſtiterint:cum Rex,Regij Duces, & Conſiliarij prætextu dicti Edicti perpetui,& quarundam harum(de quibus mox dicetur)prius pacem illam tanquam infamem reiecerint,atque vſum illius armis adimere, omniaque ad acerbitatem veteris inquiſitionis reuocare tentauerint. Sic vt Ordinibus aut Prouincialibus (etiam cum maximè vellent & optarent cum quiete & tutela Eccleſiaſticorum)nõ licuerit dictæ pacis conditionibus adhærere,& vlteriora incommoda,atque inconuenientia,quæ acciderunt,declinare propter contraria Regiorũ Ducũ, atque militũ ſtudia: adeo vt præter liberum arbitrium Prouincialiũ in mutando pacẽ illã,quã inter ſe contraxerant,Regis Catholici ſeueritas,& Reip.declinatio imminentiũ periculorũ,quæ ex illato bello & incitatis ſubditorum diſsidijs metuebãtur,mutationem induxerint: quod merito ad excuſationem Ordinum valere debet. Nihil enim imputatur ei,quem impedit potentior, aut cui noua cauſa ſuperuenit,aut quoties publica neceſsitas ad euitandas ciuiles diſſenſiones & declinanda hoſtilis exercitus pericula mutationem exigit. Nam Reipub.quieti omnes leges attemperandæ ſunt,omneſque diſpoſitiones & conuentiones intelliguntur rebus ſic ſtantibus & in eodem ſtatu manentibus. Illi enim ſolum fidem fallunt, & inconſtantiæ crimen contrahunt,qui cum eadem maneant, quę erant tempore fidei datæ, non præſtant id de quo actum eſt:non etiam ſi mutatio ſuperuenerit, aut aliquid inciderit quod impediat, maximè ſi(vt eſt in propoſito) cauſa mutationis & impedimenti ab eo, cum quo agitur, proceſſerit, & præſens periculum tumultuum, quod ex reuocatione illa pacis Gandenſis Regij ſperabant, certiſsimum immineat. Ex quibus cauſis etiam diluitur,quod de literis Ordinum ad Regem ſcriptis adducitur. Nam ſi forte olim ante Pacem Gandenſem Particulares Ordines Regi Catholico per literas obtulerint Religionis ſtatum tempore Caroli Quinti vigentem, id vniuerſitati Prouinciarũ non præiudicat,& ſequens pacis Ganden. interpoſitio atque omniũ rerũ mutatio efficit,ne ſubditi tam ingentibus malis circumuenti,tot bellis,alijſque caſibus vexati,nunc ex interuallo anguſtijs talium literarum,quarum executionem,& obſeruationem temporis ratio prorſus conſtituit impoſsibilem,coarctari poſsint, aut debeant. Poſt vero pacem Gandenſem quicquid prætendatur in contrariũ nõ,putamus aliquas reperiri literas communi Ordinum conſenſu ſcriptas, quæ recte expenſæ terminos dictæ Pacis Ganden.egrediantur: vt per iuſti-

fica-

ficationem Ordinum aduerſus aſſertionem Ioannis Auſtriaci publicis monumentis clariſsimè demonſtratum eſt. Quinetiam ſi Deputati Ordinum poſt pacem Gandenſem liberalius aut Imperatori, aut Regi ſcripſiſſent, per hoc tamen non ſubuerteretur publicum fœdus Gandenſe abſque ſpeciali conſenſu ſingularum Prouinciarum, à quibus illud ſolenniter probatum & acceptatum fuit; Nec impediretur Ordines poſt atrox bellum ſibi à Rege illatum, & diu continuatum, tumultuſque inde ſecutos à prioribus conſilijs diſcedere, atque ad alia confugere, quæ neceſsitati vel vtilitati Reipub. conueniunt, & ad Ciuium concordiam retinendam requiruntur, vti anno iam elapſo & amplius metu inſtantis mutationis apud Cæſarem proteſtati ſumus in ſolemni illa, & per Ordinum concordiam approbata reſponſione: quam Maieſt. ſuæ Imperiali tranſmiſimus per Aulicum ſuum Conſiliariū Baronem in Stubing. Cuius exemplum his adiunximus. Et quæ in tanta rerum mutatione præponderare debet antecedentibus epiſtolis, quarum cauſa in hoc rerum ſtatu variationem accepit, & cum Regia Maieſtas adeo fixo iudicio Pacem Gandenſem ſemel improbauerit, & tantis bellorum ſumptibus hactenus eradicare tentauerit, iuſtam dubitationem habemus de blandimentis, quæ ſpecie dictæ pacis Nobilitati & populo fiunt, verentes ne inter tot ſtipata exterorum agmina hoc ſolum agatur, vt per captionem populi incitatis maioribus diſſenſionibus inſidiæ ex æquo omnibus parentur. Nam ſi Rex pacem illam rebus Prouinciarū in meliori loco conſtitutis improbauit, quis credet poſt calamitates Ditionibus illatas, & tantos belli ſumptus factos Regem ex animo pacem illam Gandenſem nunc ex interuallo probabilem iudicare? & ſubditis ſerio offerre? Et contraria argumenta manifeſte ſuppeditant dictorum articulorum inuoluta conceptio, & dictæ pacis derogatio, non ſolum circa auctoritatem Principis Auraici, & ſecuritatem Hollandorum, & Zelandorum, verumetiam per Edicti perpetui accumulatam obſeruationem, & expreſſam pręſcriptionē, quæ duobus articulis de Religione conceptis inſeritur, per quā ſubditi reliquarum Ditionum nō obſcure anguſtioribus vinculis, quam priorū pactorum concluduntur, coarctanturque omnes ſecundū prætenſam Edicti perpetui obligationem ad profeſsionem, & vſum fidei Romanæ. Vt oſtendit effuſa diſpoſitio dictorū Articulorum, & ſequens exceptio, qua Gandenſis, reſpectu religionis ad ſolos Hollandos, Zelandoſque, ac Bōmelenſes reſtringitur: & quanquam ſequenti articulo, prætextu benignitatis alij, qui à fide illa receſſerunt, tolerētur: Id tamē cū ea reſtitutione indulgetur, vt ſolū ſecuritatē habeant aduerſus rigorem Regiorū placitorū, & ſi ex Ditionibus diſcedant bonorū ſuorū curā Catholicis adminiſtratoribus relinquere, et reuertentes Catholicè viuere, et curatis Eccleſiaſticarū, et Magiſtratibus locorum de ea re fidem facere cogantur, quod Paci Gandenſi prorſus eſt contrarium,

ſecundum quam liberum eſt omnibus abſque aſtrictione, & profeſſione vnius vel alterius religionis venire, morari, conuerſari, recedere, & reuerti, & committere adminiſtrationem rerũ ſuarum cuilibet pro arbitrio. Ita vt verbis ad augẽdum inteſtina diſsidia vulgo ſpecioſa fiat pacis Gandenſis oſtentatio, reuera autem in totum beneficium illius ſubuertatur, reuocatis omnibus ad veterem morem, ſecundũ quem vigebant aduerſus quoſlibet inquiſitiones, excommunicationes, aggrauationes, reaggrauationes, brachij ſecularis inuocationes, & ſimilia, quæ rebus, atque temporibus accõmodari non poſſunt ſine immortalibus Prouinciarum ac Ciuitatum inimicitijs, ſine ſeditionibus, & cædibus Ciuium, & euidenti reliquarum tam religionis quã auctoritatis diſcrimine. Ex quibus perſpicue intelligunt Celſ. & Dig. V. ſubitaneam illam rerum mutationem Ordinibus nimium eſſe periculoſam: ac proinde neceſsitatem Reipub. maiorem quandam dictorum articulorum moderationem exigere longe vltra terminos pacis Gandenſis, ne exemplo ſuperiorum temporum non multo poſtea eiſdem, vel maioribus agitemur tumultibus; aut cum ſummo inſidiarum periculo moram duntaxat aliquam his malis producamus. Et vt ad alia veniamus, omnes vident, quantis ambagibus inuoluatur, & in, quam longum tempus differatur innocentis Comitis Burani reſtitutio ac liberatio, videlicet donec Princeps Auraicus adimpleuerit ea, de quibus cum ipſo tranſigetur per ſingularem capitulationem, ad quam propter fidem datam vniuerſitati Prouinciarum, & poſt expirationem termini communicationi præſtituti compertum eſt, Excellen. ſuam non poſſe deſcendere: quemadmodum intelligimus ipſam veſtris Celſ. & Dign. per literas reſpondiſſe. Vnde quantum periculi ex dictis Articulis & Patri & filio non ſine grauiſsima Prouinciarum omnium perturbatione immineat facile eſt diſcernere. Illud quoque animaduerſionem deſiderat, nullam neque pro Regina Angliæ, Duce Alenzonio, alijſque confœderatis, imo nec pro ipſo Archiduce Matthia idoneam capitulationem illis articulis contineri. Denique geſta, decretaque ipſius Archiducis & Ordinum in quã fragilibus relinquantur fundamentis, inuolucra exceptionum additarum oſtendunt. Quæ omnia repræſentanda atque oculis ſubijcienda duximus, vt Celſſ. & Dign. veſtræ cauſas malorum noſtrorum propius intuerentur, intelligerentque nec leues, nec improbabiles difficultates circa dictos articulos incidere, præſertim in iſta ſumma animorum exaſperatione & diffidentia, diuerſitate Capitulationum Principis Parmenſis, Duciſque de Terra noua, atq; dubitatione atque incertitudine omnium rerum. Et dum ſecundum promiſſa Parmenſis Hannonienſibus atque Artheſienſibus facta, exercitus Hiſpanorum intra terminum præſtitutum non deceſſerit, & in præfatis Articulis de tempore, quo abire debeat nihil determinate conuenerit, multique nõ iniuſte, & ex indicijs non obſcuris ſuſpicentur illorum

pro-

propoſitum, ac inſtitutum eſſe Ditiones iſtas nō derelinquere, quodque omnia per ſimulationem fiant, vt lenocinio pacis Subditorum animis erectis maiores turbas, ac ſeditiones concitent, atque ita viam parent procedendi ad Prouinciarum penetralia cum miſerabili omnium virtutum oppreſsione. Cumque in mora ſit periculum, nec ita celeriter, vt rerum ſtatus poſtulat, ſuffragia Prouinciarum obtineri, & conciliari poſsint, præclariſsimum & vniuerſæ Reipubl. Chriſtianæ vtiliſsimum ſtudium eſſet, ſi Cæſarea Maieſtas, & Celſitud. et Dign. veſtræ auctoritatem ſuam interponerent, et ex officio propoſitis idoneis atque efficacibus remedijs aduerſus incommoda ſuperius relata, aliaque illis ſimilia Regem Hiſpaniarum, aut Ducem de Terra noua, eius Commiſſarium inducerent ad conditiones æquiores, ſecuriores, & ſtatui præſenti Reipubl. magis conuenientes, et tales, quæ in vniuerſo proſint omnibus, et quas reuera tabulas pacificatorias appellare, et æternitati cum omnium ſecuritate conſecrare liceat. In quo, ſi quemadmodum confidimus, Celſitud. et Dign. veſtræ apud Regem operam, diligentiamque impenderint, laudem conſequentur apud omnes homines immortalē, et Ordines, ac Prouincias perpetuò obſequendi ſtudio arctioribus vinculis ſibi aſtringent. Nos interim non ceſſabimus Prouinciarum vota, ſuffragiaque requirere, ac per primam oportunitatem tranſmittere. Deus Pacis Author Celſitud. et Dign. veſtras in inchoata pace perficienda confirmet, et in felicitate diutiſsimè conſeruet incolumes. Ex Antvverpia decima Septembris, Anno Domini 1579.

Celſ. & Dign. V.

Deditiſsimi Ordines Belgij.

Ad Mandatum ſupradictorum Ordinum.

Houfflin ſſt.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs. Illuſtriſsimis, Generoſis, Nobilibus, Prudentibus et Circumſpectis Dominis, Electoribus, et Principibus Sacri Imperij, nec non Legatis, et Commiſſariis Sac. Cæſ. Maieſt.

Coloniam.

RESPON.

Num. LVII.

RESPONSIO ORDINVM GENERALIVM GERmaniæ inferioris ad propoſitionem Illuſtris Domini Seyfredi Preyner Baronis in Stubing, & Aulici Cæſ. Maieſtatis Conſiliarij, & Legati, data Antuerpiæ 20. Menſis Iulij, 1578.

PRælati, Nobiles, ac Prouinciarum Ciuitatumq; Germaniæ inferioris Delegati, qui vniuerſos Ordines repræſentant, immortales Sacræ Cæſ. Maieſt. ſumma cum animi ſubmiſsione, atque obſeruantia agunt gratias: quod poſt violatas à Ioanne Auſtriaco pacis conditiones ſecũdo Legationem huc deſtinare, & Illuſtrem Dominum Seyfridũ Preyner Baronẽ in Stubingh, & Aulicum Maieſt. ſuæ Conſiliarium Legatum ad ſe mittere dignata ſit. Qui pro officio, & candore ſuo, ſtudioque, quo has Ditiones proſequitur, ſingularem beneuolentiam & amorem Sacræ Cæſ. Maieſt. erga iſtas inferioris Germaniæ Prouincias, nec non ſynceritatem, curam & ſollicitudinem pro ſalute, & trãquillitate ipſarum Ditionum à Maieſt. ſua exhibitam cum luculenta beneficiorum (quæ nulla vel temporis diuturnitate, vel calamitatum magnitudine obliterabuntur) commemoratione clariſsime expoſuit.

Et cum omnia ampliſsima ſint, quæ S. Cæſ. Maieſt. pro ſalute harum Prouinciarum procurauit, tum illud etiam maximi põderis, & præcipui momenti exiſtimant, quod S. Maieſt. Hiſpaniarum Regem cohortata eſt, vt ſuæ Maieſt. rem omnem permitteret, & ab armorum conſilio deſiſteret. Deinde quod ſacri Imperij Principes Electores admonuerit, vt in perſonis propriis in Conuentu VVormaciẽ. conuenirent, & per ſe ipſos deliberarent de rationibus, quibus tandem hæ Prouinciæ in priſtinum ſtatum reſtitui poſſent, & quid de poſtulatis vtriuſque partis conſtituendum foret.

Quod vero ad præteritas oblationes attinet, recordantur Ordines, atque in recenti memoria habent, tenorem literarum, & ſcriptorum, quibus vt Regi Catholico reconciliarentur, vt certam formam Reipub. ac Religionis retinerent, ac trãquillam vitam ducerent, profeſsi ſunt ante annos aliquot, ſe neque ab obedientia Maieſt. ſuæ, neque à Religione Catholica Romana receſſuros, quemadmodum etiam ſuperiori anno poſt pacem Gandaui initam, & Cæſareæ, & Regiæ Maieſt. literis denuo declararunt, ſe in eadem obedientia ac religione ſecundum terminos dictæ Pacis permanſuros, ſi reuocato intollerabili Hiſpanorum, aliorumque exterorum imperio quietẽ & ſecure poſſeſsiones ſuas cum Vxoribus, & liberis retinere poſsint. Quin etiam poſt violatas ab Auſtriaco pacis conditiones, & bello miſerabili infe-

infeſtati, & cùm antea ſæpè decepti propter inſidiarum periculum ab vlteriori congreſſu abhorrerent, ne quid intentatum relinquerent, quod ad pacem fulciendam & reſtaurandam pertineret, Baroni de Selles Regis Catholici Legato eadem, quæ prius obtulerunt, addita aperta ſignificatione, & neceſſaria proteſtatione imminentium periculorũ, tum in religione, tum in dicta obedientia: Si Regia Maieſt: differẽdo pateretur ſubditorũ diffidentiã, & deſperationẽ lõgius procedere. Verùm Maieſtas ſua nunquam in tempore dignata eſt humiles ſupplicationes, & lachrymabiles preces ſuorum ſubditorum admittere, & exaudire: quinimo, quod eſt miſerabilius, pro beneuolo, clementique reſponſo ab Ordinibus certiſsimè expectato, & nouiſsimè à Domino de Selles conſtanter affirmato, & promiſſo iuſtiſsimas preces Ordinum reiecit, pacta, tranſactaque Gandauenſia ſolenniter approbata, irrita fecit, & ſuos ſubditos crudeliſsimo bello aggreſſus eſt, remittendo auxilia militaria vndecunque contracta ad exequenda turbulenta ac pernicioſa Ioannis Auſtriaci conſilia.

Quo factum eſt, vt tanta Reipubl. perturbatio, tantaque malorum (quæ bellum ſecum trahit) inundatio cum magna animorum abalienatione ſecuta ſit, vt meritò dubites, an priora illa promiſſa, & oblationes (præſertim relatione facta ad tempora Caroli Quinti, quæ nunc ſerò à Maieſtate ſua vrgentur) hoc pericoloſo tempore adimplere vel poſsibile ſit, vel etiam expediat. Et præterea cùm Maieſtas ſua inita Pacificationis Gadauenſis obſeruare detrectet, non omnino mirum videri debet, ſi Subditi viciſsim ſeſe à vinculis dictorum pactorum reſpectu Regis liberatos exiſtiment.

Et cùm per belli calamitates cura Religionis ſtabiliendæ difficulter retineatur, dolent, & ingemiſcunt Ordines labi opportunitatem, & tempus, quo commodè remedium adhiberi poſsit: præſertim inualeſcente licentia militari & morum diſſolutione, quæ ex progreſſu funeſti Belli inducitur. Cuius authoribus, non populo aut Ordinibus iraſcendum eſt: quibus in hac rerum periſthaſi magis Ciuium ſuorum concordiam procurare neceſſe eſt, quàm contentione tutandæ Religionis Hiſpanorum inſolentiam confirmare, & trophæum contra ſeipſos erigere, vt in tanta animorum deſperatione, & infinita multitudine diuerſam Religionem ſequentium vrbes eorum exagitatę ſeditionibus, & cædibus ab exteris tandem diripiantur, & euertantur. Adeò enim ſui compendij cum Ordinum diſpendio ſtudioſi ſunt Aduerſarij, vt per Religionis abuſum Prouinciarum ſeruitutem, & calamitatem ſtabilire conentur, & incitato Religionis diſsidio popularibus ſeditionibus (quas per varias proditiones moliuntur) vires Ordinum debilitẽt, atque infirment, & tandem abſque diſcrimine tam Catholicos, quàm eos, qui à Romana religione diſceſſerunt, minori negocio aggrediantur, & opprimãt redintegrata Hiſpanorũ tyrannide, & intolerabili imperio ſecundum

Q per-

Et cum omnes eorum beneficiorum maxime meminiſſe ſoleant, quæ in calamitatibus acceperunt, ſumma eſt occaſio, qua Cæſ. Maieſt.& Principes Sacri Imperij bene mereri poſſunt de Ditionibus Belgicis,& ſimul nō minus ſibi ipſis,quam illis prodeſſe, ſi miſsis ſuppetijs militaribus afflictos Belgas vicinos, & membra Sacri Imperij aduerſus Exterorum vim, atque ferociam promptè tueantur, atque illos, qui inferiorem Germaniam oppugnant, & Illuſtriſsimum Archiducem Matthiam Cæſareæ Maieſtatis germanum fratrem, illarum Prouinciarum moderatiſsimum Gubernatorem cum ignominia,tum ipſius, tum ipſorum Ordinum deturbare conantur, ab armis deterreant,tutelam atque protectionem Belgicarum Ditionū ſuſcipiant. Quæ promptiſsima ratio conſeruandi Imperij Belgici, vel Regi Catholico, vel Domui Auſtriacæ, antequam deſerti Ordines de exteri Principis auxilijs certiora concludant conſilia.

Quæ quidem conſilia de exteri Principis auxilijs non ignorant ſuis incommmodis non carere,tamen eiuſmodi ſunt,quæ eos præſenti calamitate et belli metu poſſunt liberare. Quod vtinam Cæſarea Maieſtas & Sacri Imperij Principes & iam ſibi faciendum propoſuiſſent,hoc eſt, Prouincias Imperio confœderatas, & quarum ruina magnam Imperij partem inimicis patefaciet, præſenti auxilio confirmare potius, quam Commiſſarijs rem gerere. Nam etſi non dubitent Maieſtatem Cæſaream ſedulo procurare ea, quæ exiſtimat facere ad pacem his prouincijs reſtituendam,tamen cum reipſa Ordines experiantur, quam parum ſpei ſit ponendum in rebus adeo incertis & in voluntate inimicorum poſitis,humiliter orant ſuam Maieſtatem,vt ignoſcat Ordinibus, quod in iis ſuæ Maieſtatis conſilio, & voluntati obſequi minus poſſunt.Nam cum etiamnum incertum ſit Ioannes Auſtriacus quantum Maieſtati tribuat, & quid de ceſſatione ab armis, & reliquis mandatis ſuæ Maieſtatis facturus ſit, facile putant intelligi poſſe,quam non conueniens, neque conſultum ſit de Induciis,& armorum ſuſpenſione mentem, & voluntatem declarare,ſed cum ab initio Ordines ſemper pacificationi non inſidioſæ operam dederint,& nihil aliud deſiderent, quam conſeruata Patriæ libertate in pace viuere, apertè profitentur Ordines ſeſe pacis tractationem minime reiicere, ſed eam ſummopere deſiderare, quæ tot ærumnarū,& calamitatum,quę proueniunt ex bello omnium malorū Lerna promptam leuationem adferre poſsit. Quamobrē non poteſt non Ordinibus eſſe gratiſsimum, quod iterum Sua Maieſtas Commiſſarios Cæſareos præcipuæ auctoritatis, ac neutri parti ſuſpectos ad ſeſe deſtinauerit: Quodque pacis tractationem per Oratorem ſuum apud Regiam Maieſtatem in Hiſpaniis etiamnum proſequatur, & omni maiori ſtudio vrgeat qua in re ſolicitudinem & curam, quam ſua Cæſarea Maieſtas ſuſcepit, et nec intermiſſuram ſperant

pro Prouinciarum ſalute humiliter agnoſcunt; indies magis ac magis ſe ſuæ Cæſareæ Maieſtati, pro tam immenſis beneficijs obligatos confitentur. Id vnum poſtulant, vt veniam det, ſi nihilominus interea ſuæ ſecuritati proſpectum velint: ita tamen, vt iura inclytæ Auſtriacæ Domus, & fœdera à Prouincijs cum Sac. Imperio inita, quantum fieri poterit, conſeruentur, quæ ſanè, vt neque Regis Hiſpaniarum auctoritatem, ſi tandem ad Subditorum ſupplicationes, et preces adhibeat æquas aures nullo modo imminui patientur.

Et cum ex his, quæ dicta ſunt, & quæ Legatus coram ſuis oculis animaduertere potuit, Illuſtriſs. Cæſ. Maieſtatis Legato ſatis quàm æquum & iuſtum ſit deſiderium Ordinum conſtare poſsit, hoc vnum petunt & rogant Ordines, vt Legatus fideliter ſuæ Cæſ. Maieſtati exponat, quæ ad ſalutem & conſeruationem Prouinciarum Inferioris Germaniæ pertinebunt: & quòd in eam rem operam diligentem pollicetur, ſummas agunt gratias, quas referre Ordines parati ſunt.

Num. LVIII.

SACRAE CAES. MAIEST. AD NEGOTIVM *Pacificationis Belgicæ deputati Commiſſarij.*

Illuſtres, Reuerendi, Generoſi, Nobiles, & Circumſpecti.

LIteras veſtras decima Septembris Antvverpiæ datas viceſimaſeptima eiuſdem, poſtquam literę noſtræ his adiunctæ ſcriptæ, ſignatæ, & Tabellario tradendæ eſſent, à Legatis veſtris accepimus, vtque poſt moram tam diuturnam nihil aliud à vobis, & Prouincijs Belgicis, quàm certum reſponſum & mediorum propoſitorum acceptationem auidè expectauimus: ita ex literis veſtris nihilominus, quàm certam Belgicarum Prouinciarum reſolutionem & deſideratam acceptationem, colligere potuimus. Sed potius Prouinciarum reſponſum in aliam, neſcimus quam, oportunitatem rejectum, & interim non pauca propoſitorum mediorum, & præcedentiũ tranſactionum capita pleniſſimo ſtylo in dubium reuocata, & plæraque ſiniſtrè interpretata, omnemque ferè ſpem pacis conciliandæ nobis ablatam eſſe intelleximus. Quanquam autem ea, quæ in literis veſtris comprehenſa ſunt, bonis & firmis rationibus impugnari, & elidi poſſent: tamen nec operæpretium, nec noſtrarũ partium eſſe arbitramur, tam amplum nouæ diſputationis, vel altercationis campum ingredi, vel noua media, quaſi hactenus nihil actum eſſet, proponere, nouamque tranſactionem æquè incerto euentu inchoare. Cùm igitur nec

a Regio Mandatario intelligere potuerimus, quod amplius, quàm in medijs propoſitis, & tranſmiſsis comprehenſum eſt, concedere velit, nec noſtra, noſtrorumque Subditorum negotia admittant nos diutius hic immorari, non poſſumus non adiunctis noſtris literis inhærere: Ita tamen, vt terminum in ijſdem expreſſum, vſque ad vltimum diem præſentis menſis Octobris prorogemus. Infra quem terminum ſi certam reſolutionem Prouinciarum Belgicarum, & acceptationem mediorum propoſitorum non acceperimus, tactationi huic finem impoſituri, S. Cæſ. Maieſt. omnia fideliter relaturi, & ſine vlteriori mora hinc diſceſſuri ſumus. Sin verò Prouinciæ Belgicæ infra eundem terminum dicta media acceptauerint, nobiſque id per literas ſignificauerint, ſuiſque Legatis Mandatum ad hanc Pacificationem confirmandam, & ſtabiliendam neceſſarium miſerint, vt vos ſemotis quibuſcunque affectibus, & diffidentia omni ſepoſita promoturos confidimus: nos rurſus tam diligenter & ſedulo cum Regio Mandatario, Duce de Terra noua, Legatiſque veſtris de confirmatione, & inuiolabili obſeruatione eiuſdem pacificationis agemus. Et quicquid ad eam rem neceſſarium videbitur, ea dexteritate promouebimus, vt non dubitemus, inſidias & ſuſpiciones illas, de quibus mentionem facitis, nullum hic locum habituras. Interim vobis quæcunque beneuolentiæ officia offerimus. Datum Coloniæ tertia Octobris, Anno 1579.

Statibus generalibus Belgij Antvverpiæ congregatis.

Num. LIX.

REVERENDISSIMES, ET ILLVSTRISS. ELEcteurs, & Princes du Sainct Empire, Genereux Nobles & puiſſances Seigneurs les Commiſſaires de la Sacrée Maieſté Imperialle.

NOVS eſtans empeſchiez a prendre reſolution ſur les Articles de paix, & reconciliation propoſez au nom de ſa Maieſté Catholicque par voz Excellences & Seigneuries a Meſsieurs les Deputez des Eſtatz generaulx aſſemblez en la Ville D'Anuers a nous enuoyes par leſdicts Eſtatz, Nous ont eſté le quynzieſme de ce mois renduez, en ceſte Ville les lettres de voſdicts Excellences et Seigneuries, l'vne en datte du cinquieſme de Aougſt, et l'autre du vingtneufieſme dudict mois, auec les Articles de paix accompaignees des lettres de l'Illuſtriſſime Seigneur et Duc de Terra noua, Nous enchargeant d'incontinent donner ſur iceulx

Arti-

Articles noſtre reſolution, & lenuoyer a Couloigne a voſdicts Excellences & Seigneuries, comme plus amplement contiennent icelles lettres, pour auſquelles ſatisfaire: Il plaira entendre, que de noſtre part en ceſte Ville, on a touſiours ſuyuy, obſerué & entretenu la Pacification faict a Gand, Vnion depuis enſuyuie, & l'Edict perpetuel, en tous leurs poincts. N'ayans en rien plus au cœur, que de viure en bonne paix, repos & tranquillité, & en toute bonne deuotion & obeiſſance vers ſa Maieſté, noſtre Prince naturel & ſouuerain Seigneur. Et cõſiderans, que a Maieſté Catholicque par leſdicts Articles promect maintenir, & faire entretenir leſdicts Pacification de Gand, l'Vnion & Edict perpetuel en tous leurs poinctz, Comme auſſy les priuileges, vſages & couſtumes de chacune prouince & ville, faire retirer les Eſpaignolz, & aultres gens de guerre eſtrangiers, & pluſieurs aultres poinctz plus amplement reprins par leſdicts Articles. Ne pourions ou ſcaurions aſſez remercier ſa Maieſté de ſa grace, faueur & amour, qu'elle port ſa ſes pays & ſubgectz. Comme auſſy voſdicts Excellences & Seigneuries de la peine & trauail, qu'elles ont en ceſte cauſe, pour aduancer le bien & repos de ces pays. Nous tenans a touſiours obligez a le recognoiſtre. Mais comme trouuons auoir quelque diuerſité aux ſuſdicts articles, & ceulx arreſtez par ſadicte Maieſté, auec les Prouinces d'Artois, Haynaut, & aultres aſſociez, trouuerons ſoubz toute humble reuerẽce & correction pour la meilleure & ſeure paix & vnion des prouinces expedient, qu'il plaiſe a la Sacree Maieſté Imperialle, & voſdicts Excellences & Seigneuries, tant faire qu'icelle diuerſité ſoit oſtée, & iceulz Articles reduictz en vne conformité. Se poantes voſdicts Excellences & Seigneuries bien aſſeurer, que de noſtre part ne deſirons rien plus que d'ambraſſer la paix et reconciliation auec ſa Maieſté, noſtre Prince naturel, & ſouuerain Seigneur, luy rendant toute deue obeiſſance. Et comme ceſte Ville eſt enclauée dedans le pays de Haynault, voyſine auſſi des pays d'Artois, Lille, Douay & Orchiers aſſociees, ayans les Bourgeois de ceſte Ville leurs principaulx biens & reuenuz annuelz eſdicts Prouinces reconciliees. Et duquel pays de Haynault, ladicte ville eſt pourueue & aſſiſte de viures ordinaires, & les aultres viures & marchandiſes venans d'aultre pays, ny peuuent arriuer ſans paſſer ledicts pays de Haynault. Et que a ceſte cauſe eſt bien expedient, requis & neceſſaire pour le bien et conſeruation de ceſte Ville, d'entretenir bonne voiſinance & amitié auecq ledicts pays, Ioingt que tous les ſuſdicts Articles, tãt les vngs que les aultres, ſemblent tẽdre a vne meſme fin & but, qui eſt de recepuoir les ſubgects de ces pays en recõciliation auec ſa Maieſté, leur Prince naturel et ſouuerain Seigneur. Nous auons conceu ferme eſpoir confiance, que voz Excellences & Seigneuries entendantes par ceſtes aſſez clairement noſtre deſir & bonne intẽtion, ſe tiendront ſatisfaicts de nous, & ne trouueront mauuais, ſi nous prendrons l'eſpace demeurement nous conſeiller, & par apres reſouldre d'embraſſer la meſme payx d'Artois, Haynanlt, & aſſociez noz circonuoiſins en temps & lieu, & en dedans le terme quy nous eſt donné & preſcrit, comme auſſi a toutes aultres Prouinces & Villes, par ledict accord & traictie d'y pouuoir entrer, pendent lequel a temps on eſpere auſſi de veoir les effectz des choſes y promiſes & accordees.

Reuerendiſsimes, Illuſtriſsimes Princes & Electeurs de S. Empire, Genereux,

reux, Nobles, et puiſſans Seigneurs, les Commiſſaires de la Sacrée Maieſté Imperialle, prions le Createur continuer a voz Excellences et Seigneuries ſes graces, et donner accompliſſement de leurs nobles vertueux deſirs en toute felicité. De Valenciennes ce xix. de Semptembre 1579.

De voz Excell. et Seigneuries,

Treshumbles et obeiſſans ſeruiteurs, Preuot, Iurez, Eſchirs, Conſeil, Corps et Communaulté de la Ville de Valenciennes.

A l'Ordonnance deſdicts Seigneurs.

Poultreman ſſi.

La ſuperſcription eſtoit,

A Meiſſeigneurs,
Meßeigneurs les Reuerendiſsimes, Illuſtriſsimes Princes et Electeurs du Sainct Empire, Genereulx, Nobles et puiſſans Seigneurs, les Commiſſaires de la Sacrée Maieſté Imperialle, aſſemblez en la Ville du Couloigne, pour la Pacification du pays bas.

Num. LX.

SACRAE CAES. MAIEST. AD NEGOTIVM *Belgicæ Pacificationis deputati Commiſſarij.*

Spectabiles, Prudentes, & Circumſpecti.

Literæ veſtræ decimanona Septembris datæ, nobis ante paucos dies ſunt redditæ: Ex quibus magna animi voluptate intelleximus, vos pacem & reconciliationem cum Rege Catholico, Principe ac Domino noſtro naturali neutiquam recuſare, ſed tantum cauſas quaſdam allegare, quare cõſultius videatur, vos eos potius articulos, quos Artheſij, Hannonienſes, & eorundem confœderati inierunt, quam media hic propoſita acceptare. Quod cùm ita ſit, & vtrique Articuli, vt verè ſcribitis, ad eundem ſcopum reconciliationis tendant, meritò liberum vobis relinquimus, vtrum conditiones pacis hic propoſitas, vel Artheſijs & Hannonienſibus conceſſas, recipere velitis: eiuſdemque ſententiæ etiam Regium Mandatarium, Ducem de Terra noua eſſe intelleximus. Tantum id vobis ſignificandum duximus: quòd ſi media hic propoſita, omnibusque nondum reconciliatis Prouincijs, & Ciuitatibus Belgicis tranſmiſſa, acceptare, & ea in re noſtra opera vti volueritis, neceſſarium eſſe, vt ante finem huius menſis Octobris

id no-

id nobis indicetis: Nam eum terminum peremptorium ad hoc ſtatuimus. Interim vos ſedulo & diligenter adhortamur, vt in ſententia veſtra, qua pacem & reconciliationem cum Rege Catholico inire ſtatuiſtis, conſtanter perſiſtatis, & ab ea nulla ratione, quantumuis ſpecioſa, vos dimoueri patiamini. Quod reliquum eſt, non tantum à Deo petimus & optamus, vt is in pacè oblata, acceptanda, & perficienda vos confirmet, ſed & omnia beneuolentiæ officia vobis promptè offerimus. Datæ Coloniæ tertia Menſis Octobris, Anno 1579.

Ciuitati Valencenæ.

Num. LXI.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GEneroſi, *Nobiles, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarÿ.*

ILluſtriſsimus Dux Arſchottanus, & nos reliqui Ordinum Legati, literas illas, quas placuit Celſitud. & Dign. veſtris ad Ordines Generales ſcribere, quarum exemplum nudiuſtertius nobis traditum eſt, perlegimus, &, vt rogati & iuſsi fuimus, eaſdem literas ad illos tranſmiſimus. Sed cùm præter ſpem noſtram acciderit, quod in ijs nihil Ordinibus ad grauamina iſta, quæ plus quàm manifeſtè ſe in Articulis pacificationis exhibitis reperire oſtendunt, reſponſum ſit, nec vlla Ordinibus ſpes detur maioris alicuius moderationis, & gratiæ, ſuper qua firma pax inter Sereniſsimum Regem, & ipſos conſtituatur; Sed potius in contrarium omnis illa ſpes ijs per literas iſtas præcidatur; ſolliciti ne inde maior aliqua alienatio à Rege, vel ſiniſtra ſuſpicio de hoc tractatu apud Deputatos Prouinciarum (quorum conuentus breui habebitur) ſuboriatur quare non ſolum omnia iſta, quæ hactenus acta ſunt, in nihilum redigentur. Sed grauiora tam ab vna, quàm ab altera parte conſilijs & factis accidere neceſſe ſit: Propterea Celſitud. & Dignita. V. iterum enixiſsimè rogatas volumus, ne grauentur vel nouis literis ad Ordines datis, vel ſcripto nobis tradito, vt illius eos certiores ante Conuentum iſtum faciamus, obſtacula & impedimenta illa, quorum Ordines in literis ſuis mentionem faciunt, per nouam declarationem tollere, mediaque propoſita ita moderari, & reformare, vt ex ijs firmiorem ſecuritatem omnes ſubditi, deinde maiorem reuerentiam erga Deum & Regem, dum

dum in animis ſuis vtriuſque Maieſtati ſatisfacere poterunt, conſequuntur.

Ad quam rem ſimiliter ſubmiſsis animis interceſsionis veſtrę officium imploramus. Cuius reſpectu Celſitud. & Dign. V. haud moueredebet, quòd Dux de Terra noua circa quædam ſe difficiliorē præbeat: ſed veſtræ gratiæ incumbere putamus ea ad minimū conſentire, quæ conditio & ſtatus Reipubl. noſtræ præſens neceſſario exigere & flagitare videtur. Actum Coloniæ 12. Octob. Anno 1579.

Num. LXII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GEneroſi, *Nobiles, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Commiſſarij.*

DEcimaoctauā huius m̄enſis redditæ nobis fuerunt binæ literæ Celſit. veſtrarum, datæ Coloniæ quinta & vigeſima nona Auguſti, vnā cum exemplis earum, quæ ad Deputatos Ordinum Antvverpiæ ſcriptæ fuerunt, nec non mediorum propoſitorum ad pacem ineundam. Quibus exhortati fuimus negotium hocce ea dexteritate promouere, vt quamprimum ad ea media paci & tranquillitati patriæ conueniens reſponſum, & Legatis Ordinum ſufficiens Mandatum tranſmitteretur, aut cuiuslibet alterius Prouinciæ, vel Ciuitatis longiori protelatione non attenta noſtram reſolutionem & ſententiam de ijs medijs negocio coueniente in forma authentica Celſitudinibus veſtris renunciari curaremus. Qua in re agnouimus Sacræ Cæſareæ Maieſt. & Celſitud. Dignitatumq́ue veſtrarum in nos, cæteraſque Prouincias Belgicas ſummam beneuolentiam, officiaq́ue erga omnium ſalutem, quò priſtinæ tranquillitati & quieti reſtitui poſsint, eoque nomine quàm poſſumus maximas gratias agimus Celſitudinibus & Dignitatibus veſtris, quas interea certiores reddi cupimus, nos hoc in negocio omnem nauaſſe operam, & vnà cum tota huiuſce Ciuitatis communitate in ea eſſe ſententiā, vt Ordines Regi concilientur, pacemq́ue ineant illis medijs paulo ampliori forma conceptis, vt ſcripto eis miſſo, nec non Serenitati Archiducis Matthiæ annotauimus. Ad quos etiam latè ſcripſimus, quæ ad pacem ſuadendam expedire exiſtimauimus. Qua ratione ſperamus, breui Celſitudinibus, Dignitatibuſq́ue veſtris reſponſum datum iri, quo pax in vniuerſum per haſce Prouincias iniri poſsit. Qua in re Celſitudin. Dignitat. que veſtrarum operam, officiaq́ue petimus, vt breui hocce negotium confici queat. Itaq; nos omnes maximè deuinctos habituri eſtis, & Sacra Cæſarea Maieſtas ob tantum

& immortale beneficium ſibi perpetuo addictos. Quam, voſque omnes Deus Opt. Max. diu ſeruet incolumes, vobiſque proſperrima largiatur. Datum Tornaci 26. Septembris 1579.

Celſitudinibus, Dignitatibusque veſtris
ad omnia paratiſsimi,

D. Ordinum mandato.

De Landas ſſ.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs. Illuſtriſs. Generoſis, Nobilibus, Principibus, Electoribus, cæteriſque Sacræ Cæſareæ Maieſt. Commiſſarijs.

Coloniæ.

Num. LXIII.

Meſſeigneurs,

AYans entēdu par le contenu des lettres de voz Excellences & Illuſtriſ. Seigneuries accompaignees de celles du Seigneur Duc de Terranoua, la peine, ſoing & trauail continuel, qu'icelles ont prins, & prendent iournellement pour reduire ces pouures & deſolez pays a vne bonne paix, vnion & concorde generalle tant deſiderée. Et quoy aultāt humblement & affectueſement, que nous eſt poſsible en remercions voz Excellences, les aduiſſant qu'auons enuoyé aux Eſtatz generaulx, la reſolution par nous prinſe ſur le faict de ladicte paix & reconciliation auec ſa Maieſté, Eſperans que leſdicts Eſtatz ne fauldront de donner vne bonne & fructueuſe reſponce a voz Excellences, *pour paruenir a ladicte paix. A quoy requerons voz Exccellences tenir la bonne main. Qui ſera l'endroict.*

Meſſeigneurs, ou prierons Dieu maintenir voz Excellences & Illuſtriſ. Seigneuries en bonne proſperité, apres nous auoir recommāde a leurs bonnes graces. De Tournay le xxvi. de Septembre 1579.

De voz Exccell. & Illuſtriſ. Seigneuries
appareillez ſeruiteurs.

Les Eſtatz du Tourneſys.

Par Ordonnance deſdicts Eſtatz.

Pretebarre ſſt.

La ſuperſcription eſtoit,
A Meiſſeigneurs.
Meſſeigneurs les Princes & Electeurs du ſainct Empire, & aultres Commiſſaires de la Maieſté Imperialle, eſtans
A Couloigne.

Reue-

Num. LXIIII.

REuerendiſsimi, Illuſtriſs. Generoſiq; Principes, Electores, Comites, ac cæteri nobilitate generis viri clariſsimi, Sac. Cæſ. Maieſt. ad negotium Pacificationis Belgicæ Coloniæ cum Regis Principis noſtri Mandatario, Duce de Terra noua, & Legatis Ordinum Belgij reſtituendæ deputati Commiſſarij: Nos obedientiſsimi ſubſcripti veſtris Celſitudinibus ac Dominationibus maximas agimus gratias, quod veſtræ Celſitud. ac Dom. ex Sacræ Cæſ. Maieſt. mandato hactenus ad has Prouincias Belgicas, ex diuturni, & calamitoſi belli (proh dolor) incendio eripiendas ac liberandas, ſuis ac ſubditorum ſuorum cauſis hactenus ſepoſitis, ac ſuſpenſis, neglectisque ſeſe dignatæ ſint occupare. Quod autem ad veſtrarum Celſitud. & Dominationum literas iam tandem reſpondemus, cauſa alia non eſt, quàm quod Archiducis Auſtriæ, Gubernatoris harum Belgicarum Prouinciarum Generalis literæ Mandati deſuper, cum miſsis Articulis pacis (cuius tamen Mandatum de eodem negotio antea ad nos deſtinatum, per graſſatores interceptum verè didicimus) ſerius ad noſtras manus peruenerint. Et ante concluſum Conuentus Ordinum totius Geldriæ Ducatus, Comitatusque Zutphaniæ mandato Archiducis Gubernatoris Generalis deſcripti receſſum, non potuimus reſpondere. Quare nunc abſoluto, ac celebrato Arnhemij, huius Geldriæ prouinciæ Conuentu, ac datis reſolutionibus generalibus de poſtulandis pacis Articulis, vnanimi huius Prouinciæ conſenſu, concepta ac inſtituta reſolutio, ad Archiducem Generalem Gubernatorem per ſe Deputatos tranſmittenda, mox ſine dubio ad veſtras Celſitud. & Domina- (diuina gratia) perferetur. Supplices igitur veſtras Celſitudines & Dominationes rogamus, atque obteſtamur, ne eæ vlla longiori mora defeſſæ, huic Pacificationis negotio vlterius adeſſe detrectent: verùm in eo continuando & perficiendo perſeuerent, ac per Archiducem Præſidem Generalem de Articulis pacis, vnanimi totius Belgij Prouinciarum conſenſu reſolutionem & ſententiam huic negotio conuenientem ad veſtras Celſitudines ac Dominationes tranſmiſſam, ita & eo animo ponderandam accipiant, vt nos ad diu expectatæ, atque optatæ pacis tranquillitatem ac ſalutem perueniamus. Quod faxit Dominus Deus Omnipotens, in cuius manu omnia ſunt. Datum Nouiomagij decimoſexto Calend. Octobr. Anno incarnationis Chriſti 1579.

Veſtrarum Celſitud. & Dominat. obedientiſsimi Magiſtratus, & Ciues Ciuitatis Nouiomag.

Superſcriptio talis erat.

Reuerendis, Illuſtriſsimis, Generoſiſque Principibus, Electoribus, Comitibus, atque cæteris nobilitate generis viris clariſsimis, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis ad negotium pacificationis Belgicæ Coloniæ cum Regis Principis noſtri Mandatario Duce de Terranóua, & Legatis Ordinum Belgij reſtituendæ deputatis Commiſſarijs, Dominis nóſtris Clementiſsimis, amiciſquelonge addictiſsimis.

Num. LXV.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMIQVE,

D. Electores Principeſque Generoſi, & Nobiles, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, delegati longe digniſsimi.

QVantumuis varię ſubſint cauſæ, & quidem grauiſſimæ, propter quas vix operæpretium fore crediderim ad contenta literarum mandato Ordinũ Belgij Antuerpiæ congregatorum iam pridem decima ſuperioris menſis Septembris ad ampliſsimum veſtrum conſeſſum datarum, ac deinceps mihi communicatarum prolixius aut curioſius reſpondere. Tamen veritus ne qua erroris facti grauior forſan impreſsio vſpiam locorum, præſertim vero apud incautiores ex ijs, quæ adeo temere aſſeruntur, quomodolibet cauſari queat, credidi ad functionis meæ debitum omnino nihil tam pertinere, quam nedum vitioſos ſcopulos eiuſcemodi contentioſæ ſcriptionis detegere, verum etiam ad confortationem illorum, qui reuera pacem in Domino ſitiunt ipſam demum facti veritatem ab omni circumuentionis fuco deterſam breuiter ob oculos ponere,

Principio quod attinet ad ſpecioſas illas excuſationes ſubterfugiorum tranſmiſsionis mandati plenioris, vtpote ad vtrumque effectum tam concluſionis quam tractationis ſuffecturi, vere mirãda res eſt, quod Ordines Belgii adeo ſobrie meminerint, nõ dicam propriæ ſalutis, ſed decoris & reſpectus, quẽ multis nominibus debent Sacræ Cæſareæ Maieſtati tanto interceſſori, atque adeo etiam ampliſſimo huic veſtro conſeſſui, cuius indefeſſam ſolicitudinem coniunctam cũ tanta æquanimitate nemo ſatis laudauerit vnquam: fuere enim ante ſeſquiannum dicti Ordines omnium primi, qui pertæſi ærumnarũ ac ſumptuum Belli, iam ſupplicarunt ſuæ Maieſtati Cæſareæ quatenus ne dedignaretur obſequium fauorabilis interceſsionis laboranti populo Belgico apud ſuam Maieſtatem Catholicam clementer impartiri. Cæſar autem ſupplicibus non ſolum alacriter morem geſsit,

Quini-

quinimo & inſtituto hoc celeberrimo conuentu nihil non eorum prouidenter diſpoſuit, quæ ad negocium congruæ reconciliationis Subditorum cum ſuo Principe ſupremo ac naturali rite tum inchoandum, tum etiam feliciter conſummandum, opportuna fore credidit. Rex autem Catholicus, pro conſueta animi ſui manſuetudine, Cæſareo conſilio acquieſcens, me ſuū Mandatarium non minus ampla quā ſufficienti procuratione legitime inſtructū, huc ad præſentem conuentum deſtinauit. Profeſſus vtique coram vniuerſo orbe terrarum, omnino nihil acceptius ſibi in hoc Chriſtianæ Reipublicæ ambiguo ſtatu obuenire poſſe, quam ſi interuentu amicabilis compoſitionis Cæſareæ, ac mediante ſedula cooperatione veſtrarum Celſ. vel tandem motibus Belgicis reuera ſecurus ac lætiſsimus finis (Deo auſpice) imponeretur. Quo quidem tempore licet ſupradicti Ordines, tanquam qui priores implorarant auxilium eiuſdem Maieſtatis Cæſareæ merito debuerant etiam priores in arenam pacificatoriam deſcendiſſe, nec non legitima ac ſufficientia mandata ſuis mandatarijs concredidiſſe: Tamen ſecus accidit quandoquidem ipſi non niſi iuſto interuallo, poſt meum in hanc Ciuitatem aduentum, ſuos mādatarios deſtinauere, & hos quidem longe ſterilioribus mandatis ſuffultos, quam quæ vllius recte ſentientis iudicio ſufficientia reputari meruerint. Grauius autem illud eſt quod poſt tot menſes iam elapſos, quantumuis humaniter ac frequenter iam præmoniti & antea requiſiti, ne hoc quidem tempore de ampliori mandato tranſmittendo vix vllam ſpem faciant. Ex quibus proculdubio vehemens oritur ſuſpicio, aut deputatos Ordines non tam pacis quā belli protrahendi arcana conſilia clam populo meditari: aut de legatorum ſuorum probitate & candore minus, quam deceat, confidere. Nam ſuſtinere, quod natura rei principalis, ipſaque ratio & conſuetudo repugnent quo minus in hoc tam arduo negotio largiendū fuerit mandatū liberum & abſolutum; denique ipſos præterea legatos eiuſcemodi amplum & illuminatum mandatum caſu, quo ſponte etiam obtruſum extitiſſet, haud dubie repudiaturos fuiſſe, ac inſuper, quod natura rei talis eſt, quæ antecedentē partium diſceptationem requirens, nequaquam ab initio circumſcribi, certiſque cancellis concludi potuerit: nemo profecto tam leuiter verſatus eſt in negocijs Regnorū aut Rerumpub. grauioribus, qui non vltro iudicet, eiuſcemodi allegata, haud aliud præ ſe ferre, quam ſpecioſa quædam verba, & quidē folijs (vt dici ſolet) leuiora caducis. Nam vt breuitatis ergo rationes contrariæ & vetuſtiora exempla omittantur, tantum conſideretur quænam rerum facies, quæue pacis initia, cuiuſue generis mandata, qualiſque tractatio, & poſtremo quā facilis & expedita ſuprema totius negocij concluſio, tēpore pacis Gandauenſis nuper extiterit, comperietur ſane nec prouincias particulares tunc temporis cū tanto apparatu, vt nunc fit, conſultas fuiſſe, imo vix vnicum menſem

vniuerſo negocio impartitum extitiſſe. Quid mirum? cum eo tempore Ordinum Deputati, ipſorumque Deputatorum primaria capita non minus quam ipſemet ſimplex popellus pacem ex intimis animi præcordijs appetebant. Quæ quidem mẽs, ac voluntas ſi modo penes Ordinum deputatos in hæc vſque tempora perſeueraſſent, iam vtique exoptata reconciliatione potiremur, nec circa anguſtiam mãdati procurationis adhuc dum laboraremus, potiſsimum legatis Ordinum maiore vt numero, ita propter excelſiorem nobilitatem Ducis Arſchotenſis, etiam maiori ſplendore ac dignitate, quæ olim Gandaui fuerint, indubitanter nunc præditis; et quod præcipuum eſt, etiam cauſam ſibi commiſſam proſecuturis coram ampliſsimo iſto veſtro conſeſſu. Cuius ſane æquabilis rectitudo, & ſumma integritas comitata perinſigni rerum agendarum prudentia ac dexteritate, longe notior eſt, ac maior quam vt fas fuerit vllatenus ſuſpicari coram eiuſcemodi Cæſareis Delegatis populo Belgico vllum fucum fieri, aut præiudicium generari potuiſſe.

Eiuſdem quoque ponderis ſeu conſiderationis eſſe videtur mordax illa querimonia, quę ſupradictis literis diſtringitur in Excel. principem Parmenſem, Gubernatorem & Capitaneũ generalem, quem Deputati Ordinum Antvverpiæ congregatorũ eo potiſsimum nomine criminantur, tanquam is ſit, qui in contemptum (vt aiunt) Cæſareæ Maieſtatis ac huius denique celeberrimi conuentus Author fuerit, nedum diſtractionis Prouinciarum, quinimo & grauiſsimorum diſsidiorum inter ſubditos excitatorum: Opinor ſane de Artheſia, Hannonia, Inſulenſibus, Duacenſibus, Valenchenſibus, imo & Mechlinia, ac cæteris cordatioribus dicere ipſos voluiſſe. En quid non audet animus maleaffectus? Quid enim opus erat hanc Camerinam mouere? poterat, me Hercle, taceri hoc, præſertim cum ipſimet Deputati non ignorent, vndenam vera cauſa & origo diſtractionis earundem Prouinciarum nuper manarint. Imo ne eius quidem rei obliros arbitror, cuius ipſemet Princeps Auraicus, vna cum ſuis ſectatoribus tum grauiter, tum vere ab Artheſienſibus & ſocijs, partim publicis, partim priuatis ſcriptis inſimulentur, de violatione pacis Gandauenſis, Edictique perpetui ac vnionis ſubſecutæ, atque iſthinc cauſam diſtractionis Prouinciarum reuera manaſſe, nequaquam vero à Principe Parmenſi, quem notorie conſtat, hocce in negotio haud aliud vnquam molitum fuiſſe, quam quod Prouincijs varietatem exceſſuum, qui paſsim contra Deum ac ipſum quoque bonum publicum, non ſine manifeſta colluſione capitum dictorum Deputatorũ paſsim in prouincijs committebantur, diutius ferre & tollerare præ animi honeſti magnitudine nequeuntibus, nec non eam potiſsimũ ob cauſam ad ſerenitatem reconciliationis cum ſua Maieſtate Catholica quaſi ſuopte motu aſpirãtibus, vltro occurrendum iudicarit, atque eatenus ad nutantium ſolamen & confortationem manum auxilia.

xiliarem porrexerit. Quis enim Regi fidus miniſter præſertim vero Deum timens, ſuamque religionem in antiqua & auita puritate colens, oblata eiuſcemodi occaſione, tam pingui & oportuna non idem præſtiturus fuerat? potiſsimum certioratus de ſtudioſa fabricatione nouæ vnionis Traiectenſis, quā certo conſtabat nonnullos belli, quā pacis appetentiores haud alio fine, ſcopoque & intētione tunc tēporis procurare, quam vt ne futuræ reconciliationi (de qua in præſentiarum nobis cura) etiam ſua obſtacula & ſcrupuli deforent.

Ex ordine ſequuntur illa, quæ iuxta diſpoſitionem Articuli noni, circa mutuam hinc inde reſtitutionem officiorum & functionum publicarum parum diſcrete taxantur, nec id ſolum, quinimo & prauis ſuſpicionibus animi ſubditorum præoccupantur, vt nec ordinum Deputati reuereantur hoc loco inculcare de vinculis, proſcriptionibus, cædibus, exilijſque caſu, quo contingat miniſtros publicos qui partes Regis conſtanter ſecuti fuere, rurſum & quaſi poſtliminio ad vetera exercitia ſuarum functionum redire. Cæterum conſiderato opus quam manifeſta iniquitate & iniuſtitia hæc tam inciuilis prætenſio laborat. Prouiſio nanque officiorum ab omni æuo ſpectauit excluſiue ad S. Maieſtatem tanquam ſupremum principem ac verum patrem Patriæ. Eadem ſua Maieſtas olim ante præſentes motus prouidit ijs, quos iudicauit ad munera publica capeſſenda prę ceteris magis idoneos, quorum maior pars durante hac fluctuatione adhæſit Ordinibus & populo, minor autē imo & pauciſsimi adhæſere ſuæ Maieſtati: accedit præterea quod Ordines nulla licet authoritate ſuffulti, tamen de facto proceſſerunt ad priuationem illorum, qui Regias partes tutati ſunt, Rex autem quo di iure potuit conſimilis deſtitutionis nota, etiam perſtrinxit omnes illos, qui ſuas partes ſequi recuſarūt, vſque adeo, quod hinc inde fulmina priuationum in publicum manarint. Quorum tollendorum ac purgandorum gratia, quid obſecro potuit, ad veram animorum conglutinationem iterato ſtabilienda iuſtius & æquabilius excogitari, quam hinc inde priuatos & deſtitutos rurſus mutuæ redintegrationis conſolatione liberaliter recreare? prout iuſtiſsime non minus quam prudentiſsime diſponitur Articulo ſupradicto nono. Et proinde velle nunc arcere a priſtinis ſuis functionibus ſolos regi fidos miniſtros, quid hoc aliud foret, quam prorſus eneruato omni vigore & ſucco Articuli primi diſponentis de vniuerſali obliuione omnium eorum, quæ hactenus proceſſere veteres ſuſpiciones, odia, ſimultates & diffidentias ter maximo pręiudicio ſalutis & tranquillitatis publicæ denuo inſtaurare? Foret enim miniſtris Regijs tum graue tum probroſum nimis ad eum modum à ſuo Rege ac Principe deſeri, vt ne hoc ſilentio prætercam exemplum turpiſsimum fore, & omnino nihil tam pugnare cum officio, imo & compendio ſuę Maieſtatis quam ad eiuſcemodi contumeliam ſuis inferendam quoquomodo conniuere. Nam id ſi faceret, quis obſecro

nega-

negarit, quin vltra alia grauiſsima diſpendia inpoſterum reſultatura, etiam omnium iudicio cenſendus foret aperte confiteri, Armorum & cauſæ iniuſtitiam haud dudiè à parte ſua hactenus ſtetiſſe? Quaobrem ſi deputati Ordinum proprij honoris conſeruandi gratia, nolint videri in armis contra fas & æquum fuiſſe, ratio ſane dictat, tantundem vt permittant Regi ſuo Principi naturali, à quo & eius maiores ſubinde tam ingentia beneficia accepere. Eſt profecto modus in rebus, nec ſemper prodeſt, Principis exiſtimationem affricaſſe nimis quam cordati ſubditi iure aſtringuntur non minus quam propriam mordicùs tueri, & quam latiſsime tum Domi tum foris propagare. Eſt enim honos & reputatio ipſius Principis haud leue decoramentum populi, ſicut etiam lege diuina vetitum Principi populorum tãquam ſubditorum cenſuræ exempto maledicere, aut illius famam vllius defectu aſpergine quomodolibet apud poſteros maculare. Quod indubitanter ſecuturum foret, caſu quo Rex ſuos miniſtros ad eum modum floccipendens, culpam Belli nedum præſentis, quinimo & præteriti ſaltem per obliquum pateretur nomini ſuo aſſcribi, tanquã miniſtris ſuis, parum abeſt quin noxæ deditis, cæteris autem contrarijs, & ijs quidem ſolis veluti ob rem præclarè geſtam, gloria & honore coronatis.

Quibus proxima ſunt decreta Articulorum 16. & 17. ſtatuentium de Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, fortalitijs, Armis & munitionibus Gubernatori generali ex arbitrio ſuæ Maieſtatis deſignando tradendis. Quorum decretorum licet tam exuberans ſit æquitas, quod vel cælitus deprompta videri queant; tamen nec reprehenſionis acrimoniam euitare potuere, quæ ijs potiſsimum nixa videtur rationibus. Quod olim in conuentu Bredenſi ſoli Holládi eiuſcemodi quid recuſarint. Quod etiam Principi Auraico prærogatiua gubernationis hac via adimatur. Quod non niſi ſobria futura ſecuritas Prouinciarum in vniuerſum tanquam ex ſola, vt aiunt, fragilitate Regij iuriſiurandi ſuum munimen & aſſecurationem conſecutura. Poſterius quod in regnorum ac Principatuum cauſis permodica ratio iuriſiurandi haberi ſoleat, ipſoſque denique Pontifices circa abſolutiones à Iuramento plerunque indulgentiores ſe exhibere, quam vt magnopere illos fatigare ſit neceſſe. En quibus coloribus, vt ne dicam præſtigijs, infelix Populus à guſtu ſeu approbatione Articulorum propoſitorum alienatur? Quaſi vero difficile ſit iudicio penetrare quorſum hæc maleſuada conſilia ſcriptaque indecora tendant? Verum omittantur iſta, tantumque ſerio expendatur, quam prorſus congruat iuri & rationi, quod S. Maieſtas Catholica paratiſsimus, in ſignũ veræ ac perpetuæ reconciliationis Ordinibus ac Populo reddere vniuerſa, quæ hactenus vllo iuſto prætextu ſibi competierunt, etiam viceuerſa nunc beneficio præſentis reconciliationis pari paſſu recuperet ſua, alioqui quid profuerit Sacræ Maieſt. nihil non Ordinibus & populo

pulo clementer indulſiſſe, deque ſuo iure plurima ceſsiſſe, & poſtremo etiam mero pacis ſtudio arma in vniuerſum depoſuiſſe, ſi nihilominus iјs rebus ac præeminentiјs ſpoliatus, manere cogatur, quarum contemplatione arma potiſsimum ſuſceperit. Sed quid opus eſt huic negotio prolixius immorari? quandoquidem res ipſa tantoperè ſit iuſta, debitaque, ac prorſus ordinaria, quòd etiamſi in pactis Articulorum ſilentio tecta aut prætерita manſiſſet, tamen realiter præſtanda, imo & ſuæ Maieſtati, tanquam naturali ac iurato Principi patriæ, in teſtimonium redintegrati amoris, atque adeo & obedientiæ debitæ ab Ordinibus, & populo ſponte offerenda fuerat. Prout etiam illa, quæ à Deputatis Ordinum literis inſeruntur circa defectum ſecuritatis Prouinciarum, longè vaniora ſunt, quàm vt vlla confutatione egeant. Eo maximè, quod ipſemet tenor eiuſdem Articuli decimiſeptimi tanquam prouidus interpres ſuimet ipſius luculenter teſtetur, quanta dexteritate ab ampliſsimo veſtro conſeſſu proſpectum ſit, ne quis fucus aut dolus ab eiuſcemodi obſequio redintegrandarum Ciuitatum & Fortalitiorum Ordinibus vel Subditis vllo vnquam tempore pertimeſcendus veniat. Non enim ſimpliciter diſponitur, quaſi res illa, quæ forſan ſuſpitionibus nonnihil obnoxia videri poterat, ſolius Gubernatoris Generalis arbitrio abſolutè concredita cenſeatur, ſed quod teneatur ex conſilio grauiſsimorum Senatorum ſupremi conſilij rerum Status, ea ipſa loca, quæ ab omni memoria præſidium habuere, rurſum cuſtodienda concredere naturalibus patriæ, & quidem aſtringendis peculiari iureiurando de conceptis hiſce Articulis firmiter obſeruandis. Quocirca ſi illi, quibus hæc ipſa Fortalitia comitterentur, naturales erunt Subditi; ſi denique eiuſcemodi tales per Gubernatorem Generalem cooptandi erunt, de gremio ſubditorum iuxta conſilium Senatorum conſilij Status, qui & ipſimet quoque Senatores naturales erunt, quis tandem poterit reperiri adeo ſuſpicax doli; cui ſaluo pudore liceat profiteri? At eſto, quòd ne hæc quidem perabundans cautela ad pleniſsimam ſecuritatem ſufficere iudicetur, tamen propterea nec tum oppugnandus erat præſens iſte Articulus. Quandoquidem ſi ad plenitudinem ſecuritatis, vltra ea, quæ in dicto Articulo tum præuiſa, tum prouiſa reperiũtur, quicquam adhuc pro cumulo deſiderabatur; cui dubium, quin id ipſum qualecunque tandem fuerit largiſsimè ſuppleri potuerit ex diſpoſitione Articulorum poſtremâ? Quo loco viſum fuit Ampliſsimo veſtro conſeſſui, non ſine iuſtis de cauſis ea, quæ ſpectant ad certitudinem ſtabilis ac firmæ obſeruantiæ huius pacificationis, vſq; in finem conſummati negotij principalis reſeruare.

Leuioris præterea momenti ſunt illa, quæ prolixa verborum ſerie, inter cætera literis ſubnectuntur de actionibus inclytæ me-

moriæ quondam Ioannis Auſtriaci. Nam ille quiſnam, qualis, & quantus dum vixit reuera ſemper fuerit, quæque ſua intima conſilia, ſtudiaque olim extiterint, haud opus eſt mortalium dubijs teſtimonijs pugnando conuincere. Poſtquam miſericors, omnipotens & infallibilis Deus, tot & tantarum illuſtrium victoriarum oportuna largitione, ſatis ſuperque orbi terrarum, quaſi digito oſtenderit, quam opinionem de zelo, de pietate, deque illæſo animi candore eiuſdem inuictiſsimi Auſtriaci, ac poſtremo etiam de iuſtitiæ ſuæ cauſa nos mortales (qui ſpecie recti adeo frequenter fallimur) concipere voluerit. Tantum illud ſubiecero: Quòd ſi Ordines Belgij reuerà, quæ publicam concernunt ſalutem, ſaperent, ſimul & & nouiſsima præuiderent, nequaquam ſe continere poſſent, quin immaturum obitum tam Excelſi & magnanimi viri perpetuo luctu proſequerentur. Illud autem ſilentio præteriri nequit, quod pene eodem contextu ſuggeritur, de Edicto perpetuo ab Hollandis Zelandiſque olim apertè repudiato, quaſi verò ex ea re non potius Hollandorum perinſignis contumacia, quàm iuſtitia defectionis à ſuis confœderatis plus quàm euidenter detegatur. Ratio autem in promptu eſt, quod vniuerſo Belgio notorium ſit, Edictum, de quo agitur, non clam, ſed palam, non in priuatis, ſed particularium Prouinciarum Comitijs, ſed in publicis, & in ijs quidem generalibus vniuerſorum Ordinum Belgij, nimirum in ipſa Ciuitate Bruxellenſi, (vbi etiam Hollandi, Zelandique ſuos peculiares Nuncios & Legatos in numero competenti ſua libera ſuffragia depromentes tunc temporis ibidem præſentes habuere) tandem poſt varias communicationes vltro citroq; cum ipſomet, tunc ſuperſtite Seren. Ioanne Auſtriaco habitos conceptum, contextum, ac deinceps ſolemniter euulgatũ fuiſſe. Vnde liquidò conſtat non minus ipſos Hollandos, ſociosque quàm cæteros Ordines ad eiuſdem Edicti ex pluralitate ſuffragiorum ritè ac legitimè ſtabiliti, inuiolabilem obſeruantiam, quouis iure aſtrictos fuiſſe. Eſt enim iure non minus cautum, quàm ex naturali ratione euidentiſsimum, haud eſſe in poteſtate paucorum, qui ſint de Collegio, dum lubet ſe eximere à vinculo ſeu nexu publici decreti, quod maiori & ſaniori parti Comitiorum placuit: præſertim verò, cùm inficias ire nequeunt, ſe nedum cùm alijs deliberationi interfuiſſe, verumetiã ad perorationem vſque patienter auditos fuiſſe. Quod multis quoque ſe vertant ſupradicti Deputati Antvverpienſes, fateantur neceſſe eſt parum ſyncerè, minúsve conſulto ſe facere, qui ſuggeſtione eiuſcemodi leuiſsimorum argumentorũ ſtudeant apud imperitum vulgus hoſce Articulos optima fide ad Belgij ſalutem propoſitos, tanquam captioſos aut minimè tutos diffamare: ſiquidem longè facilius ſit, populum anxijs opinionibus ſemel imbuere, quàm imbutum poſtea dedocere.

Eodem ſpectãt, quæ de Barone Sellio, olim Regio Commiſſario, deque

deq́ue ſua inſtructione, ac literis Regijs ſimul & ipſa iuſtificatione Ordinum ob pacem Gandauenſem minus rotũdè ſeruatam, ac denique ob religionem Catholicam nimis temerariè varijs in locis, etiam extra limites Hollandiæ, Zelandięque violatam & conculcatam longè prolixius, quàm ſolidius demõſtratur. Nam ipſa veritate verius eſt, quod S. Maieſt. nec non & Auſtriacus Gubernator generalis, nihil vnquam ardentioribus votis optarunt, quã pacem Gandauenſem, Vnionemq́; ſubſecutam, vnà cum Edicto perpetuo adeo ſolemniter firmato, in omnibus ſuis articulis, nullo prorſus excepto, ad amuſsim omni tempore, & quauis occaſione inuiolabiliter ſeruare. Nec dubiũ, quin effectus omni ex parte ſubſecuturus fuerat, niſi Princeps Auraicus vnà cum ſuis Articulis nondum ſatiati turbis annorum præcedentiũ, ilico poſt gubernaculis Auſtraicum inauguratum, cœpiſſet animum conuertere, non ſolum ad calumnioſiſsimas quaſque, & reuera contortas Articulorum dictæ pacis interpretationes, verumetiã ad perpetua inſidiarũ conamina tam contra perſonã Gubernatoris Auſtriaci, quàm cæteros miniſtros Regis, à ſe, ſuisq́ue ſtudijs (vti ſuſpicabatur) alieniores quàm ferre poterat. Qua de cauſa optimus Rex planè inuitus, & prorſus contra quã animo ſecũ cõſtituerat, cogebatur arma iteratò reſumere, gladioque vltore iniuriam ſibi, ac fratri Auſtriaco, recenter à malè reconciliatis Subditis illatam (quoad eius in ſe fuit) propulſare, vnde etiã occaſio nata, quod dicto Barone Sellio in Belgium ab ſe deſtinato, Ordinum Deputatis notificari curauit, non tam ipſam pacem Gandenſem ſibi diſplicere, quàm iuſtiſsimis de cauſis ſe diffidere, quod Princeps Auraicus, vnà cum ſuis eadem pace, ſecundum verũ & genuinum intellectũ vnquam rectè vſuri forent. Quod ignorare nequibat, quàm parũ ſyncerè tractati fuerant Harlemenſes, Amſterdamenſes, ac plæræq; aliæ Ciuitates, iugũ gubernationis Auraicæ recenter tunc ſubire coactę, vt ne taceã, de pleriſque dogmatibus emiſſarijs ad ſeducendũ populũ in religione; & conſequẽter quiduis audeudũ contra ſalutem publicã ter maximo numero contra iurata pacta Gandenſis pacis in viſcera Catholicarũ Prouinciarum ſparſim ſubmiſsis. Verum eſto, quod Rex ob cauſas ſupradictas, ſeu alias quaſpiam grauiores, præſertim verò ob minus candidè adimpleta promiſſa, tam religionis, quàm authoritatis ſibi debita, à pace Gandenſe, ſe tunc forſan alieniorẽ oſtendiſſet. Tamen quid reſpõſuri ſunt Deputati ad obligatoria pacta, quibus obſtricti fuere ſuis comprouincialibus, atq; adeo etiã Deo Omnipotẽti, quem ſolẽniter iurãtes pacta Vnionis generalis, ſibi tum teſtem, tum vltorẽ conſtituere, caſu quo paterentur, extra Hollandiam circa Religionis Catholicæ obſeruantiam vllam infractionẽ obrepere? Qua in re an fidem ſocijs promiſſam opere compleuerint, ipſi viderint, imo ſi lubet, in teſtes appellentur Artheſienſes, Hannonienſes, Duacenſes, Inſulenſes, Valenchenſes, Mechlinienſes, Buſcoducenſes, & plærique alij, quos gratia

Dei illuſtratos, nulla profectò ætas, pro merito virilis conſtantiæ erga noſtram auidam Religionem vllo vnquam tempore laudauerit ſatis. Sunt enim illi, qui decreta Pacis Gandauenſis, Edictiq; perpetui, & Vnionis ſubſecutę ad amuſsim ſeruantes, ſummo iure nunc cõqueruntur à cæteris Ordinibus contra omnẽ rationem ſe deſertos fuiſſe. Et ob id nec magno odio digni, multo aũt minus deteſtabiles (vt verba ſunt literarũ) iudicandi videntur illi, qui de Ordinũ inconſtantia, vt ne addam de periurio, ſubinde ſuas querelas coram populo deponunt. Prout etiam minimè decet, culpam adeo notoriè propriomet vitio contractam in Regem, ſuosque Duces & Conſiliarios, vel alios quoslibet reijcere, ſed potius ſuccedanea emendatione, quod peccatum eſt, humiliter & obſequioſe corrigere. Sed quid agas? nouos inuexit mores: vtinam ne peiores. Nemo videri vult labem contraxiſſe, vnde mirum ſuperos in populorum flagellis adeo rigoroſe & inclementer adhucdum perſeuerare.

Supereſt autẽ paucis confutare rationes, quibus iuſtificatio cauſarum alteratæ veteris religionis potiſsimũ fortificari videtur. Principio namque aſſeritur nouam cauſam ſuperueniſſe. Illud autem quotieſcunque accidit, toties obligatum à vinculo, cui aſtrictus reperiatur, iure ſolutũ cenſeri. Pulchra (me hercle) futura excuſatio, ſi modo ne pariter iuris foret notorij, omnino fruſtra pro excuſatione exceſſus allegari, ſuperuenientiam cauſæ nouæ, quam quis ipſemet ſuo vitio ſeu dolo cauſare nequaquã erubuerit. Nam qui dolo, ſeu lata culpa deſijt poſsiderę, aut ea poſsidet, ad quæ ex pacto tenebatur, haud dubiè condemnãdus venit, perinde ac ſi poſsideret & poſſet. Etenim quæ latior culpa cõmitti potuit, quã quod Deputati Ordinũ poſt excluſum Gubernatorẽ Auſtriacũ tunc rerũ abſolutè potiũtes, ſummã regiminis vltro concredidere Principi Auraico & ſuis. Quorũ mores & impetuoſa ſtudia nauãdæ religionis nequaquã ignorare potuerũt. Accedit præterea quàm manifeſtè colluſerint tam circa temerariã deſtitutionem penè omnium Magiſtratuum Catholicorum, quàm etiã ſubdolam inuectionem Pacis (vt aiunt) religionis. Qua quidem feneſtra ſemel aperta, quid enim tunc Ordines minus commiſiſſe iudicandi ſunt, quàm ſi ex propoſito in omnem apoſtaticam licentiã habenis laxatis, ipſam demũ religionem Catholicam quarũlibet Sectariorum cupidini totaliter proſtituere animus fuiſſet? Reliqua verò, quæ ampliandæ iuſtificationis ergo accumulantur de neceſsitate publica, deque ciuilium diſſenſionum euitatione, aut declinatione periculorum hoſtilis exercitus, illa vt nec ſuccum præ ſe ferunt, ita nec reſponſum merentur. Nam quæ potuit tanta fuiſſe neceſsitas publica, quin ſi Ordines aut Magiſtratum gerere, aut vigilantis Gubernatoris Generalis officio fungi didiciſſent, potuiſſent vtique, ſi modò ſerio conari lubuiſſet, Populum in officio, imo & ipſum quoque Principem Auraicum intra cancellos ſui iuramenti continuiſſe?

Neque enim ipſe tantus erat Auraicus, quin fræno tempeſtiue adhibito, tum Regi, tum etiam ab auſu temerario coerceri potuerit, neque etiam tam beneficè de Ordinibus vnquam ipſe meritus, quod beneficiorum reſpectu inſoleſcens ſibi vllam proteruiam vel contumaciam excuſabilem fore auſus fuiſſet ſperare, ſiquidem probe adhuc memor in quantas olim anguſtias poſt ereptam Zelandis Inſulam & Ciuitatem Xiriſſenſem coniectus fuerat. Et quantopere hoc ipſum quod interea tum ad vitam tum fortunas ſibi accreuerit Ordinibus Statuum velit nolit acceptum ferre cogitur.

Omnium fere prædictorum fragiliſsima ſunt, quæ circa extenuationem literarũ, ab Ordinibus iam antea tum ad Cæſarem tum Regem ſuper Articulo Religionis datarum, nõ ſine manifeſta perplexitate ſcribentibus quodãmodo ex occaſione, & non niſi obiter inſeruntur. Fuerit.n. literarum dictator quicunque velit, haud dubie cõſultius feciſſet, ſi ne quidem illas attigiſſet. Nam vt pluſimę alię omittantur, tamen omnium ad inſtar eſſe poterit ſola illa Epiſtola, quæ auſpicio vniuerſitatis Ordinum Belgij, & quidem de expreſſa eorundem mandato per Cornelium VVellemans ex Oppido Bruxellenſi octaua die menſis Ianuarij, Anno Nat. Domini 1579. etiam poſt inchoatos poſteriores motus, nec non aduentum Archiducis Matthiæ ad Cæſarem ſcripta reperiuntur. Cuius quidem epiſtolæ clauſulam huc reſpiciẽtem ad pleniorem veritatis facti elucidationem hoc loco de verbo ad verbum inſerere libuit. Et in primis Maieſtatem ſuam precamur, vt nos aduerſus fictas inimicorum noſtrorum calumnias apud Regẽ Catholicum Principem noſtrũ clementiſsimum fauore ſuo iuuare, & quo cœpit amore proſequi dignetur. S. Maieſt. tuę affirmantes & pollicentes nos nunquã fuiſſe nec eſſe, nec fore alterius ſententiæ, quã vt hic catholica ſanctæ Romanæ Eccleſiæ religio colatur, & ſuæ Ma. Regiæ ſemper cõſtet authoritas, quod ſuperioribus noſtris literis Ma. tuæ candide ſumus profeſsi & imprimis cupimus eſſe perſuaſum. En ipſamet verba literarũ, quorũ tanta eſt claritudo & perſpicuitas, quod citra præſumptionis temerariæ grauiſsimam notam, haud poſsint vllatenus in dubium reuocari. Cæterum quam probe & quam plene deputati Ordinum ſpecioſis ſuis pollicitationibus, Cæſari, tanto Principi ſpõte obtruſis ſatisfecerint, miſerabilis & confuſa rerum facies, quæ nunc in Belgio apparet, eheu nimis luculenter teſtatur. Illud autem omnem diſcretionis metam tranſcendit, quod cum ſciant eiuſcemodi literis ſe quodammodo lethaliter iugulari, tamen conuicti turpitudinis errorem agnoſcere, ſeu (vt dici ſolet) manus dare recuſant.

Poſtremo autẽ, quæ ſequuntur de blandimentis (vt aiunt) oſtentatæ pacis Gandenſis, deque liberatione Comitis Burani, ac inſuper de priuata tractatione inſtituenda cum Principe Auraico ſimul & eneruatione Decretorum Archiducis Matthiæ, ac tandem etiam de

omiſſa capitulatione ſecuritatis pro Regina Angliæ, Archiduce Matthia, Duce Alenzonio, alijſque confoederatis, haud ſane alio ſpectare videntur, quam in vniuerſum bonis iuxta, ac male affectis Prouinciarum ſubditis hos ipſos Articulos tanta maturitate digeſtos reddere, nedum inuiſos, quinimo & deteſtabiles. Vt enim nihil eſt facilius quã crudis interpretationibus dulciſsima quæque exacerbare, nec non & rebus clariſsimis caliginoſas nebulas offundere, ita ſane miranda res eſt, cuiuſnam impulſu, aut quorum intemperantia conſiliorum hæc tam cauilloſa in vulgus ſpargantur. Nam ſi ad ſuſpecta blandimenta pacis Gandauenſis reſpondẽdum fuerit, quis vnquã ſe oſtendat tam alienum à fiducia de proximo, qui arbitretur hoc loco iuſtam rationem ſubeſſe diffidendi de Rege? qui educto milite peregrino, armiſque depoſitis haud poſſet ex longinquo (etſi maxime velit) Ordinibus negotium ex abrupto faceſſere. Diſpar autem ratio eſt in Prouincialibus, qui ſoli gubernaculis Prouinciarum præficiundi, quandocunque volent, arma ad tutelam ſui ſemper ad manum ſunt habituri, nec ſupplantari poterunt. Longe autem minoris conſiderationis eſt ipſa particularis tractatio cum Auraico: ex qua procul dubio reſultatura fuerat relaxatio Comitis Burani ſui filij, caſu quo Princeps circa filij ſalutem ſtudioſior tractationem non reieciſſet. Quis enim conferat beneficium in inuitum? aut quæ ratio eſt, quod propter peculiarem cauſam Principis Auraici, hominis notorie peregrini, publica cauſa prouinciarũm ſuſpenſa hæreat? prout etiam ridicula ſunt, quæ de eneruatione Decretorum Archiducis Matthiæ adducũtur. Cum certum ſit, per Articulos ſibi parem authoritatem indulgeri, quàm legitimorum Gubernatorum generalium quiſquam ante ipſum habuerit. Quæ res ſi nondum ſufficiat, neceſſe eſt, quod Ordines fateantur ſe dictũ Archiducẽ olim, non tam pro Gubernatore generali, quam cum excluſione Regis pro Principe & Hero ſuſcepiſſe. Quod ſane piaculum foret cogitare, abſit ita factum fuiſſe, ab Ordinibus vt prætendatur. Quod vero attinet ad omiſſam capitulationem pro Regina Angliæ, & Socijs, quodque educti militum Hiſpanorum præfigendi termini certitudine careat, haud ſane fieri nequit, quin is, qui Ordinum literas dictarit, aut parum diligenter tenorem Articulorum excuſſerit, aut plane ſecum conſtituerit cauillando (vti dici ſolet) nodum quærere in ſcirpo. Nam & de Regina Angliæ, ac Duce Andegauenſi expreſſe diſponitur, quod ſub tractatu erunt cõprehenſi, quodque de capitulatione ſecuritatis tractabitur ſuo Ordine, & loco, & alioqui de termini præfixione decernitur, quod communi partium conſenſu ſtatuendus erit. Quæ quidem ſupradicta reſponſio merito ſuffectura videtur, ita vt ne quidem operæpretium exiſtimetur, ad controuerſum Articulum religionis quicquam peculiariter reſpondere. Quandoquidem à me ſperetur, quod Celſ. Veſtræ non ignorent eiuſcemodi Articulũ nõ tam à Rege, quã à ſolo Deo,

qui

qui incommutabilis eſt, omnino dependere, vt qui etiam adhuc probe meminerit illorum, quæ ſuperioribus menſibus circa contenta eiuſdem Articuli ex opinione ac deſiderio S. Maieſtatis Catholicæ à me ſatis ſuperque late expoſita fuere,

Num. LXVI.

Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimique Principes Electores, cæterique Nobilitate generis clari viri, Cæſareæ Maieſtatis Legati, Coloniæ de pace Belgicis Prouincijs poſt earum deuaſtationem, & inauditas calamitates acceptas reſtituenda cum Regijs Legatis tractantes. Gratias agimus Cels. & Do. veſtris immenſas, quod proprijs ditionibus propter publicum bonum, & ſalutem vniuerſorum neglectis, nullos labores detrectetis, nec vllis ſumptibus parcatis, quò res feliciter cœpta ad optatum tandem finem perducatur. In quo diuina æterni Patris ſuffragante gratia perficiendo vt porro benigniſsima erga afflictos Belgas animorum propenſitate perſeueretis, ſuppliciter & enixe rogamus,

Quod autem literis veſtris Coloniæ quinta die & rurſus viceſima nona Menſis Auguſti ad nos datis tam ſerò reſpondemus, cauſa alia non eſt, quàm quod ſtatuere prius nec potuimus, nec debuimus, quid ante conuentum Ordinum totius Geldriæ Ducatus, & Comitatus Zutphaniæ nunc hic celebratum reſpondendum eſſet, ſaluo fœdere cum alijs Prouincijs, & præcipue cum vicinis Traiectenſibus & Hollandis inito. Quę cauſa nemini non maximi eſſe momēti haud dubie videbitur. Quemadmodum enim ante omnia ex more & conſuetudine Maiorum cauendum eſt, vt Ordines huius Prouinciæ vnanimi conſenſu de conditionibus pacis oblatæ deliberent, ne quiſquam eorum priuato, &, & pręcipiti pacis deſiderio à communi conſilio vniuerſitatis diſcedere tentet, ita ſimul prouidere debemus, vt iuxta pacta conuenta in fœdere etiam cum confœderatis noſtra ſententia omnimodo conſentiat, nec alia expetatur pax, quā quæ cōmuni Prouinciarum ſuffragio in vnum, eundemque finem cum ſtabili & perpetua Patriæ ſalute dirigatur. Quanquam enim nō pauci ſunt, quorum animos præſens calamitas adeo excæcauit, vt qualemcūque, modo rebus ſuis libere frui permittantur, non ſolliciti quid hoſtis porro machinetur, pacem omnibus modis exoptent, & petant: attamen qui ex nundinatione Albani, & Auſtriaci didicerūt, quam fides & Iuramentum noſtris pręſtita venalia ſint Hiſpanis, certiſsmum Patriæ exitium denunciant, ſi cæco iniquiſsimæ pacis deſiderio vinculum fœderis diſſolui patiamur.

Ideoque vt diſſoluatur nihil non tentant Hiſpani, vtpote cum

vnicam victoriæ ſpem in dilaceratione pridem benè vnitæ Belgicæ ponant, neque in alium ſcôpum illos collimare hodie videamus. Hinc & ille ſubiectus pacificationis Articulus, ſpecioſus manu ſcriptus appendix (vt ad noſtras, & multorum aliorum manus eiuſmodi exemplar peruenit) in illorum animos, qui cæteris plus ſapere velle videntur, ſe inſinuans ad perfidam defectionem, quaſi oſtenſa ſcientiæ boni & mali arbore eos inuitat hiſce verbis. *Hos Articulos pacis ſi quæ Prouinciæ, ſeu Ciuitates, nec non particulares cuiuſcunque Ordinis homines acceptare velint, ab omni exercitus Regij iniuria immunes erunt, neque Ciuitates vllo militari præſidio grauabuntur, neque vlterius vrgebuntur, quàm vt Regi conditionibus ſupradictis fideles & addicti permaneant.* Et ad maiorem perfidiæ occaſionem dandam, ſubijcitur: *Et quicunque ſibi inde amplius caueri cupient, Ducem de Terra noua, pacificationis cauſa huc miſſum, adire poterunt, qui cuiuſuis ita affecti deſiderio abundè ſatisfacturus eſt.*

Ex quibus verborum illecebris quàm hæc ab Hiſpanis oblata pax inſidiarum plena ſit, quamque detecta fronte Ciuile bellum inter malè adhuc in cauſa Religionis reconciliatos mouere tentet, nemini iam dubium eſt.

Quod euidentius patebit examinanti ipſas huius oblatæ Pacis conditiones, quæ non ſolum pacificationi Gandauenſi, & Edicto perpetuo, ab ipſo Rege ſolenniter approbatis & confirmatis, verumetiã iuri, & naturali æquitati contrariæ ſunt, vt viuis rationibus, vbi opus erit, demonſtrari poterit.

Imprimis verò ab omni naturali iudicio, & humanis rationibus alienum eſt, tam duram & intollerabilem legem innumeroſæ Eccleſiæ Religionis reformatæ præſcribere, vt relicta Patria, liberis, parentibus, cognatis, & paternis bonis, à Procuratore ſcilicet adminiſtrandis, in voluntarium eat exilium, diſsipanda per totam Europam, vbi fortaſsis nullum ſit tam amplum Regnum, quod hanc exulantium multitudinem hoſpitio velit excipere, aut ſi velit, capere poſſe videatur. Hæc diligenter expendenda, & examinanda nobis fuerant: imprimis verò cauendum, ne quæ dantur pacis leges omnia, quæ ad ſynceram Pacificationem ſtabiliendam hactenus impenſa ſunt, irrita faciant, noſque ſimul eluſos huiuſmodi pactorum tenore cum ſumma noſtra ignominia fruſtra tandem conquerantur.

Quanquam enim diuturno bello nos, vicinarumque Prouinciarum ſubditi ita attenuati ſumus, vt pacem tandem petere debeamus, tamen mori ſatius eſt, quàm tales pacis conditiones recipere, quæ Belgas in eas reducant anguſtias, vt qui bello vinci non potuerunt, eorum alij vxores, liberos, & omnia ſcientes, volentes Hiſpanis mox, vbi volent, redituris, aut ſaltem eorum Coniuratis ſubijciant, alii vero in exilium ſponte, Patria relicta, diſcedant.

Quin potius mandati formam, quam Ordines Prouinciarum ſuis Legatis de Pace tractaturis communi conſenſu dederunt, etiam

cum vitæ periculo obſeruare decretum eſt, præſertim cùm nihil omnino in ea, quod ad æquas pacis conditiones, eamque in perpetuum ad honorem Dei, & debitam Regi à Subditis obedientiam ſtabiliendam facere vllo modo videatur, deſiderari poſsit.

Eiuſmodi conceſſa pace redintegrabitur priſtinus Belgicarũ Prouinciarum ſtatus cum æterna laude Imperatorij nominis, & Electoriæ dignitatis, ſimulque cum ſalute totius Imperij Romani, nimis vicino hoc bello Hiſpanorum tyrannidem iam multis annis perpeſsi.

Quapropter ſupplices rogamus, & obteſtamur Celſ. & Dom. veſtras, vt noſtrarum calamitatum miſertę dignentur Hiſpanorum tergiuerſationes, & moram tandẽ abrumpere, reſtituta nobis pace, quæ Deo quæ Dei ſunt, & Regi quæ Regis ſunt, exhibeat, & ſubijciat. Datum Arnhemij 16. Octobris, Anno 1579.

Celſ. & Dom. V.

Obedientiſsimi,

Magiſtratus, & Ciues Arnhemij Metropolis Veluæ.

Superſcriptum ſic erat,

Reuerendiſsimis, & Illuſtriſsimis Rom. Imp. Electoribus, nec non alijs Generis Nobilitate claris viris, Sac. Cæſ. Maieſt. Legatis, Principibus ſuis clementiſſimis, & Dominis obſeruantiſsimis.

Coloniæ.

Num. LXVII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, GEneroſi, *Nobiles, & Circumſpecti.*

Literas principales Celſ. & Dign. veſtrarum 26. Septembris, & tertia Octobris ſcriptas nondum accepimus, ſed tantum exempla illarũ, quæ literis Ordinum Brabantiæ adiuncta fuere. Et quamuis indies illas expectamus, tamen quia omniũ Prouinciarum Deputati, cum poteſtate ſtatuendi de ſumma rerum vigeſimaquinta præſentis menſis Octobris Antvverpiæ adfuturi ſunt, & omnes mortales erecti ac alacres deſiderant euentum actionum in veſtro celeberrimo conuentu habitarum, officij noſtri putauimus abſque vlteriore cunctatione veſtras Celſitud. & Dig. de futura illa, atque adeo inſtante Ordinum communicatione, ac reſolutione certiores facere, atque rogare, vt

cum hactenus ſtudio reconciliationis,& pacis conſtituendę inter Regem Catholicũ, & Ditiones Belgicas, per tot menſes neque ſumptibus,neque laboribus pepercerint,nunc in extremo actu dignētur nō vſque adeo præciſè, & tam paucis diebus (vt dictæ literæ continent) diſceſſum ſuum concludere,ſed paulo diutius ſubſiſtere,donec Ordines reſoluant,& reſolutionem ſuā tranſmittant. Quod vt intra paucos dies poſt finem Octobris fiat,ſedulo curamus. Nam intereſt Prouinciarum maximè ſemel finem imponi huic Pacificationis negotio; atque omnes intelligunt pacis ſerenitatem belli calamitatibus potiorem eſſe,modò ſit tolerabilis ac ſecura. Ideoque perſuaſum cupimus veſtris Celſ.& Dig.ea, quæ præcedenti noſtro reſponſo continentur, à nobis nullius detorſionis, aut ſiniſtræ interpretationis conſcijs bona fide ſcripta eſſe, non ad impediendam, ſed ad promouendam pacem, atque vt maturè remedia adhiberentur malis, atque periculis; quorum cogitatio dubitationem in amplectenda pace Prouincialibus poſſet inijcere. Neque deſiderauimus, quaſi hactenus nihil actum eſſet, propoſitionem nouorum Articulorum, ſed propoſitorum moderationem, & ſecuritatem ampliorem tam pro ijs, qui Catholicam Romanam,quàm qui aliam Religionem profitentur. Nam quamuis & Cæſaris,& veſtrarum Celſit.& Dign.maxima ſit authoritas, & firmum propoſitum ſyncerè obſeruandi omnia, tamen propter experimenta ſuperiorum temporum, non ſine ratione vlterius Prouinciarum quieti proſpectum cupimus. Nam vt alia prætermittamus, notum eſt, quàm parum valuerint preces, & interceſſiones Imperatorum Ferdinandi, & Maximiliani, ac omnium propemodum Principum Europæ, ad inhibendum furorem Ducis Albani aduerſus innocentes, & eos, quorum gratia, & beneuolentia receptus fuerat: & quàm irrita fuerint apud Principem Parmenſem poſtulata moderni Cæſaris, ac veſtrarum Celſitudinum & Dignitatum de ceſſatione armorum, & inducijs durante communicationis tempore. Ita vt ſperemus Celſitudines & Dignitates veſtras ſollicitudinem noſtram in auertendis periculis, quæ inſtare videntur, non prorſus improbaturas, præſertim cùm,ſi aliquid minus firmum aut detortum in reſponſo illo noſtro inueniatur, & oſtendi poſſit, parati ſimus, meliores rationes abſque vllo contendendi ſtudio admittere, & per omnia rationem ſequi, atque iuſtitiæ acquieſcere. Et quod termini prorogatio, ac plenioris Mandati tranſmiſsio dilata fuerit, exiſtimamus Celſitudin. & Dignitat. veſtris nunc ſatis compertum eſſe, id accidiſſe neque per negligentiam, neque per contemptum Maieſtatis Imperialis, aut veſtrarum Celſitud. & Dignitatum, quas meritò ſacroſancte colimus, & veneramur, ſed ob cauſas, & difficultates in dicto reſponſo noſtro comprehenſas, quas auxerunt funeſti belli acerbitas,& plærique conſiliis aduerſariorum nimiũ patrocinantes, item alii imperatis eorum temerè acquieſcentes, qui à nobis deſci-

deſciuerunt augendo diſcordiam Prouincialium. Et proinde rogamus Celſ.& Dign. veſtras, benignius omnia accipere, & interpretari velint, atque in conſtantia promouendæ pacis publicæ perſtando dies aliquot vltra terminum, in dictis literis præfinitum, Coloniæ morari, donec abſolutum Ordinum reſponſum acceperint, & quæ in negotio Pacificationis reſtant, peregerint, atque abſoluerint. Nos pro multiplici, & ſingulari beneuolentia Prouincijs Belgicis exhibita, omni ſtudio ac conatu gratitudinem referre perpetuo conabimur. Antvverpiæ, viceſima Octobris, Anno milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimonono.

Veſtrarum Celſ.& Dign.

Addictiſsimi,

Ordines, & Status Prouinciarum Belgij.

Ex mandato præfatorum Ordinum.

Houfflin ſſt.

Poſteaquam hæ ſcriptæ erant, & iam concludebantur, allatæ ſunt principales literæ, cum ijs, quas Imp. & Dux de Terra noua nobis deſtinarunt, ad quas primo tempore reſpondebimus.

Superſcriptum ſic erat,

Reuerendiſsimis, Illuſtriſsimis, Generoſis, Nobilibus, & Circumſpectis Dominis Electoribus, & Principibus Sac. Imperij, nec non Legatis, & Commiſſarijs Sacræ Cæſareæ Maieſtatis.

Num. LXVIII.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMIQVE *Sac. Romani Imperij Electores, Principesq́ Generoſi, Nobilesq́ D. Cæſarei Delegati longe digniſſimi.*

QVoties profundior animũ ſubit meditatio, vberrimarum tum vtilitatum, tum conſolationum, quæ plerunque ex pace rectè ſtabilita, tanquam vera ſcaturigine vniuerſalis boni publici manare ſolent, & è contra quantarum calamitatum, & anguſtiarum præceps illa vorago infamis belli ciuilis procreatrix eſſe ſoleat, toties animo obuerſantur

 meo,

meo, nedum ipſa magnitudo ac pondus memorabilis huius negotij reconciliationis Populi Belgici; verumetiam ſumma illa lubricitas, & incertitudo totius tractationis præteritæ. Quæ animum meum quantopere menſibus ſuperioribus exercuerit, malim (me hercle) vos Principes, Patreſque conſcriptos ex ſuomet proprio ſenſu, iudicioque terſo metiri, quam eatenus vllam grauiorem querimoniam coram celeberrimo hocce veſtro conuentu depromere. Nam quorſum profutura querimonia rerum, quas ſatius eſt obliuioni, quam memoriæ traditas iri? Præſertim vero, dum ad ingens ſolatium ſeruire queat, quod non ſolus, ſed vna vobiſcum, atque etiam adeo ipſamet Sacra Cæſarea Maieſtate, præterea nec ſolus à ſolo, imo nec vnus à paucis, ſed ècontra à plurimis mihi apertum ex ſimulato fucum fieri citius perſentiſcere, quam vllo ſtudio præcauere licuerit. Sperabam quidem ab initio ſolius patientiæ, ac longanimitatis diſcreto obſequio nihil non ex vſu boni publici vel tandem protrudi potuiſſe, & ob id nec imparatum ab eiuſcemodi armis in hanc palæſtram diſceptationis prodeundum fore mihimet tunc imperaram: Attamen fruſtra, & in vanum; poſtquam reipſa iam ſim expertus, haud vllius moderationis temperiem ſufficere poſſe, negociatio dum inſtituitur cum eo genere hominum, apud quos, vt nec ſimulationis mēſuram; ita nec ludibriorum finem reperire conceditur. Verum ne quis erret (cordatos & ſynceros excipiens) tantum de ijs loquor, qui ſui compendij gratia imperitum vulgus nunquam non ſeduxerunt olim, & nec dum deſinunt, fortaſsis profuerit aliquando præſenti experimēto didiciſſe, quam vere lubrica res ſit vllam fiduciam ſalubris intentionis de ijs concipere, quos non tam à ſemetipſis, quam ab ijs, quorum vniuerſa ſalus poſita in bello, pacis conſilia mutuare conſtat. At viderint illi, ne quandoque ipſimet cū prauis conſultoribus in prædā direptionis cedant, ſuæque ſtultitiæ pœnas ſuamet opinione grauiores luere cogantur. Meum vero eſt propoſitum, cauſa ſuæ Maieſtatis Catholicæ, Regis mei Clementiſsimi, ſi minus forſan erranti adhucdum Populo Belgico probare liceat, ſaltem, quoad eius in me ſit, ſeriam nauare operam, quod ipſa facti pura, ac nuda veritas ampliſsimo huic veſtro conſeſſui ad plenum innoteſcere queat. Et proinde cū ignorare nequeam iam præ foribus eſſe tempus, quo quid certi cōſtituendum fuerit, de ſumma totius negotij, atque adeo etiam ſuprema manus hiſce comitijs Pacificatorijs vel tandem adhibenda fore iudicabitur, nequaquam prætereundum duxi, quin poſt immortales ac ſolemnes gratias, tum Sacræ Cæſareæ Maieſtati, tum etiam Veſtris Celſitu. ob tam pios Chriſtianæ charitatis excelſiſsimos conatus, totque exanthlatos labores, peculiariter actos, etiam hoc præſens ſcriptum actis Comitiorum publicis ad perpetuam rei memoriam, veſtra nimirum pace, inſerendum ad inſtar Epilogi rerū prægeſtarum exhiberem. Profeſſus vtique me nec contra, nec præter veritatem, multo

autem minus animo conuitiandi quicquam in hocce tam arduo negotio auſurum; quinimo potius mero ſtudio illuſtrandæ veritatis intra limites & cancellos eiuſdem bona fide permanſurum fore. Prout nec decorum Regię Maieſtatis patitur verbis potius, quam armorum iuſtitia cum Authoribus turbarum decertare.

Principio, vt quæ Sereniſsim. Regis Catholici pia mens, & conſtantiſsima voluntas, etiam diu ante exordium horum Belgicorum motuum, reuera ſemper extiterit, tanto clarius elucеſcat, haud alienũ fuerit ab inſtituto meo, facti totius enarrationẽ aliquãto altius repetere: Signãter vero, vt ne quem latere queat, quod ſua Maieſtas Catholica olim confecto ſuperiori bello Gallico, vt primum neceſſe habuit ſua Regna Hiſpaniarum inuiſere, atque iſthinc cætera tum Italica, tum remotiora regna faciliori compendio tueri, ac regere, inficias profecto iri nequit, quin eo tempore vniuerſum Belgium ex omni parte, vt pacatiſsimum, ita opibus iuxta, ac rerum affluentia longe florentiſsimum reliquerit; nulli non Belgicorum Procerum tempore inſtantis ſui diſceſſus tum honoribus, functionibuſque publicis, tum etiam largitionibus verè Regijs, quoad eius in ſe fuit, ſimul & præcedenti bello, vt quiſquam de bono publico meruerat, diuerſimode gratificatus, Ordinibus autem Statuum nihil non indulſit, militem quoque Hiſpanum, tametſi prudentum iudicio ad ſuſtentandam Belgij ſecuritatem apprimè tunc vtilem reputatum, ac proinde etiam limitrophis præſidijs in caſu repullulaſcentis belli Gallici deſtinatum: Tamẽ fretus fiducia magnarum promiſsionum, quę tunc à Proceribus Ordinibuſque certatim fiebant, etiam alio commigrare iuſsit. Et quod eo tempore amoris maximi, iuxta ac fiduciæ ſupremæ indicium euidentiſsimum iudicari merito debuerat, ipſis denique gubernaculis Belgij generalibus tunc præfecit non hominem crudum, non tetricum, non imperioſum, non bellatorem, ſed Pacificam Duciſſam Parmenſem, matronam rariſsimis animi dotibus præditam, affabilem, beneficam, ac nullius rei magis, quam Pacis conſeruandæ ſimul, & proſperitatis publicæ augendæ ſtudio vehementer accenſam. Nihil dico de humanitate illa vere admirabili, qua tantus Rex in cõſuetudine quotidiana ſuos tum Proceres, tũ ipſos denique Patricios, Senatores que pluribus annis antea proſecutus fuerat, velint ſane nolint, confiteri coguntur, ſe non tam Regẽ, Dominumque, quam veras delicias generis humani, vtpote pium Parentem, parentem, Paſtoremque Populi, & Curatorem publicæ ſalutis tunc reuera in perſona S. Maieſtatis expertos fuiſſe. Nemo ſane inter omnes Proceres tam impudens vel proteruus repetitur, cui ſi modo animus ſit meminiſſe Regiæ conſuetudinis, ac familiaritatis illius temporis, qui non pudore cogatur illam ipſam interpretari potius obſequioſum cultum amicitiæ, quam debitum miniſterium vaſalli. Quæ cum ad eum modum ſe habeant, quis non iudicauerit eiuſcemodi

modi vaſallos extremæ ingratitudinis indelebilem notam contraxiſſe, qui tot & tantorum beneficiorum adeo repente obliti, Populum ſui Principis abſentis, præſertim tam inſidioſe circũuenire, accendere, turbare, & inflammare ceperunt? Quis præterea non dicat, Regem pinguius ac liberalius de ſuis ſubditis tum temporis promeritum fuiſſe, quam vt vlla de cauſa ipſis ſeductoribus aures patulas præbere debuerit?

Prout nec dubitare quiſquam iure poteſt, quin Rex perpetuo ſui ſimilis, & quidem in pari erga ſubditos affectu clementiaque perſeueraturus fuiſſet, ſi modo ne paucorum aſpirantium ad res nouas, atque eatenus ſimplicitate innocui Popelli turpiter abutentium mille tum probris, tum contumelijs ad iuſtam indignationem prouocatus, omnino coactus fuiſſet tandem de ſeditioſorum nefandis conatibus reprimendis, ac denique à ceruicibus fidelium ſubditorum de acerbiſsimis iniurijs tempeſtiuè propulſandis, prorſus neceſſaria conſilia inire. Quis enim Regulus tantillus, non dicã Rex, vſque adeo futuri ſocors, vel animi tam degeneris in orbe Chriſtano reperiatur, qui ordine ſubiectionis legitimæ ad eum modum in ſui deſpectu turbato, patiatur à pauciſsimis, ingratiſsimiſque vaſallis ſibi fræ- num imponi, ac legem præſcribi? Nam vt cętera politica non abſque inaudita temeritate arroganter violata præteream, quis inquam vaſallo potiſsimũ publicæ ac veræ religionis deſertori permiſerit nõ ſolũ vniuerſam plebem contra ſe concitare; verum etiam ſub confícto prætextu, aſſertæ libertatis conſcientiæ paſsim bonorum omnium virorum conſcientias illaqueando, nulli non iugum execrabilis ſeruitutis imponere? Etenim quæ poteſt ſeruitus eſſe maior, quam in negotio Religionis antiqua ſua poſſeſsione, ac conſuetudine violenter turbari? nec non ad inſulſi aut furioſi cuiuſlibet Concionatoris obſequia Barbaro potius (vt nunc fit) quam Chriſtiano more adeo ſeruiliter cogi? Puderet ſane hoc loco recenſere atrociſsima flagitia, quæ tunc temporis ſub colore ſimulati faſtidij veteris, & Orthodoxæ Religionis plurimis in locis per Belgium patrata fuere: Tantum obiter hęc attigiſſe ſuffecerit, vt nimirum tanto magis perſpicue conſtet, omnino nihil tam ex diametro pugnare cum ipſa rei veritate, quam quod à factioſis hominibus ſubinde hac tempeſtate, eheu nimis impudenter in vulgus ſpargitur. Quaſi videlicet Rex is fuerit vnquam, qui populum opprimere conatus præſentibus motibus occaſionem præbuerit. Quin potius ècontra haud vllum animo ipſius tormentum grauius excogitari vnquã potuit, quam quod de manifeſta ſubditorum rebellione competenter vlturus, plane coactus fuerit tempore deſtinati Gubernatoris Ducis Albani in proprios ſubditos olim ſibi tam charos, nec nõ ab Altiſsimo in tutelam potius quam vexationem ſibi concreditos, armatam iuſtitiam exercere. Quãto enim ſuæ Maieſtati acceptius fuiſſet, ſi modo ne flagello tam rigoroſo tunc opus

opus fuiſſet, aut ſi qualitas delictorum commiſſorum, tanta circumſtantiarum atrocitate comitata, vlli diſsimulationi ſaltem honeſtæ, locum feciſſet?

Quamobrem merito, & quidem grauiſsimè, taxandi videntur illi, qui culpam miſerabilis afflictionis Belgicæ, quam ipſimet priores ob deteſtabilem ſuam rebellionem adeo notorie contraxerunt, haud erubeſcant ſuomet Regi quantumuis ter mille modis tum irritato tum iniuriam perpeſſo longe impudentius, quã probabilius aſſcribere? Quaſi vero noua res fuerit, aut prorſus inſolens tantum Principem adeo contumelioſe à ſuis vaſallis, & ſignanter quibuſdam peregrinis conculcatum, de vindicanda iniuria ſibi tam malignè illata vel tandem cogitaſſe? Quid enim Rex (ſi modo ne plane vecorſ aut profundo mentis ſtupore percuſſus videri cupiebat) olim minus præſtare poterat, quã implorato miniſterio ſublimis iuſtitiæ, rebus nutantibus, per Authoritatem ſuam Regiam, aut Principalem occurrere, ſimul & neceſſario milite ſubminiſtrato ad ſententiarum executiones tuto adimplendas regaliter cooperare? Qua in re Principi ſupremo contumaciter obſtitiſſe, ipſoſque proſcriptos & damnatos, nedum manibus iuſtitiæ quodãmodo ereptos, quinimo & in capita Prouinciarum Rege inuito iam ſublimatos extitiſſe, quantum dedecus, & quam ſobriam vtilitatem res illa Belgio pepererit, etiamue in poſterum pariet omnes, qui acutum cernunt, perquam facillime dijudicare poſſunt: ſatius namque fuiſſet, quod populus ſuæ ſortis ac conditionis memor æquanimiter paſſus fuiſſet, quod Rex haud alio reſpiciens, quam ad purgamen Prouinciæ à turbulentis, & inquietis hominibus, potuiſſet in factioſos tranquillitatis publicæ hoſtes ſuo tum iure vti, tum etiam Principali officio fungi. Nam id ſi olim accidiſſet, etiamue accideret modo, cui dubium, quin loco belli funeſtiſsimi, vt pace ſereniſsima, ita loco paupertatis horridæ, iam fulgentiſsimis opibus in ſumma proſperitate vniuerſum Belgium floreret? En quam ludit in humanis diuina vltio rebus. Pax laudatur ab omnibus, poteſtque haberi dum lubet, & quidem puro obſequio rei tantillæ, vt nimirum liceat iurato Principi munus Principale exercere, at rerum optimarum ſola nauſea impedimento eſt, quo minus vel tandem aſſurgere queat animus ad ſaniora conſilia capeſſenda.

Ex qua re etiam illud grauius ſubſecutum, quod Populus Hollandicus, ſocijque præ cæteris aliarum prouinciarum ſubditis longe maiora ſibi ſumpſerit, quam quiſquã Principum huius ſæculi vllatenus ferre potuiſſet. Adeo quod ne quidem erubuerint in merum deſpectum ſuæ Maieſt. de quorumlibet etiam proſcriptorum quantumuis criminoſorũ tutela, & receptatione, tanquam ex aſylo publice profiteri. Cuius quidem facti ſumma temeritas ſicuti Regis animum miris modis afflixit, ita arbitratus eſt ad Regiam ſuam exiſtimationem

tionem pertinere, potius armata manu tam de receptatoribus, quã eiuſcemodi receptis cõpetenter vlciſci, quã ad nefas publicæ tranquillitatis vſque adeo perniciofum oſcitanter conniuere. Qua nihilominus in re tanta ſemper fuit vſus animi moderatione, quod cum experiebatur bellum protrahi in longum, non ſine oborta ſuſpicione, quaſi mero odio ſuorum miniſtrorum tale quid accideret, ipſemet Rex de tollendis ad pacem obſtaculis mirè ſollicitus proprio motu Ducem Albanum cum ſuis ſubminiſtris ad ſe reuocarit in Hiſpanias, tanquam periculum facturus, ſi quæ forſan ſub nouo Gubernatore minus odioſo etiam noua, vel pacatior rerum facies ſe quomodolibet oſtenſura foret. At optimum Regem ſua fefellit opinio. Nam & illi contumaciter in armis perſtitere, nec vllius pœnitudinis, aut ſacietatis belli vlla indicia prę ſe tulerũt: Quinimo potius è contra etiam ſolito ferociores nequaquam dubitarunt, tanquam ex inſidijs ſubmiſſo Comite Ludouico Naſſouio in Ditionem Vltramoſanam ipſummet Commendatorem maiorem, licet vix gubernaculis ritè initiatum, tamen incontinenti armis hoſtilibus prouocare. Verum vt perſentiſcere cœperunt, ſibi comprimis durum fuiſſe contra ſtimulum calcitraſſe; Tandem iuſto interuallo poſt, viſa fuit inter ipſos, quaſi à longe, neſcio quæ, pacis ſaniorum Conſiliorum meditatio exoriri. De qua Rex certioratus, mirum ſane dictu, quam lubens occaſionem arripuerit, & quam alacrem ſe ad pacificatorium conuentum paulo poſt, in oppido Bredenſi inſtitutum exhibuerit. Quo loco etſi mandatarij hinc inde ad præfixum comparuere: Tamen infauſtiſsimus exitus docuit, tantum ad ſpeciem ſimulati deſiderij pacis, nec non ad placamentum populi diutius belligerare & contribuere recuſantis eiuſcemodi Conuentum à Capitibus factionis Hollandicæ tunc aucupatum, & procuratum fuiſſe. Adeo (proh dolor) apud ipſos conſtitutum videbatur bellum potius quouis tandem grauiſsimo, fato etiam propriæ vitæ, quam ſalubri conſilio finire.

Cuius demum ſurrogati Gubernatoris tempore, cum Regi plurima heroica facinora militaria admodum feliciter contra aduerſarios ex animi ſui ſententia ceſsiſſent, & præcipuè in Comitatu Zelandiæ ipſamet expugnatio tum oppidi Metropolis, tum denique totius Inſulæ Xirixenſis: qua ab hominum memoria nulla illuſtrior, magiſue excelſa, nec audita fuit vnquam. Tandem viſum fuit Deo Gubernatorem ad res inſtaurandas non male idoneum ex huius mundi miſerijs ad beatiorem vitam euocare. Quo tempore cum de ſurrogando ſucceſſore in locum defuncti Rex deliberat, haud iniuria credidit, pulcherrrimam occaſionem alliciundi populi Hollandici ad tranquilliora ſibi denuo oblatam iri: vt qui ſuſpicabatur gliſcens odium nominis Hiſpanici ab initio obſtitiſſe quo minus in prædicto Conuentu Bredenſi ſub auſpicijs defuncti

functi Gubernatoris negotium optatæ Pacificationis protrudi potuerit;& ob id percupiens nulli non manifeſtare, quantopere ad Pacis ſerenitatem reuera anhelaret, ſponte tunc vniuerſam authoritatem Gubernaculorum generalium detulit Belgicis Senatoribus Conſilij rerum Status,plane ſibi perſuaſum habens, quod Princeps Auraicus vna cum Hollandis, ſaltem eo tempore non tam ſimulate, vt antea, ſed potius omnino ſerio de ſtabiliunda æquabili pace cum eiuſcemodi nouo Gubernatore patrio cogitaturi forent. Porro tam abfuit eius rei vlla cupido, vt ſucceſſerit, quod idem Auraicus illudmet ipſum Regis obſequium tanta Prouincialium ſenatorum fiducia comitatum,ſuæ fortunæ quaſi lumen affulgens interpretatus,tunc demum cœperit per cuniculos Regem clementiſsimum de bono (vti dici ſolet)opere lapidare. Nam eo tempore quibuſdam incautioribus Ordinum Brabantiæ Proceribus ad eum modum per inſidias obrepſit;quod bona fide crediderint nullum ſe obſequium acceptius tum Deo, tum bono publico præſtare poſſe quam ſi violato Regis Palatio,etiam manum violentam in Senatum inijcerent, ac præcipuos quoſque Senatores publico carceri manciparent. Vnde tandem ex Ordine ſubſecuta Bruxellenſis populi, parum abeſt quin furentis, imperioſa compulſio ad inauſpicatam illã contexturam Pacis Gandenſis decuplo grauioribus motubus anſam ineuitabilem præbuit.

Quibus quidem fluctibus Rex pro veteri ſuo more tempeſtiue occurrere cupiens,vtque pari paſſu oſtenderet,quanto amore Belgicum ſuum Populum proſequeretur, vix à cognita illa fluctuatione vllius temporis momenti ſpacium interpoſuit: quin ſtatim per Galliam,non ſine termaximo interceptionis periculo ad oportuna remedia, clam in Belgium deſtinarit inclytæ memoriæ Ioanem Auſtriacum fratrem non ex multis dilectum, ſed vnicum, non rudem armis,ſed glorioſe exercitatum,non leuem,non futilem,ſed grauitate ſerena conſpicuum,non moroſum, non acerbum, non aſperum, ſed amore proximi ac Lenitate mẽtis nulli Principum huius noſtræ ætatis cedentem.Et quæ tunc ſuperſtitis præcipua fuit gloria non varium,non vacillantem in religione à maioribus ſibi tradita, ſed illius cultorem religioſiſsimum.Qui ſane poſt pacem Gandenſem, licet paulo ante inuito Rege contractam, tamen ab ſe confirmatam, militeſque Hiſpanos & Peregrinos ex Prouincia dimiſſos, cæteraque ter maximæ conſiderationis pene innumera officia in Belgium adeo exuberanter collata,haud dubie priſtinum ſplendorem, auitumque decus vniuerſo Belgio reſtituturum fuerat, ſi modo ne idem Auraicus tantorum officiorum adeo repente oblitus, nec non ex ſuccreſcẽte publica ſalute priuatam ſuam fortunam,vel verius ruinam ſtultè forſan metuens, maluiſſet parum gratè nouis turbis excitandis, quam veteribus decenter expiandis ingenium applicare. Quo factum

ctum,quod Auſtriacus vix vſpiam locorum ab inſidijs Auraici tutus, plane habuit neceſſe, nedum loco ſibi proſpicere, quinimo & reaſſumptis armis Regijs in ſuum perſecutorem, & ſectatores recenter ſibi confœderatos congruam vltionem diſtringere. Cui negotio dum intentus eſt, adeo nihilominus temperanter ſe geſsit, quod tametſi continuis pluribus menſibus aleam belli ſibi vehementer propitiam fuerat expertus, tamen poſtea Ordinum Belgij nomine vel leuiter tantũ interpellatus à Generoſo Domino Comite Suuartzenbergio, Cæſareo Legato, nihil potius habuit, quam in ſtudia pacis ardenter collimando, ſuos mandatarios ad oppidum Louanienſe ilico deſtinare. Qui ſane rem confecturi fuerant, niſi de Pacificationis negotio tunc Cæſari Auguſtiſsimo recẽter per Regẽ concredito, Nuncius ex inopinato allatus fuiſſet, & ſimul quoque ipſos deputatos aduerſarios crudioribus, vt ne dicam plane imperioſis, Ordinum mandatis inſtructos comperiſſent, quam vt vlla iuſta opinio de ſyncera Ordinum intentione, vel ſtudio ad pacem vllatenus tunc concipi potuerit.

Quæ ſupradicta tantum per occaſionem ordinis rerum prægeſtarum attingere lubuit, vt nimirum luce meridiana clarius omnibus conſtet, quanta ſollicitudine, & affectu Rex ab ipſo niet prę̃ſentis belli Ciuilis exordio ſemper conatus fuerit Belgicum Populum ſub Paternis ſuis alis in ſpem tranquillitatis publicæ congregare, & quam illi è contra in reprobum conuerſi, varijs fruſtrationibus ſuam Maieſtatem luſere ſemper. Sed omittantur vetera, tantumque diligenter ponderentur ea, quæ præſentibus hiſce comitijs coram ampliſsimo hocce veſtro Conſeſſu iampridem accidere. Comperietur ſane Principem Auraicum ſimul & Ordines ipſius conſilijs fretos omnino nihil minus quam vel leuiſsimum pacis deſiderium vnquam hactenus habuiſſe. Prout ex infra deducendis procul dubio ad oculum patere poterit.

Siquidem mera rei veritas talis ſit, quod Rex ſuperiorũ annorũ ludificationibus abunde certioratus quam vana & lubrica res nulli non viſa de ſpontanea ſubditorum reſipiſcentia quicquam ſolidę ſpei concipere, & ob id tota mente armorum diſpoſitioni iamdudum vigilanter intentus, cumque nihil minus quam de pace permoliunda ſecum cogitaret, omnino præter ſpem caſus tulit, quod Cæſarea ſua Maieſtas, exorata nimirum publicis literis Ordinum Belgij ex oppido Bruxellenſi octaua menſis Ianuarij anni milleſimi quingenteſimi & ſeptuageſimi octaui datis valde ſerio Suam Maieſt. Catholicam interpellarit quatenus afflicto ſuo Populo compatiens, ſimul & in obſequium boni publici (vnde etiam vniuerſum Imperium, & ſignanter Principes, Populique vicini ſua commoda percepturi forent) dignaretur adhuc ſemel periculum facere de motibus Belgicis amicabili compoſitione ſopiundis: ſperare enim, ſe haud fruſtratorios

ſem-

ſemper fore conatus, potiſsimum ſtantibus ſacroſanctis promiſsionibus admodum rotunde iiſdem literis expreſsis. Et quo eiuſcemodi ſuæ interceſsioni fidem aſtrueret maiorē, etiam ipſaſmet originales literas dictorum Ordinum in Hiſpanias ad ſuam Maieſtatem deſtinauit. Quarum tenor nō ſine vafro lenocinio verborum, ſicuti artificioſe cōtextus, ita nec mirum, quod Rex ex ſuis moribus alienos metiens paſſus fuerit à Cæſare tā cordato, & opportuno interceſſore ſibi perſuaderi, vniuerſæ amicabilis compoſitionis negotium ſuæ Maieſtati Cæſareæ, & deputandis à ſe Principibus Commiſſarijs citra omnem hæſitationis ſcrupulum quod concrediderit. Certiſsima ſpe fretus, Principem Auraicum, & vna quoque Ordines Dei beneficio vel tandem miſericorditer illuminatōs, admodum ſerio hocce tam arduum negotium proſecuturos fore.

Cuius equidem ſpei fiducia Rex cōnſequenter adductus, vix ſane effabile dictu, quanto animi gaudio præ amore erga ſubditos delibutus, quantaque promptitudine vniuerſæ tractationis directionem & quidem ſuffultam debita authoritate amicabilis compoſitoris etiam vltro ſuæmet Cæſareæ Maieſtati ac Principibus à ſe delegandis ad opus tam pium & ſalubre concredendum duxerit; maxime vero probe adhuc memor paternarum exhortationum ſanctiſsimi Pontificis maximi, qui pro veteri ſua vigilantia ſuper gregem Domini nunquam deſijt Suam Maieſtatem ad eiuſcemodi gratioſum, & pium opus conſummandum ſerio ac indeſinenter exhortari. Vnde tādem ſubſecuta Cæſareæ delegationis oportuna reſcripta, Veſtris Celſitudinib. directa, nec nō partibus hinc inde cōcordaturis cum aſſcriptione loci, temporiſque ad inchoandum negotium præfixi, debite notificata & inſinuata, haud dubie occaſionem & cauſam huic celeberrimo conuentui dedere. Fuit autem is terminus diei, vigeſimi noni, vtpote in Dominica Lætare Menſis Martij, anni præſentis. Quæ res mouit ſuam Maieſtatem Catholicam quod pro veteri ſua vigilantia, & tam compluſculis menſibus antea, me ſuum fideliſsimum, & obedientiſsimum Miniſtrum tunc temporis aliorum negotiorum gratia caſu fortuito in Regia Curia Regnorum Hiſpaniæ exiſtentem, nec non Regijs tabulis ampliſsimæ Procurationis deinceps competenter inſtructum, prorſus citra omnem cunctationem huc in Germaniam, ad ſanctam hanc Ciuitatem Colonienſem, tanquam locum Comitijs deſtinatum ablegarit. Prout etiam mandatis Suæ Maieſtatis ad amuſſim ſatisfacere deſiderans, iudicaui ad meā ſollicitudinem pertinere, non minus tempeſtiue quam reuerenter coram Celſ. Veſtris ad Cęſarea veſtra Mandata cognoſcenda paratiſsimum in loco prę conſtituto me ſiſtere.

Et quantumuis ipſa ratio, & honeſtas procul dubio dictarant, quod etiam Ordines in comparendo parem ſedulitatem oſtendiſſe debuerant, tum quia deſignato Comitijs loco viciniores, tum quia

ſubditi tractaturi cum ſuo Principe, tum etiam, quod priores ad hunc ipſum conuentum aſpiraſſe viſi fuerint, tamen neſcitur, quonam Principis Auraici, Ordinumque conſilio acciderit, quod ipſorũ mandatarios, non niſi longo interuallo poſt Celſitudinũ veſtrarum, atque adeo etiam meum in hanc ciuitatem aduentum huc ad Comitia deſtinarunt. Quod forſan aliqua ex parte adhuc fuiſſet excuſabile, ſi modo ne ſterilitas, & anguſtia limitatorum mandatorum eo tempore ſuis concreditorum pluſquam vulgariter oſtendiſſent, eiuſcemodi publicas Ordinum actiones, & conſilia nihil minus quam de pace ingenuam ſollicitudinem præ ſe ferre. Fuere enim mandata eius generis, quæ vt nec ipſos mandantes & mandatarios tanto præſertim numero, & ſplendore cooptatos vllatenus decuerũt: ita multò minus digna vel congrua mihi viſa, quæ coram hocce tam celebri conuentu ad ipſorummet preces congregato in cauſa tam ardua & ſeria exhiberentur. Etenim quæ, & quanta bonitas optimi Regis, qui fiduciaria conceſsione tam liberi & abſoluti mandati non dubitauit mihi ſuo miniſtro ſoli concredere, quod dicti Ordines adeo cito obliti rerum nuper prægeſtarum ac forma ſeruata in conflanda pace Gandenſi, ne quidem decem ſuis Collegis, quantumque illuſtri ſplendore ac dignitate apud ipſos præditis, iam tuto concredi potuiſſe iudicarunt? Quis non ſuſpicetur ab initio ipſos ſummopere metuiſſe, ne qua exuberantior iuſtitia, & æquitas, forſan (vt præuiderunt) tunc articulis complectenda, ipſoſmet ſuos Mandatarios ad optabilem finem huic calamitoſo bello imponendum procliuiores reddere potuiſſet? Accedit vero ad incrementum illius ſuſpicionis, quod Ordines, ne quidem pluries requiſiti, imo nec poſt ipſam negotiationem, ac materiam pacis inſigniter à partibus vltro citroque prægustatam adduci potuerint, ſuis vt abſolutiora mandata largirentur. Quod ſane haud iniuria cenſeri debet recuſatum fuiſſe non ſine manifeſta nota ſpretæ authoritatis huius ampliſsimi veſtri Cæſarei Conſeſſus. Quæ ſi vlla in re, ſaltem in tantilla, merito valere debuerat.

Quo namque tempore certioratus de imperfectione ſupradicti Mandati, potiſsimum inuſitato quodam modo limitati ad priuatas mandatariorum inſtructiones, nec non ad breuiſsimum tempus, licet ſummo iure potueram recuſaſſe ad vlteriora progredi, nec non tantiſper de arcanis meorum conſiliorum tacuiſſe, donec pinguiora Mandata, & quidem meis conformia ab Ordinibus deſtinata fuiſſent; Tamen quia competiebam Veſtras Celſitudines nihil non de plenioribus mandatis, aut ſaltem ſubſecutura ratificatione deinceps eliciendа firmiter ſperare, ſumma mihi religio fuit, eatenus vllum ſcrupulum negotio inijcere; Sed pura mente, & bona fide ad vlteriora progreſſus, obtuli me comprimis paratum ad vniuerſa & ſingula propoſita illorum (quibus cum ex aduerſo mihi res erat futura) non

mi

minus dilucide quam ingenue reſpondere. Atque ita accidit, quod poſt compluſculos dies partim armorum ſuſpenſioni minus æqualiter ab Aduerſarijs poſtulatæ, partim circa ordinem dirigẽdæ præſentis negotiationis, aliaque ad rem præparatoria fructu modico conſumptos, tandem viſum fuit Celſitudinibus veſtris iuxta efficaciam mearum rationum ſolenniter decernere, non tam ad me, quam ad mandatarios ex aduerſo pertinere ea ipſa, quæ à Principe ſuo naturali poſtulatum venerant, ſcripto complexa ac mihi deinceps communicanda in pleno conuentu exhibere.

Cui decreto Ordinum Mandatarij exinde ſatisfacientes, tandem conceptos ab ſe articulos in medium deprompſere. Attamẽ quos & quales haud dubie adhuc meminerint veſtræ Celſ. Quarum inſigni erga iuſtitiam, & æquitatem zelo tunc accidiſſe reor, quod illico poſt eoſdem lectos, & maſticatos, nequaquam prætereundum iudicarint, quin accerſitos ad ſe dictos Mandatarios de productorum Articulorum exorbitantia, nedum vt ſollicite commonefacerent, verumetiam de competenti, & perquam neceſſaria moderatione eorundem grauiter, & ſerio cohortarentur. Cuius exhortationis is demũ fructus extitit, quod paucorum dierum ſpatio interiecto, rurſum nouos articulos addidere, & quidem prioribus antea repudiatis longe conformiores, quam vt notabilis diſcrepantia tunc animaduerti potuerit. Profeſsi nimirum ad excuſationis colorem, ſe mandata habere ſtricta, quorum nec poſſent, nec conſultum iudicarent limites egredi.

Quo factum quod Celſ. veſtræ tanquam truncata, vt ſuſpicor, omni ſpe vlterioris moderationis conſequendæ, arbitrati fuerint, ad filum continuandæ negotiationis omnino pertinere, illoſmet ipſos Articulos, quantumuis ſobrie circumciſos, vel correctos tamen ad eliciendam maturam reſponſionem mihi communicare. Cui negotio dum intentus eram, cõperi ſane crudiores eſſe, magiſue alienos ab officio diſcretorum ſubditorum, quã vt expectationi meæ vllatenus ſatisfacere potuerint. At nihilominus ſpem vultu ſimulans, nihil tam fugiendum animo conceperam meo, quam vllius reprehenſionis acrimonia grauiori ſubditorum irritamento occaſionem præbere. Et ob id, quarumlibet diſceptationũ ſinuoſis ambagibus ſtudioſè vitatis, non tam mihi curæ ſumpſi propoſitos articulos redarguere, quam exhibitione nouorum verè paternum, eximiumque ſtudium ſuæ Maieſtatis Catholicæ ſimul & ipſius ſummam clementiam erga Subditos, paucorum culpâ iam afflictiſsimos, quoad eius in me fuit, teſtatiſsimum reddere.

Hos autem ipſos Articulos paulo poſt à me exhibitos licet iuſtiſſimis de cauſis ſperaram omni ex parte placituros fuiſſe: tamen Celſitudines Veſtræ (vt opinor) penitius inſpecta qualitate huius exulceratiſſimi ſæculi, ipſaque morbi grauitate maturius expenſa,

quo infelix Belgica Prouincia modo laborare dignoſcitur,id pro ſcopo tunc habuiſſe videntur, dexterrimos & ſagaciſsimos mediatores ſolerter vt imitarentur. Qui ad eum modum ſuas plerunque actiones diſponere ſolent, quò videantur quaſi ex charitate ac mero iuuandi ſtudio vtramque partem æqualiter oppugnare voluiſſe. Adeo res ipſa tandem patefecit neutrius partis articulos per omnia vobis arriſiſſe:ſed potius vtroſque hinc inde ad æquabilioris cenſuræ limam reuocatos,tertio generi articulorum probabilem occaſionem dediſſe.

Quibus demũ nouis articulis veſtris,tum mihi,tum Ordinũ Mandatarijs ex aduerſo rite communicatis, nhil tum prius, tum potius ſubeundum duxi,quam contentis articulorum diligenter ex ordine luſtratis etiam occultas rationes ſedulo perueſtigare. Qua in re poſt paucos dies iſti negotio impenſos,eouſque ſanè profeceram, quod in me mora fuerit nulla,quin de oportuno & categorico reſponſo ſuæ Maieſtatis nomine,etiam ex tempore profiteri ſemper fuerim paratiſsimus.Et ſane id oppidò quam lubens tunc reipſa præſtitiſſem, ſi modo ne aduerſarij inter cætera prætexentes anguſtiam ſuorum mandatorum,neceſſe habuiſſent propoſitos ad Pacem articulos deſtinare cumprimis Antuerpiam ad Collegiũ ipſorummet Ordinum, à quibus mandata potius ad audiendum & tractandum,quam ad finaliter concludendum accepiſſe videbantur.Fuere autem dicti Articuli ad Ordines(vt præfertur)conſulendos ipſorum Mandatarijs Coloniæ traditi menſe Iulio præterito,non ſine calcaribus valde officioſe ſuperadditis,quatenus ſtudio conſopiundi huius tam diuturni & calamitoſi belli ciuilis ſua debita reſponſa non minus accelerare, quàm maturare vellent.

Acceſsit præterea ad Eximiæ veſtræ ſolicitudinis vberrimam teſtificationem,quod cum intelligeretur Ordines de Statu negotij ad Particulares Prouincias relationem veriſimiliter facturos fore, Veſt. Celſ.ne prædicto quidem incitamento cõtentæ, etiam mira quadam benignitate pluries non ſolum ad ipſos Ordines collegialiter Antuerpiæ congregatos,quinimo etiã ad Particulares Prouincias,ipſaſque Ciuitates primarias,eatenus vigilanter ſcribendum duxerint, articuloſque conceptos tranſmiſerint.Ego quoque meas literas, vna cum tranſlatis in vernaculo idiomate Articulis tunc temporis pariter addendas putaui,haud ſane alio conſilio, quã vt populus vbiuis locorũ ex peculiari mea ſcriptione certioratus de enixo Regis ſtudio erga inſtaurationem tranquillitatis publicæ tandem ad veram ſolidamque Pacem tempeſtiue amplectendam tanto procliuior,& ardentior redderetur.

Cæterum quam ſobrie hæc ipſa qualiacunque noſtra communia ſtudia profuerint,cui dubium, quin luculenter teſtentur grauiſſimæ contumeliæ dictarum literarum veſtris nuncijs, parum abeſt,

quin

quin vbiuis locorum inaudita quadam proteruia nuper illata vt nec defuerint, qui pro præmio Pacis præconiſatæ infelicibus Nuntijs etiam læthalia vulnera intulerint. Sed concedatur eiuſcemodi quid abſque culpa & conniuentia Superiorum ob priuatas rixas accidere potuiſſe. Quid obſecro reſponderi poterit ad publica Edicta plærisque in locis, tum in Ciuitate Traiectenſi, tum alibi fulminata? Quibus inter cætera grauibus ſub pœnis interdictum extitit, ne cui mortalium licuerit tranſmiſſos articulos habere, tangere, videre, proximoque communicare, multo autem minus ijs, quibus conſtant, rationibus populo ad ſalutem inculcare. Taceo autem de plurimis libellis famoſis, etiam ſub auſpicijs ſententiæ vel opinionis ipſiuſmet Principis Auraici interea temporis ad magis magiſque obcæcandum Populum fere vbiuis locorum, etiam ſub Celſit. Veſtrarum conſpectum in hac Ciuitate Colonienſi iamdudum in Vulgus ſparſis. Nam & eodem tendunt publicæ literæ ipſorummet Ordinum, iam nuper decima menſis Septembris Antuerpia ad veſtras Celſitudines huc Coloniam verſus deſtinatæ. Ad quas ſuperiori meo ſcripto, licet non niſi breuiter & perfunctorie reſponderim: tamen decet Veſtras Celſitudines pro ſingulari ſua prudentia hoc locò inſigniter ponderare, quam obſtinata conſiliorum determinatione ex aduerſo à plæriſque Ordinum Capitibus, vel adeo ab ipſomet initio horum motuum ſemper fuerit laboratum, quo minus vllo vnquàm tempore pax coaleſcere potuerit, etiamue nunc poſsit. Qua de cauſa minus ſane mirandum, quod Princeps Auraicus Ordineſque Aduerſarij iam pene continuos quatuor menſes Veſtras Celſitudines, ſimul & me debito ſuo reſponſo finali adeo cōtumaciter defraudarint. Quandoquidem vehemens ſuſpicio apud optimos quoſquē indies magis ac magis confirmetur, quod firmiter credatur, ipſos aduerſarios haud alio fine, & intentione hactenus reſponſum illud abſolutum diſtuliſſe, quam vt ne ſubornatis Populi ſeductoribus ad perniciosa ſua miniſteria viriliter exequenda iuſtum temporis ſpacium deforet. Nam eiuſcemodi Conſilia niſi apud ipſos ſtudioſe præceſsiſſent, quorſum obſecro ſpectarent tot ſatyrica ſcripta? tot & tam anxiæ legationes ſecretæ, tum huc Coloniam, tum ad ſingulas fere prouincias deſtinatæ? ac denique tot populares diffamationes contra hunc celeberrimum Conuentum, totque conſpirationes contra Articulos propoſitos? ac poſtremo tot & tam cauilloſæ Communicationes eorundem articulorum? Quarum meritò pudere debeat omnes illos, qui vel de ſano iudicio, aut in pacem ſynceriter porrecti, vllatenus profiteri audeant. Cæterum illud ſatis aſſequi nequeo, quænam ratio, aut neceſsitas ipſum Principem Auraicum, Ordineſque impulerit, quod ſponte hunc Conuentum magnis precibus appetendum cenſuerint? niſi forſan ſibi etiam gloriandum duxerint in eo, quod homines propemodum

omnes

omnes , qui publica ſapiunt , longe veriſsimum arbitrantur; videlicet ipſa capita Aduerſariorum, non tam ipſam veram pacem , quàm pacis tantum verbotenus deſideratæ qualemcunque opinionem hac via apud vulgus ſibi aſtruere voluiſſe. At ipſi viderint, qua ratione apud Cæſaream Maieſtatem, cæteroſque Principes ſe purgent: Cum ſuperioribus literis nihil non de animi candore tam ſacroſanctè polliciti iam vſque adeo ſuimet obliuiſcantur. Præſertim quod inficiari nequeant, ſe iam ante annum de hocce Conuentu Pacificatorio ſufficienter præmonitos fuiſſe. Nam ad morarum ludibria excuſanda prætexere magnitudinem negotij, pluſquam abundè confutatur recentibus exemplis Prouinciarum Hannoniæ, Artheſiæ, cæterarumque, & ſignanter Ciuitatis Buſcoducenſis, quæ hos Articulos diligenter vt primum nuper ſcrutata, ita vix apta vocabula ad manum habere fuit viſa, quibus pietatem, iuſtitiamque, & æquitatem ipſorum Articulorum ſatis pro feruore animi collaudare potuit. Quid enim apud eiuſcemodi Prouincias & Ciuitates nocuit ipſa magnitudo negotij, quo minus cum Principe ſuo naturali iuſtis conditionibus etiam tempeſtiuè ſe reconciliarint? Et ſi forſan reſpondebitur, dictas Prouincias minus quàm debuere, ſua commoda intellexiſſe: conſiderandum fuerit, an ne tantundem iure exprobrari debeat, tam ipſiſmet Hollandis, Zeelandiſque, quàm cæteris Ordinibus, qui olim nullo habito ad magnitudinem negotij reſpectu, etiam recenter ante biennium minore, quàm vnius menſis ſpacio, Pacem Gandauenſem, nedum poſt debitas communicationes vltro citroque habitas, in ſcriptis redegerunt, quinimo & breuiſsima relatione Ordinibus facta, etiam citra moram & ſtipulati ſunt, & publicarunt. Quocirca planè ridiculum videtur, allegare magnitudinem negotij: cùm nulla proponi queat res tam ardua, tantique momenti, cuius in deliberatione exitus non reperiatur, ſi modò ne proba voluntas deſit. Quam apud Principem Auraicum, Ordineſque Antvverpienſes vehementer nunc deſiderari, longe notius eſt, quàm vt demonſtrato egeat.

Ex quibus igitur prænarratis omnino euidenter conſtat, quod Sereniſsimus Rex Catholicus omni tempore ſemper fuerit paratiſſimus Populo Belgico optatam pacem verè, clementer, ac paternè largiri; quodque iam integro octennio continuo vniuerſæ ſuæ actiones, & conſilia haud aliud quippiam reuera præ ſe tulerint, quàm puram inuitationem Subditorum ad tempeſtiuam extinctionem belli: ſine qua nec Populus ad veram tranquillitatem peruenire, nec Prouinciæ vſque adeo iam attritæ, vllo vnquam tempore refloreſcere poterunt. Vſque adeo, quod Sua Maieſtas interea temporis nullam vnquam occaſionem ſibi excidere fuerit paſſa, qua non ad inſtar parentis pientiſsimi laborantium Subditorum fluctuationi ſponte occurrens, quiduis eorum alacriter præſtiterit,

quæ ad flectendum populum quomodolibet profutura credidit. Nã
(vt ante dixi) Ducem Albanum cum ſuis ob id, quod Populi gratia il-
los excidiſſe fuerat ſubodoratus, ad ſe in Hiſpanias reuocauit; & qui-
dem ſurrogato Commendatore maiori, homine ad pacis quam belli
negotia longè exercitatiore. Præterea vel leuiter tantum rogatus, mi-
rum dictu, quanta promptitudine ſuos olim Legatos, viros ne-
dum Patritios, & patrios, quinimo & Pacis appetentiſsimos dein-
ceps ad Conuentum Bredenſem ablegarit. Vt nec taceam de ſumma
Gubernaculorum generalium tunc ſponte delata ſupremo Senatui
rerum Status. In quo, vnico tantum Hiſpano togato excepto, cæteri
omnes de gremio vaſallorũ Belgicorum fuere. Miſit inſuper per me-
dios fluctus Regni Galliæ, non ſine termaximo periculo, colendæ
memoriæ Ioannem Auſtriacum, filium vt glorioſæ memoriæ Caroli
Quinti Imperatoris, ita ſuum fratrem longe chariſsimum. Qui con-
ſequenter ſuos Legatos etiam mira alacritate deſtinauit ad Conuen-
tum Louanienſem. Poſtremo etiam eadem ſua Maieſtas me huc deſti-
nauit Coloniam, tamquam periculũ facturus, num quod ſuperiori-
bus medijs protrudi nequiuerit, ſaltem hocce tam excelſo ac ſublimi
medio Cæſareo adhibito, vel tandem poſt tot labores huic negotio
impenſos, felicem exitum ſortiretur.

Econtra vero Princeps Auraicus vna cum ſuis Aſſeclis (quorum
haud dubie fortuna bello ſuſtinetur) nihil aliud in hodiernum vſque
diem præſtitere vnquam quam ſtudio propagandæ ſuæ illegitimę do
minationis corã infelici populo deſiderium pacis publicè quidem ſpe
cioſis verbis oſtẽtare, aſt nihilominus omnes ingenij neruos clã inten
dere, ac tũ vt, quoad eius rei ſit, perpetuo agatur, vſus ad eum finẽ ſtra
tagemate conduplicato: Nã ſicuti totus ſemper fuit in eo, vt quã pro-
fundiſsime imprimeret vniuerſo Populo diffidentiam obſeruationis
promiſſorũ Regiorũ, & ſignãter vero de ſua clemẽtia ac miſericordia,
ita veritus, ne forſan ex eo capite non ſatis robuſta minuſue tuta ſua
cõſilia euaſura forẽt, nihil potius habuit, quã priori laqueo pariter ex
cauſa plantationis nouarũ ſectarũ, etiam ſecũdum ſuperaddere, haud
dubie aliũ potius loco illius ſecundi adhibiturus, ſi modo crediſſet
quicquã excogitabile fuiſſe, quo Regis tanti ſui benefactoris animum
magis percellere magiſue compungere, aut etiã vrere potuiſſet. Eſt e-
nim res vniuerſo Belgio manifeſtiſsima, quã immenſa ſollicitudine
idẽ Auraicus, etiam poſt inchoatũ huncce pacificatorium Conuentũ
laborarit circa fabricationem impiæ, ac monſtroſæ illius vnionis Tra-
iectenſis, & quantopere ſemper conatus fuerit, Religionem Catholi-
cam Romanam vbiuis locorum extirpare, ac illius exercitium tolle-
re: prout ne hoc quidem tempore adhuc ceſſare deſinit. Tantun-
dem ſi ad Pacis conamina reſpexiſſet, iam ante aliquot menſes pa-
ce optatiſsima ſubditi potiti fuiſſent: verum hæc ſuo tempore
curæ erunt Omnipotenti Deo: tantumq́ue ſuffecerit veram origi-

nem continuandæ (proh dolor) calamitatis Belgicæ obiter attigiſſe. Vnde etiam Imperium, parum abeſt, quin vniuerſum, non ſine maximo dolore ſuæ Maieſtatis grauiſsima ſua diſpendia peculiariter patitur. Nec dubium, quin tractu temporis longè grauiora paſſurum, niſi tempeſtiuè ratio quædam ſecura ineatur, qua vel horum motuũ notorij authores ad moderatiora conſilia capeſſenda oportunis medijs pertrahantur, vel ſi omnino contumaces eſſe pergant, etiam inuiti cogantur. Nam vt tantus Rex inter cætera, quæ duriora ab ſe extorqueri patiatur, ea, quæ ex Diametro pugnant, cum ſuo honore, ſuaque conſcientia, & iureiurando oli ..tam frequenter, in ſingulis ſeptendecim Prouincijs adeò deliberatè ab ſe reiterato, vt nec ratio dictat, ita nec inter Principes Chriſtianos, à Maioribus tradita cõſuetudo eiuſcemodi rem adeo fœdam quoquomodo patitur.

Supereſt autem, quàm puriſsimè fieri poterit à me, vt reſpondeatur ad quæſtionem ab Ampliſsimo veſtro conſeſſu mihi iamdudum antea propoſitam. Qua cumprimis à me certiorari poſtulaſtis, quænam mea, aut potius ſuæmet Maieſtatis Catholicæ mens ſit, & voluntas circa Articulos, ad effectum ſedandorum motuum Belgicorũ, iam dudum antea à vobis conceptos, ac deinceps in alterutrum mihi propoſitos, hoc eſt, an acceptandos, an verò illos fore repudiãdos, aut nouarum limitationum, vel ampliationum clauſulis alterandos exiſtimem? Ad quam propoſitionem eo, quo me decet obſequio, reſpondere cupiens, nequaquam celabo veſtras Celſ. quod ab initio, quo primum Articulos vidi non pauca notarim, plus quàm mediocriter diſcrepantia, tam ab articulis à me paulo ante propoſitis, quàm ab ea amplitudine poteſtatis, quam in Belgio ſuæ Maieſt. Catholicæ, tanquam Principi ſupremo, ſemper cõpetijſſe, ac quouis iure deberi exiſtimarim. Quæ tamẽ ipſa nec tanti faciunda iudicaui, quin modò reſpiciẽs ad ſublime illud faſtigium Sac. Maieſt. Imper. tanti Interceſſoris, ſimul etiam ad ingenuum illum candorem, ſummamq; integritatem, quã hocce in negotio V. Celſ. indubitanter verſatos fuiſſe deprehẽdi, longe malim veſtræ omnium communi cenſuræ hac in parte meã ſubijcere, quàm vllius ſeuerioris ſupercilij, aut moroſi diſputatoris notam apud celeberrimũ hunc veſtrum Conuentum incurrere. Quod quidem ipſum tanto magis mihi fugiendum duxi, quanto manifeſtius conſtat, ſuam Maieſtatem Catholicam omnino nihil tam ex animo deſiderare, quàm hæreditarijs Belgicis ſuis Subditis optimè proſpectum, ac pientiſsimè conſultum iri. Dij faxint aliquando, ſecum vt expendere incipiant, quantum reuera interſit inter paternum affectum naturalis Principis ac Domini, & ſimulatam charitatem illius, qui more mercenario, dum ſe populo venditare, aut inſinuare cogitur, illud præſertim ſui compendij gratia fugere tenetur, ne qua reconciliatio inter Principem, & Populum vllo tempore exoriatur. Eſt enim res manifeſta nimis, Principem Auraicum ob præcedentem

dentem tranſactionem, olim ſuper paterna ſucceſsione notoriè celebratam, alibi extra Ditiones Regias non habere locum proprium, vbi ſuo iure eſſe, caputque reclinare, multo autem minus, vbi anxiam vitam ſuſtentare valeat: imo debitorum mole quodammodo oppreſſus, ne quidem in ipſo Belgio latitare poſſet caſu, quo iuſtitia inſtaurata creditoribus conſueta iudiciorum tribunalia paterent. Quocirca vt ſummatim omnia complectar, vtq; etiam ſuæ Maieſtatis Catholicæ ardentiſsimus amor, & affectus erga Subditos cuilibet tanto exploratior euadere queat, dico, & profiteor apertè, quod licet ſupradictos Articulos, à Celſitudinibus veſtris in ſpem reconciliationis, & ſolidæ Pacis Belgicæ nuper conceptos & propoſitos, ſatis ſuperque plenè, tam verbis, quàm factis iam antea acceptarim, maximè verò in ſuſcepta reconciliatione tam Ciuitatis Buſcoducenſis, quàm aliorum diuerſorum Nobilium, & Subditorum particularium: Tamen de nouo, quatenus opus ſit, nomine ſuæ Maieſtatis illos acceptandos cenſeam, proque acceptatis, laudatis, & ſufficienter emulgatis, quantum in me eſt, haberi volo, & cupio. Illud autem ſupremi Colophonis loco ſubijciundum putaui, quod, quicunque hos ipſos Articulos faſtidiat, aut reijciendos arbitretur, is, velit nolit, dum intus ſecum loquitur, confiteri cogitur, ſe Pacis publicę infeſtiſsimum hoſtem hactenus ſemper fuiſſe, ac impoſterum perpetuò fore. Datum Coloniæ decima Nouembris, Anno 1579.

Carolus ab Arragonia ſſt.

Num. LXIX.

RECESSVS REGIS HISPANIARVM CATHOlici Mandatario, Duci de Terra noua, & Ordinum Belgij Legatis, 13. menſis Nouemb. Anno 1579. publicatus.

OPtarent Sac. Cæſ. Maieſtatis Commiſſarij, grauiſsimum hoc Belgicæ Pacificationis negotium, tantis laboribus, moleſtijs, & ſumptibus per tot menſes tractatum, ad eum finem, quem & ſua Maieſtas, & proculdubio omnes expectarunt, perduci; & pacem, priſtinumque nitorem, Belgio, Dei ope, & ſuæ Maieſtatis auctoritate, Dominorumque Commiſſariorum opera, & labore reſtitui potuiſſe. Nihil enim illis gratius contingere potuiſſet, quã ſi ingentis ſumptus, & operæ laborioſiſsimæ negotio huic impenſæ dulciſsimum hunc fructum, videlicet Belgij cum Rege & Principe ſuo legitimo reconciliationem, veramque pacem, quietem, & tranquillitatem producere, & Deo pacis authori, Chriſtianæque Reipub. atque æternitati offerre & conſecrare licuiſſet.

Cùm verò huius voti ſui compotes fieri non potuerint, patienter id, quod mutare non poſſunt, ferendum, & tractationi huic, non eum, quem cuperẽt, ſed quem poſſunt, finem imponendum cenſent. Vt autem varia ſunt hominum iudicia, & quidam forte temeritati adſcribent, quòd graue hoc onus, nulla conciliationis ſpe apparente, ſuſceptum, & protinus non repudiatum ſit. Quidam forte maiorem diligentiam, conceſſionem, vel indulgentiam neceſſariam fuiſſe, Dominosq́ Commiſſarios aliquid prætermiſiſſe affirmabunt. Quidam verò exiſtimabunt, nondum huic tractationi finem imponendum, ſed illos, qui conſilium mutaturi, moram purgaturi, & conditiones pacis hic propoſitas acceptaturi eſſent, vel diutius expectandos, vel viam illis aperiendam, & demonſtrandam fuiſſe, qua ſine vllo impedimento vel ſcrupulo ad optatam pacis metam tandem peruenire, & huius tractationis aliquem fructum, quamuis ſerius, percipere aliquando poſſent. Ita Domini Commiſſarij ad Cæſareæ Maieſtatis & ſuam auctoritatem tuendam, & conſeruandam, & quorundam iudicia conuellenda, aliorum verò ignorantiæ & tardiori pacis acceptationi ſuccurrendum, non potuerunt prætermittere, quin loco receſſus, & concluſionis huius tractatus ea, quæ ſequuntur, tam Catholici Regis Mandatario, Duci de Terra noua, quàm Legatis Ordinum Belgij exponerent.

Et primò quidem ſilentio prætereundum non arbitrantur, quòd eo ipſo tempore, quo ſuæ Cæſ. Maieſtati placuit onus ſedandi hos motus Belgicos humeris eorum imponere, ex tantis turbulentiſſimarum tempeſtatum procellis ac fluctibus, quibus Belgium agitari, et tantum non ſubmergi intellexerunt, aliquem timorem, metumq́ue conceperint, malum hoc tam altis radicibus multorum mentibus infixum eſſe, vt illi efficacia, & ſalutaria remedia adhibere, & tot vulnera, tantum non lethalia per hanc tractationem curare, & ſanare, vel impoſſibile, vel difficillimum futurum eſſet.

Et eam ob rem, aliasq́ nõ leues ob cauſas, varijs excuſationibus tam arduum onus ſubmiſſè, & diligenter deprecari, & euitari conati ſunt. Cæterum ſua Maieſtas tanto, tamq́ue verè paterno erga calamitoſas Belgicas Ditiones affectu, et amore flagrauit, vt à ſententia ſua nullis excuſationibus ſe dimoueri paſſa ſit: ſed toties clementiſſimè ad Dominos Commiſſarios eo nomine ſcripſerit, vt ſuæ Maieſtatis piæ voluntati diutius reſiſtere, nec potuerint, nec debuerint. Eo autem libentius hoc onus ſibi imponi paſſi ſunt, quòd populos Belgicos, vicinos ſuos, lamẽtabili hoc bello per tot annos miſerè attritos, commiſeratione dignos exſtimarunt, ijsq́ ex animo condoluerunt: & ſpem non vulgarem pacis conciliandæ ex eo conceperunt, quòd Regem Hiſpaniarum nihil aliud ab Ordinibus & ſubditis Belgij petere, & exigere intellexerunt, quàm vt Catholica Romana Religio conſeruetur; & Regi ſua auctoritas, & obedientia integra maneat, & præſtetur; quodq́ue ex literis Ordinum Belgij, 8. Ianuarij, Anno 78. ad Cæſaream Maieſtatem datis (quarum exemplar ſua Maieſt. ipſis tranſmiſit) cognouerunt; Ordines Belgij ſuæ Maieſtati ſanctè affirmaſſe, & pollicitos eſſe, quòd nunquam fuerint, nec ſint, nec futuri ſint alterius ſententiæ, quàm vt in Belgio Catholica ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Religio colatur, & ſua Regi conſtat authoritas. Cùm igitur in hoc totius controuerſiæ ſtatu, à Regis ſententia ſancta promiſſio Ordinum Belgij non

differre

differre videretur, tanta ſpes pacis conſtituendæ affulſit, vt Domini Commiſſarij eo promptius & alacrius hoc munus ſuſceperint: præſertim cùm Ordines Belgij in VVormacienſi etiam Conuentu, anno præcedenti celebrato, tam aliorum Principum & Ordinum Imperij, quàm ipſorum Dominorum Commiſſariorum Legatis Patriæ ſuæ calamitates diligenter exponi, ipſorumque auxilium & fauorem implorari, & tam Catholicæ Romanæ Religionis conſeruandæ deſiderium, quàm fidem & obſeruantiam ſuam in Regem Hiſpaniarum allegari curarint; & poſtea etiam pari ratione, quemadmodum per Regem factum, Cæſareæ Maieſtati cauſam hanc ſubmiſerint, & in Colonienſem hanc tractationem conſenſerint. Quis enim non ſperaſſet, parte vtraque circa hunc controuerſiæ ſtatum, in eandem ſententiam concurrente & conſentiente, pacem Dei ope conciliari poſſe? Quis Ordines & Subditos Belgicos tantas Patriæ ſuæ calamitates, & Cæſareæ Maieſtati Imperij Ordinibus, ipſorumque Dominorum Commiſſariorum Legatis exponentes, eorumque auxilium implorantes, vel auctoritati eorum, quorum auxilium implorarunt, parum delaturos, vel ad hunc Conuentum per Cæſaream Maieſtatem indictum, Legatos ſuos ſerius, & ſine legitimo Mandato miſſuros, vel quicquam, quod ad proprias calamitates quàm ocyſſimè amouendas prodeſſe poſſet, prætermiſſuros, cogitare vel diuinare potuiſſet? Quis non ſperaſſet, Ordines & ſubditos Belgij oblationis, allegationis, & ſanctæ promiſſionis ſuæ memores futuros, nihilque facturos vel petituros, quod illis conſentaneum non eſſet? Quis Ordines & Populos Belgicos tam diuturnis bellis attritos & fatigatos, ceſſantibus etiam & ſublatis ſumptorum armorum cauſſis, promptiores ad hoc calamitoſum bellum continuandum, quàm ad pacem benignè oblatam amplectendam futuros exiſtimaſſet? Quis denique ſubmiſſionem vtriuſque partis, Cæſ. Maieſt. pari ratione factam, & expreſſam huius Colonien. tractationis ad probationem tantopere mutandam & reſtringendam, & Cæſareæ Maieſtatis, & Dominorum Commiſſariorum verè paternum affectum, ſtudium atque laborem irritum fore, ſperare vel credere potuiſſet? Quanquam autem Domini Commiſſarij, omnibus his de rebus optima quæque ſperantes, eo ipſo tempore, quod Cæſarea Maieſt. tam ipſis, quàm partibus præfixit, & ſic ante ſeptem integros menſes, ſepoſitis ſuis, ſuorumque Subditorum negocijs, huc ſe contulerunt, & ad tractationem inchoandam, prompti paratique fuerunt; tamen ex parte Ordinum Belgij, nullos hic Legatos inuenerunt, & ob id cum ſolo Regis Mandatario, Duce de Terra noua hic præſente nihil tractare vel agere potuerũt.

Et licet poſt aliquot hebdomadas Legati Ordinum comparuerint, Mandatum tamen minus ſufficiens, & ad ſex hebdomadas reſtrictum exhibuerunt, & in hodiernum vſque diem plenius Mandatum (quantumuis non ſemel petitum & exactum) illis tranſmiſſum, tempuſque prorogatum non eſt. Quæ res tam in ipſo huius tractationis exordio, quàm in progreſſu, ſpem de pace conceptam plurimum labefactauit; & Suæ Cæſ. Maieſt. Dominorumque Commiſſariorum, pium & diligentem conatum, & laborem magna ex parte irritum fecit. Nam vt ex priori vtriuſque partis declaratione, Religionem Catholicam Romanam, & auctoritatem Regis concernente, & ex pari, eaque indefinita potius, quàm ad certum tempus reſtricta ſubmiſſione, magna pacis ſpes affulſit: ita vel in ipſo limine

huius conuentus ex Mandati defectu prioris declarationis & ſubmiſſionis mutatio apparuit, & ſpes pacis (præſertim vniuerſalis) magnopere debilitata, vel potius planè ſublata eſt.

Cùm enim Ordines Belgij, ne de Mandato quidem Legatis huc mittendis dando conuenire potuerint; ſed Arthesij, Hannonien. & quidam alij priori declarationi, & promiſſioni de conſeruanda Catholica Romana Religione inhærentes, ad petendum & defendendum alterius Religionis exercitium, nullos huc Legatos mittere voluerint; ſed cum Principe Parmenſe, alijſque Regijs miniſtris de pace tractare & trāſigere maluerint; Alij verò liberum illud exercitium præcipuè Legatis mandari debere contenderint, illiſque illegitimum, inſufficiens, incertum, ad inſtructionem non exhibitam ſe referens, & ſubmiſſionem indefinitè factam ad ſex hebdomadas reſtringens Mandatum dederint; & præter alias manifeſtas mutationes, & innouationes, inter ſe nouas confœderationes ſtatim in initio huius tractatus, & intra terminū Legatis ſuis præfixū erexerint; & ſic tacitè & ipſo facto Mandatum ſuis Legatis datum, vel reuocarint, vel plurimum labefactarint, & terminum prorogare noluerint, vel ſine conſenſu extraneorum Principum (cum quibus ſe tractationem inijſſe ſcripſerunt) non potuerint: certè tot tantique defectus Mandati, & tantæ diſtractiones & mutationes, non potuerunt non ſpem omnem de vniuerſali pace conciliandа prius conceptam, Dominis Commiſſarijs eripere, eiuſque viam planè præcludere. Hinc enim factum eſt, quòd nec cum Arthesijs, & Hannonienſibus, alijſque nullos hic Legatos habentibus, quicquam de pace tractare, nec illis, ſalua fronte, & inſtructione ſua, & inuito Regis Mandatario, authores eſſe potuerint, vt cum Rege ſuo ſe non reconciliarent, vel à pace cum Regis miniſtris inita reſilirent. Hinc etiam factum eſt, quòd cum reliquarum Prouinciarum Legatis, legitimo et ſufficienti Mandato carentibus, nec de Inducijs, & Induciarum conditionibus, nec de cauſſa principali quicquam certi, vel intra breuiſſimum terminum ijſdem Legatis præfixum, vel poſtea tractare & concludere potuerint. Eſtque ſumma admiratione dignum, quòd illi, qui intra plurimos Menſes, & in hodiernum vſque diem, de formula certi Mandati ſuis Legatis dandi vel mittendi conuenire non potuerunt, totius huius grauiſſimæ controuerſiæ deciſionem intra cancellos ſex hebdomadarum concludere & coarctare conati ſunt; præſertim cum Legati Ordinum eiuſcemodi non tam media, quàm extrema, prioribus promiſſionibus & pacificationibus illis, quas ipſi Legati duodecima Iunij totius huius tractationis fundamentum eſſe allegarunt, parum conuenientia propoſuerunt: vt vel ſenſus communis dictet, tam arduam controuerſiam intra ſex hebdomadas conciliari & decidi non potuiſſe.

Quanquam autem hæc omnia Dominis Commiſſarijs iuſtiſſimam cauſſam præbere potuiſſent, ſaltem poſt præfixas ſex hebdomadas, vel poſt duodecimam Iulij (quo die Legati Ordinum dixerunt, quòd in vllam vlteriorem tractationem progredi nollent, omnem pacis ſpem abijciendi, & protinus hinc diſcedendi: Ne tamen officio ſuo vllo modo deeſſent, vel quicquam prætermitterent, quod Commiſſioni & Inſtructioni Cæſareæ conſentaneum, & ad vicinas Ditiones Belgicas mi-

ſerè

ferè concuſſas & afflictas, à belli flagrantis incendio liberandas prodeſſe poſſet, non ſine tædio, labore; & ſumptibus grauiſſimis, per ſeptem integros menſes hic manſerunt, tractationemque continuarunt. Vtque ex prioribus pacificationibus, varijsq́ ſcriptis & actis intellexerunt, Ordines Belgij non tam ad nouam Religionem inducendam, eiusque exercitium defendendum, quàm ad amouendum ſeuerius quorundam imperium, expellendum extraneum militem, priuilegia conſeruanda, libertatem commerciorum reſtaurandam, & inſolitas collectas, & exactiones auertendas, & ſimiles politicas ob cauſas arma contra Regem, eiuſue miniſtros ſumpſiſſe.

Ita ſummo ſtudio & labore has belli, & ſumptorum armorum cauſas per propoſitas pacis conditiones è medio tollere conati ſunt, vt ita ceſſante cauſa effectus quoque ceſſaret. Et *non dubitant, quin omnes boni & pacis ſtudioſi, confeſſuri ſint, propoſitos politicos pacis articulos, non ſiniſtrè, ſed dextrè & candidè acceptos, et interpretatos, ad tollendas omnes hactenus per Ordines Belgij allegatas calamitoſi huius belli cauſas, cõmodiſſimos eſſe; maximè, cũ Domini Cõmiſſarij ad promouenda illa, quæ ad firmam & inuiolabilem huius pacificationis obſeruationem, & ſic ad vtriuſque partis plenam ſecuritatem forte adhuc neceſſaria, vel vtilia cenſeri poſſent, ſe non ſemel obtulerint.*

Et *ſi quis exiſtimet, præter politicas controuerſias etiam ſeueriora contra alienæ religionis homines decreta, cauſam huic bello dediſſe; is quoque, ſi articulos pacis per Ducem de Terra noua in cauſa Religionis propoſitos, ſyncero animo legat, & perpendat, non poteſt non fateri, per eoſdem talem quoque ſeueritatem ita mitigatam, vt nemo iuſtè conqueri poſſit, Regem ſub prætextu Religionis, vel in corpora ſubditorum ſæuire, vel bona illorum appetere, & confiſcare, vel etiã ipſorum conſcientijs vim inferre velle: ita vt nullam elabendi, & corpora, bona, vel conſcientias ſaluandi viam habeant: niſi contra ordinarium Magiſtratum, & ſic contra ipſius Dei ordinationem cum innumerabilium corporum & animarum periculò bellum gerant.*

Quæ cùm ita ſint, Domini Commiſſarij mirantur non immeritò, quamobrem ad æquiſſimas pacis conditiones, omnem belli continuandi neceſſitatem, & comminatæ priuationis & deſertionis prætextum è medio tollentes, & vel ipſis Legatis Ordinum decimaoctaua Iulij fatentibus, propius ad mentem & intentionem Ordinum accedentes, intra ſedecim hebdomadas ab Ordinibus certum reſponſum, quamuis aliquoties petitum & exactum, non acceperint. Eo excepto, quòd ſoli Buſcoducenſes ſanioribus vſi conſilijs, reſponderunt eaſdem pacis conditiones ſibi placere; & Tranſyſſulani 13. *Septembris reſponderunt, ſe reſolutionem ſuam Dominis Commiſſarijs proculdubiò placituram, ad generales Ordines miſiſſe; & Valencenienſes ſe Regi, & Principi ſuo legitimo reconciliari, & conditiones pacis Artheſijs & Hannonienſibus conceſſas acceptare velle, non obſcurè indicarunt; & in initio Septembris Antwerpienſes, & Brabantiæ ac Geldriæ Status, Ordineſque generales aliquã ſpẽ certi reſponſi, opportuno tẽpore trãſmittendi, Dominis Commiſſarijs fecerunt; & tandem Tornacenſes, Torneſienſes, & Nouiomagenſes, reſponſuum ſuum Antwerpiam tranſmiſſum eſſe, huc ſcripſerunt; & poſtremò etiam ipſi Ordinum Deputati Antwerpiæ congregati, in literis ſuis vice-*

ſima Octobris datis, aliquot dierum dilationem petierunt. Sed cum Buſcoducenſium cauſa iam dum tranſacta ſit, & Dominorum Commiſſariorum præſentiam non requirat; & Valencenienſes vicinis ſuis Artheſijs & Hannonienſibus, cum Rege reconciliatis, ſe maluerint adiungere, quàm Dominorum Commiſſariorum opera vti; & Tranſiſſulanorum, Tornacenſium, Torneſienſium, & Nouiomagenſium reſolutio ex Antuerpia nondum huc ſit miſſa; illiſque & alijs pacem amantibus, etiam hoc conuentu diſſoluto, per viam paulò poſt demonſtrandam ſuccuri poſſit; & Ordinum Brabantiæ, generaliumque Ordinum deputati, in literis ſuis 6. Id. & 10. Septembris Antuerp. datis, ab acerba & odioſa veterum altercationum renouatione & reſuſcitatione, & quorundam iuſtiſſimorum, & ad inducendam veram anteactorum obliuionem, & æqualem omnium recõciliationem planè neceſſariorum articulorum ipſiusque Edicti *perpetui & ſic præcipui ferè fundamenti totius huius tractationis ſiniſtra interpretatione & impugnatione non abſtinuerint, nec opportunum tempus reſponſi tranſmittendi expreſſerint, nec vllam ferè ſpem articulorum acceptandorum, Dominis Commiſſarijs reliquerint, nec illis intra præfixum peremptorium terminum, nec intra tredecim hos dies eundem terminum ſequentes, reſponſum promiſſum tranſmiſerint; nec cuiquam obſcurum eſſe poſſit, quòd multi ad arma potius, quàm ad pacem propenſi, de hac tractatione, articuliſque hic propoſitis, minus candide loquantur, ſcribant, confingant, & publice etiam impreſſis famoſis libellis per totum Belgium, & vicinas Regiones ſpargant; & quid in quibuſdam locis, Ciuitatibus & Prouincijs minus pacificè factum & concluſum ſit; nec Arnhemienſes in literis ſuis decimoſexto die Octobris datis, diſſimularint, quòd malint mortem ſubire, quàm Conditiones pacis hic propoſitas (quas acerbiſſimè & odioſiſſime impugnarunt) acceptare; nec Domini Commiſſarij quicquam vlterius, præſertim in cauſa Religionis, à Rege, vel Duce de Terra noua obtinere, vel illi inuito extorquere poſſint, nec ipſorum negotia per tot menſes ſepoſita & ſuſpenſa admittant, nec reputationi & auctoritati Cæſareæ Maieſtatis conſentaneum ſit, vt ſe hic diutius fruſtra, & ſine vllo fructu detineri patiantur: Nihil aliud reſtare vident, quàm vt tandem tractationi huic finem imponant, hinc diſcedant, & totum negotium Deo Optimo Maximo, Sacræ Cæſareæ Maieſtati (cui omnia fideliter relaturi ſunt, & ipſis partibus commendent. Diligenter interim & ſedulò Ordinum Legatos) adhortantur, vt quantum in ipſis erit, ex ſuorum animis diffidentiam, exaſperationem, & omnem ſiniſtram ſuſpicionem,' à ſuæ Cæſareæ Maieſtatis, & Dominorum Commiſſariorum animis, & proculdubio etiam à Catholico Rege alieniſſimam, eximere, ipſiſque perſuadere conentur, vt à diuturnis tempeſtatibus, procelliſque bellorum ad humanioris vitæ quietem, & tranquillitatem tranſitum faciant, & citra longiorem moram, maximo ſuo commodo, & incredibili calamitoſæ multitudinis, & vniuerſi Orbis letitia, ſuæ Cæſareæ Maieſtati, vel Regi Catholico, vel Miniſtro eius ſignificent, ſe articulos pacis hic propoſitos acceptare velle; vt ita diſſolutum etiam hunc conuentum, dulcem eius fructum percipere, perque pontem hic conſtructum, vel demonſtratam ſalutarem tabulam, ex tam vaſto infinitorum malorum pelago, & præſentiſſimo*

mo naufragio ad veræ quietis & tranquillitatis portum tranſire velenatare, & ſub placido & miti Regis ſui Imperio & gubernatione, priſtinam felicitatem recuperare, ac & veræ ac diuturnæ pacis innumeris cōmoditatibus frui poſſint. Quod Domini Commiſſarij Belgicis Ditionibus ex animo optant & precantur. Et vtrique parti beneuolentiam, amicitiam, & promptum gratificandi ſtudium offerunt: nihil amplius ab eis petentes, vel expectantes, quàm vt ſuæ Cæſ. Maieſt. & Dominorum Commiſſariorum pro ſalute Belgij ſuſceptum laborem, ſtudium, ſumptus, & operam non vulgarem æqui boniquc conſulant. Et ſyncerè ac candidè potius, quàm ſiniſtrè, & in deteriorem partem interpretentur; & in pacem, vel conditionibus hic propoſitis, vel, ſi malint, ea via, quam Arthesij & Hanonienſes ingreſſi ſunt, conficiendam, omnes neruos intendere, omnemq́ operam collocare non deſiſtant. Publicatum Coloniæ xxiij. Nouembris, Anno Dominicæ incarnationis milleſimo, quingentoſimo, ſeptuageſimonono.

Gebhardus Electus Colonienſis
manu propria ſſt.

Iacobus Archiepiſcopus Treuirenſis
Princeps Elect. ſſt.

Iulius Epiſcopus VVirtzburgenſis,
Franciæ Dux ſſt.

Otto Henricus Comes in Schvvärtzemberg ſſ.

Iohannes Lavvermannus ſſt.

SEQVVNTVR QVAEDAM EX GERMANICO IN LATINVM SERMONEM TRANSLATA, QVAE IN eorum gratiam, qui Germanicæ Linguæ imperiti ſunt, hic ad calcem adiecimus.

Inter Exhibita, Pagina I. Num. I.

NOs VVilhelmus, Dei gratia, Dux Iuliæ, Cliuiæ, Montenſis, Comes Marchiæ, ac Rauenſpergi, Dominus in Rauenſtein, &c. notum facimus omnibus & ſingulis: Poſteaquam Romani Imperij Cæſarea Maieſtas, Dominus noſter clementiſsimus, præter alios quoſdam ſuæ Maieſt. Commiſſarios, ratione præſentis per Maieſt. ſuam in Sacri Romani Imperij Ciuitate Colonienſi inſtitutæ, ac nouiter inchoandæ Inferioris Germaniæ cauſa Pacificationis tractatione in Commiſſarium clementiſsime nos deputauerit, & ex cauſis nos mouentibus, noſtris Conſiliarijs huiuſmodi Commiſsionem loco noſtro conceſſerimus ac permiſerimus: quòd nos in eum finem præſentes, honeſtos & charos Conſiliarios & fideles noſtros Vernerum de Gimmenich, Archiſatrapam Ducatus noſtri Iuliacenſis, Ioannem Lavverman, & Hermannum Rinck, Præpoſitum Cliuenſem, vtrumque iuris Licentiatum, loco noſtro ſubdelegauerimus; dantes illis plenarium Mandatum ac Commiſsionem, præfatæ tractationi commorandi, & omnia illa, quæ nos vigore Cæſ. Commiſsionis, vel aliàs pro rei requiſitione in propria perſona facere deberemus aut poſſemus, ſedula ac fideli diligẽtia loco noſtro faciendi & exequendi pro eorum ſaniori iudicio & poſſe, in ſe ſe vt nihil requiri patiantur. Quemadmodum etiam nos illa, quæ præter cæteros Cæſareæ Maieſt. Cõmiſſarios tractauerint, egerint, ac concluſerint, rata habemus, ac (vt decet) pro noſtra parte approbamus, omni dolo excluſo, Sigilli noſtri ſecreti teſtimonio. Datum Duſſeldorpij, ſub noſtro conſueto chirographo, die Lunæ 28. Martij, Anno 1579.

VVilhelmus Dux Iuliæ, &c.

P. Langer ſſt.

Exhibitorum pag. 1. Num. II.

POſtquam ab Imperatoria Maieſt. Domino noſtro clementiſsimo nobis, ac Illuſtriſs. Principi ac Domino, Domino Vvilhelmo, Duci Iuliæ, Cliuiæ, & Montenſi, &c. Principe ac Domino noſtro clementiſsimo, demandatum, commiſſum, & iniunctum ſit, nos huc Coloniam conferre, & Cæſ. Maieſt. nomine, Pacificationis tractationem inter Regiam Dignitatem Hiſpaniarum, & vos Generales Inferioris Germaniæ Status incipere ac inchoare, ad declarandam erga Cæſaream Maieſt. noſtram obedientiam, erga partem vtramque amicitiam ac voluntatem, erga pacem ac tranquillitatem noſtrũ affectum, præſentem tractationem maximo noſtrorum incommodo, nobis committi permiſimus. Et proinde poſt noſtrum aduentum, vos amicè, beneuolè, officioſè, ac diligenter requirendos exiſtimauimus, vt vos ad pacificationis tractationem parare, & eius qualitatis perſonas ex vobis cum plenaria & ſufficienti Commiſsione ac Mandato ſine mora huc ablegare velitis, quo tractationem diuina gratia mediante, bonum initium ſeu principium ſtatui, ac fideliori progreſſu ad expectatum finem pacificationis negotium perduci poſsit. Ad cuius rei effectum Cæſareum hic vobis publicum Saluum cõductum tranſmittimus, & indubitatam ſpem vobis facimus, nos in præſenti tractatione ita acturos, vt æquitati non defuiſſe videamur, ac in nobis nihil requiri poſsit: cùm vobis beneficium præſtare ſimus quàm paratiſsimi. Coloniæ 11. Aprilis, Anno 1579.

Domi-

Domini Commiſſarij ſcribunt ad Generales Status Inferioris Germaniæ.

Pag. 2. Exhibitorum. Num III.

NOS Iacobus & Gebhardus Dei gratia Archiepiſcopi, Treuirenſis, Electus Colonienſis, Sacri Rom. Imperij per Galliam, Regni Arelatenſis, & per Italiam Archicancellarij, Principes Electores, Dux Vveſtphaliæ & Angariæ: Iulius Epiſcopus Herbipolenſis, Dux Franconiæ. Vvernerus Dominus in Gimmenich, Archiſatrapas Ducatus Iuliacenſis: Ioannes Lavvermannus, & Hermannus Rinck, iuris Licentiati, & Præpoſitus Cliuenſis, Illuſtriſ. Principis Iuliæ, &c. ad hanc tractationem ſufficienter ſubdelegati Conſiliarij: Otto Henricus Comes in Schvvartzenberg, Dominus in Hohenlanſperg, Sac. Cæſ. Maieſt. Conſiliarius, & ſupremus Aulæ Marſchalcus, denunciamus Illuſtriſsimis, Reuerendis, Generoſis, Nobilibus, Honoratis, Circumſpectis, ac Prudentibus viris, Generalibus Statibus Inferioris Germaniæ noſtra officia, fauores, ac obſequia paratiſsima, hoc noſtro ſcripto ſignificãtes: Quòd, poſteaquam Potentiſs. & Inuictiſs. Princeps ac Dominus, Dominus Rudolphus II. Electus Sac. Rom. Imp. Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Vvirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Dominus noſter clementiſsimus, nobis Pacificationis tractationem inter Illuſtriſs. Potentiſsimumq; Principem ac Dominum, Dominum Philippum, Regem Hiſpaniarum, &c. Dominum noſtrum dilectiſsimum, amicum & Dominum clementiſs. ab vna parte, & inter V. Dilectiones ab altera parte, clementiſsimè commiſerit ac mandarit, & nos ad eam, quam debemus Cæſ. Maieſt. obedientiam, erga Regiam Dig. Hiſpaniarum, & vos ipſos fauorem, erga Reipub. verò tranquillitatem ac vtilitatem, affectionem noſtram declarandam, & præcipuè quò vtramque partem è pernicioſa diſſidẽtia & ſumma difficultate in tranquillitatem, pacem, ac concordiam reducere ac conſtituere valeamus, negotium graue, ac onus difficillimum haud grauatè ſuſcepimus, atq; ea cauſa diebus præteritis ad locum à Cæſ. Maieſt. deſignatum, Coloniam ſcilicet, perſonaliter conuenimus, & quod ſtatim apud nos veſtro nomine per quoſdam è noſtris, deinde etiã per veſtros Mandatarios Cæſareus Saluus conductus, quò ex vobis vel veſtro nomine Coloniam ad tractationem ſeu negotium Pacificationis qui ablegarentur ſeu deputarentur, certò ac tutò pro ſuo corpore, ac bonis, & miniſtris, & quos ſecum habere contigerit, ſiue terra, ſiue mari huc illucq; proficiſci poſsint, requiſitus eſſet. Quod itaque Cæſ. Maieſt. Dominus noſter clementiſs. nos ad eiuſcemodi pacificationis tractationem delegauerit, & ad tractationis huius vtilia vel neceſſaria exequenda Cæſaream ſuam poteſtatẽ nobis clementiſsimè mandauerit ac commiſerit, & nos Illuſtriſs. Principis Iuliæ, &c. Domini noſtri clementiſs. ſubdelegati Conſiliarij, plenaria Commiſsione ſeu Mandato inſtructi huiuſcemodi æquam, & iuſtam petitionem veſtram vobis denegare nullo pacto voluimus. Fatemur itaque, ac notum facimus hiſce præſentibus propalam omnibus, & ſingulis vigore harum patentium literarum, quòd nos loco, & nomine Cæſ. Maieſt. Domini noſtri clementiſs. cuius perſonam in præſenti cauſa nobis delegatæ Commiſsionis repræſentamus, omnibus, & ſingulis Dilect. ac Celſ. veſtrarum Legatis, Mandatarijs, Procuratoribus, Commiſſarijs, ac ad pacificationis imminentis tractationẽ iam Deputatis, ſiue in poſterum deputandis, ordinandis, conſtituendis vel ablegandis, cuiuſcunq; etiam dignitatis, ſtatus ac qualitatis ſint futuri, certum ac tutum, ſecurum ac firmum Cæſareum Saluum conductum: idq; deliberato ac maturo conſilio dedimus ac conceſsimus, damus ac concedimus inſuper tenore præſentium literarum eo modo, quod V. Dilect. ac Illuſtr. Celſ. veſtri Legati, Mandatarij, Procuratores, Commiſſarij aut Deputati ſuo corpore, hominibus, miniſtris ac famulis, bonis, & cum ijs coniunctis, quoſcunq; ſecum habere contigerit, vel equites, vel pedites, vel terra vel mari, ſecurè, certò, tutò, ac ſine metu Coloniã ingredi poſsint, ibiq; ad eorum commoditatem ac neceſſitatem commorari, & quoties ipſis libuerit, eorumq; negotia requiſiuerint, ad ſuos redire, vel remeare certò, tutò, ac ſine periculo poſſint, ſuumq; Mandatũ exequi, ac ſuis negotijs ipſis inſeruire liceat, omni

impedimento excluſo & ſublato. Mandamus igitur vigore Cæſarei in hac cauſa Mandati ſeu Commiſsionis noſtræ omnibus,& ſingulis Sac. Rom. Imp. Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, ciuitatũ Rectoribus, Cõſulibus, Conſiliarijs, Ciuitatibus, Communitatibus, & omnibus Rebuſpub. Cæſ. Maieſt. Domino noſtro clementiſs. ſubditis, ac ad illud pertinentibus Ordinibus, & Subiectis, tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus ac qualitatis exiſtant, ſub pœna Cæſ. Maieſt. neglecti Mandati irremiſsibili. Ad nos verò quod attinet, omnes cuiuſcunq; ſtatus, fraterne atq; amice requirimus, ac monemus, vt velint præfatis Inferioris Germaniæ Statuum huc deputatis Legatis, Mandatarijs, & Commiſſarijs, eorum hominibus, miniſtris, corporibus, ac bonis, & quos ſecum traduxerint, hunc Cæſareum Saluumconductũ firmum, purum, certum, & ſine vllo metu aut periculo ſeruare, eoſq; nullo modo perturbare, vllo damno vel impedimento afficere, vel ab alio affici permittere aut ferre nullo quocunque modo, ſed certò, ſecurè, ſine metu cum ſuis corporibus, hominibus, miniſtris, bonis, terra marique tranſire, huc illucque proficiſci permittant, ea indubitata ſpe, illos omni requiſita modeſtia, prout illis, qui Saluoconductu vtuntur, conuenit, vſuros, omni dolo & fraude excluſa. In eo præter æquitatẽ & quod deceat erga Cæſ. Maieſt. ſuã obedientiam omnes, qui huic Saluoconductui paruerint, declarabunt, vt par eſt, ſuum erga nos amorem, beneuolentiam & amicitiam. Datum Coloniæ xj. April. 1579.

Exhibitorum pag. 5. Num. IIII.

NOS Gebhardus Dei gratia, Electus Archiepiſcopus Colonienſis, Sacri Rom. Imperij per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Dux Vveſtphaliæ, & Angariæ, notum facimus omnibus & ſingulis: Poſteaquam Sac. Cæſ. Maieſt. Dominus noſter clementiſs. ex Chriſtiano pacis auido zelo, ſeu paterno affectu, quò difficiles bellicæ perturbationes ac motus Burgundicarum Inferiorum hæreditariarum Prouinciarum penitus & in vniuerſum tolli poſsint, pax & tranquillitas denuò reduci ac plantari queat, ad vtriuſque partis conſenſum, pacificationis tractationem in ciuitate noſtra Colonienſi inſtituerit ac indixerit, & nos præter cæteros noſtros fratres, nepotes, & conſanguineos cum Electoribus ac Principibus, noſtris dilectis Dominis, & amicis noſtris ad eam requiſiuerit, ac deputauerit commiſsionem, ad obedientiam & ſubmiſsionem, qua Cæſ. Maieſt. obſtricti ac obligati ſumus, & ad affectũ noſtrum erga Reipub. & præfatarum Prouinciarum proſperitatem declarandã ſuſcepimus. Verùm quod ab Illuſtriſs. Principe, ac Domino, Domino Matthia, Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, VVirtembergæ, &c. Comite Habſburgenſi, & Tyrolis: præterea ab Illuſtriſs. Reuerendis, Honorabilibus, Doctiſsimis, ac Prudentibus Generalibus Statibus earundem prouinciarum, amicis noſtris, Saluus conductus, quò eorum Deputati ac Legati certò ac tutò per noſtras Prouincias ac Dominia ad deſignatum pacis tractandæ conuentum ac locũ proficiſci poſsint, tam ſcripto quàm verbis requiſitus ſit: Quòd nos idcirco nominatis Legatis ad deſignatum diem & locũ cum ſuis miniſtris, ac alijs ad profectionem neceſſarijs rebus per noſtrum Archiepiſcopatum, & Dominia, terra & mari proficiſci ac trãſire certò ac tutò poſsint, Saluoconducto conceſſerimus ac aſsignauerimus, & tenore harum patentium literarum etiamnum concedimus ac aſsignamus pro nobis, noſtris prouincijs, vaſallis, ſeu fidelibus ac ſubditis, & pro ijs omnibus, qui in noſtra poteſtate ſint, noſtraque voluntate quid facere aut permittere debeant, aut velint. Ea tamen ratione, vt præfati Statuum Legati cum ſuis, & ſibi adiunctis, erga ſubditos noſtros abſq; damno & incommodo eorum, vt par eſt, ijs, qui Saluumconductũ obtinuerunt, ſe gerant. Mandamus igitur omnibus, & ſingulis noſtris Satrapis, ac Officiarijs, Præfectis, Scholtetis, Telonarijs, Cõſulib. Cõſiliarijs, & in cõmuni omnibus Officiarijs noſtris, citra vel vltra Rhenum, ſeriò & diſtrictè, & volumus præfatis Statuum inferioris Germaniæ Deputatis & Ablegatis hunc noſtrum datum ac conceſſum Saluumconductum firmiter & inuiolabiliter vt ſeruent, nec vlla ratione permittant, ſi videlicet ſeſe (vt ſupra declaratum) gerant, vllum illis damnum inferri, aut vlla incommoditate illos affici patiantur, ſub pœna tranſgreſsionis Mandati noſtri. Ita enim man-

datum ac voluntatem noſtram fideliter exequentur, Sigilli noſtri ſecreti adhibita corroboratione. Datum in Ciuitate noſtra Colonienſi 8. Aprilis, 1579.

Gebhardus manu propria ſſt.

Ioan. Kempt ſſt.

Exhibitorum pag. 6. Num. V.

NOS VVilhelmus, Dei gratia, Dux Iuliæ, Cliuiæ, Montenſis, Comes Marchiæ, & Rauenſpergi, Dominus in Rauenſtein, &c. notum facimus, & ſignificamus noſtris Archiſatrapis, Satrapis, Præfectis, Iudicibus, Scholtetis, ac Conſulibus, Conſiliarijs, Rebuſpublicis Ducatuum ac Prouinciarum noſtrarum omnibus, & ſingulis, cuiuſcunque dignitatis, qualitatis vel ſtatus fuerint, ad quorum manus hæ literæ peruenerint, vel ijs requiſiti fuerint: Qualiter & quomodo Illuſtriſs. Princeps, dilectiſsimus noſter Nepos & Affinis, Dominus Matthias, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Vvirtembergæ, Comes Habſpurgi & Tyrolis, nobis vnà cum Generalibus Statibus Inferioris Germaniæ ſcripto declarauerit, ſe Coloniam ad præſentem pacificationis tractationem ſuam Legationem ablegare cõſtituiſſe, & proinde ſe noſtrum Saluum conductum illis impartiri vt haud grauatè velimus, amicè petere, ac requirere; in re tam vtili, tamq; fructifera eorum voluntati quod acquieſcere nobis conuenerit. In illum finem omnibus & ſingulis noſtris Satrapis, Officiarijs & ſubditis diſtrictè mandamus, præfatam Legationem cum omnibus ſuis miniſtris, equis, & alijs rebus ad ipſos pertinentibus, quòd ſi per noſtros Ducatus, Terras & Dominia noſtra, terra vel mari tranſire contigerit, vt non ſolum eos Saluiconducti iure habeant, vel excipiant, ne ſcilicet retardentur aut impediantur, ſed etiam ad eorum requiſitionem comitatu ac viuo Saluoconducto illis vt prouideant, minimeque ferant ne vis aliqua ijs inferatur, ſed econtra omne iuuamen ac præſidium exhibeatur ac præſtetur. Quemadmodum hoc ab omnibus, & ſingulis noſtris futurum confidimus, atque ita noſtræ ſententiæ & voluntati ſatisfiet. Ad fidem faciendam conſueto noſtro more hæc ſubſcripſimus, & ſecreto noſtro ſigillo ſubſignauimus. Datum ex Arce noſtra Monreberga, decima menſis Aprilis, Anno 1579.

VVilhelmus Dux Iuliæ ſſt.

Exhibitorum pag. 8. Num. VII. Item Exhibitorum pag. 10. Num. VIII. ſolum mutandis mutatis Statuum nomine, eiuſdem tenoris literæ fiduciariæ Legatis datæ.

REuerendiſſimi Electores ac Principes, Reuerendi, Nobiles, ac docti obſequium, fauorem, ac beneuolentiam noſtram ante omnia vobis offerimus. Poſteaquam Sac. Cæſ. Maieſt. Domino clementiſs. ac fratri noſtro ex Chriſtiana & paci mirum in modũ addicta paterna affectione, præuia Regiæ Dignitatis Hiſpaniarum voluntate & conſenſu diuina gratia, per Maieſt. tamen eius interceſsionem in vrbe Colonienſi pacificationis tractationem inchoandam eſſe, Sacræ Cæſareæ Maieſtati placuerit, & has perturbatas Prouincias, eorumque ſubditos ab hoc diutino ac nocentiſsimo bello liberandas, quo pax ac tranquillitas conſtitui poſsit: Ad quem finem etiam Dilectiones veſtræ, ac vos cæteri in propria perſona parati & prompti Coloniam comparuiſtis. Et quod nos præter Generales Status harum Prouinciarum nihil melius aut optabilius à Deo Omnipotente, quàm firmam ac pacem ſolidam, Diuinæ voluntati conformem expectare aut ſperare poſsimus, ſperemus etiam ac exoptemus: Ad pacificationis commemoratam tractationem Illuſtriſsimum Principem Philippum de Croy, Regiæ Dignitatis Hiſpaniarum, & cæt. Equitem aurei Velleris, Ducem Arſchotiæ,

Principem Chimay & Porciennæ, Comitem in Beaumont & Senningen, &c. Auunculũ noſtrum, etiam Reuerendos, Nobiles ac doctos, dilectos noſtros, Ioannem de Linda, Prælatum S. Gertrudis Louanij, Fredericum de Diue, Prælatum in Maroille, noſtros & Conſilij Statuum Conſiliarios, Buchonem Aittam, Præpoſitum S. Bauonis Gandaui, & Archidecanum Iperenſem, Caſparem Schetz, Dominum in Grobbendonck, Principalem ſeu Theſaurarium Generalem Financiarum, Franciſcum Doignes, Dominum in Beaurepaire, Beaumont, &c. Adolphum à Meeckercken, noſtrum & Conſilij Statuum Conſiliarium, Adrianum de Myla, vtriuſq; iuris Doctorem, Bernardum de Merode Equitem, Dominum in Rumme, & Aggæum Albadam, vtriuſq; iuris Doctorem, Coloniam cum inſtructione & plenaria commiſsione ablegauimus: vt Dilect. V. ab ijs præſentibus, & coràm conſtitutis intelligent. Requirimus interim V. Dilect. & vos ipſos amicè, vt velint his noſtris & Statuum Legatis non ſolum in ijs, quæ ab ipſis commemorabuntur, & quæ vobis noſtro nomine propoſituri ſint, vt nobis ipſis plenariam fidem habere, ſed ad ea ita ſeſe ijs exhibere ac declarare velle, vt veſtris Dilectionibus, Electoribus ac Principibus, & præcipuis Sac. Rom. Imp. membris ſeu Ordinibus, ad harum Regionum ſolatium ac paci ſalutari conſtituendæ ac firmandæ conueniat, & prout rei rationem id requirere cognoſcitis. Quod etiam à vobis futurum ſperamus, ac confidimus, cum oblatione noſtrorum officiorum. Datum Antvverpiæ 24. Aprilis, Anno 1579.

Matthias Dei gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, &c. & a Generalibus Inferioribus Statibus vnanimi conſenſu receptus & electus Gubernator, & Capitaneus Generalis.

Matthias ſſt.

I. à Langen ſſt.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs. Illuſtriſs. Sac. Rom. Imperij Principibus, ac Dominis, Electoribus, Generoſis, Nobilibus, Sac. Cæſ. Maieſt. Commiſſarijs, paci per Belgium conciliandæ Delegatis.

Coloniæ.

Exhibitorum pag. 72. Num. XXXI.

Illuſtriſsimi, Reuerendi, Generoſi, Nobiles, Venerabiles ac docti amici ac Domini: Nos minimè dubitamus, Dilectiones veſtras ex literis noſtris, atque etiã rumore ipſo deferente intellexiſſe, nos Coloniam vigore Cęſareæ Commiſsionis, ad Pacificationis tractationem Dei nomine inchoandam, conueniſſe ac comparuiſſe, nec nos Dilect. V. neque veſtro nomine ablegatos tempore definito & conſtituto loco, ibidem, vt par erat, reperiſſe, ſed ad ſeptimanarũ aliquot ſpatium nõ leui noſtro damno expectauiſſe. Et quamuis nullum nobis dubium ſuboriretur veſtras Dilect. ſeu veſtros Deputatos ad Cæſ. Maieſt. Domini noſtri clementiſsimi paternam ac zeloſam requiſitionem cum ſufficienti Mandato ac Commiſsione, quemadmodum à Regię Maieſt. Hiſpaniarum parte maturè factũ, veſtros huc ablegandos eſſe, præter ſpem tamen noſtram aliter euenit, quod à vobis ipſis & veſtris Legatis exhibitum Mandatum præter cæteros defectus, quos & veſtris Legatis declarauimus, ac explicauimus, limitatum eſſet, ac vlterius ſeſe, quàm ad ſex ſeptimanarum interuallum, à die exhibitionis mediorum, ſeu Articulorum pacificationis veſtrorum Legatorum initium faciendo non extenderet, ac prorogaretur. Intra quod temporis ſpatium, licet omni diligentia ac labore in hoc Pacificationis negotio pertractando progrederemur, præſentis tamen tractationis exoptatum finem præter noſtram etiam expectationem aſſequi vel contingere minimè tamen potuimus. Quod itaque præfatum tempus ac terminus, in Mandato aſsignatus, iam maiori ex parte effluxerit, Sac. Cæſareæ Maieſtatis, Domini noſtri clementiſsimi nobis delegatam Commiſsionem ſine fructu ac commodo dilabi minimè nobis vel ferendum vel admittendũ ſit, Sed quod ad veſtrarum Dilectionum propriũ emolumentum, ac ad communem ve-

ſtram

ſtram vtilitatem res hæc ſpectat, ſalutarem ſucceſſum, finemq́; proſperum vt cõſequatur, duximus, hæc ipſa vt animo reuoluant, Dilectiones V. requirendas, ac ab ijs petendũ eſſe, vt Legatis ſuis, quos eius ſępiſsimè admonuimus ac requiſiuimus, non ſolum terminum conſtitutum, ſex ſcilicet ſeptimanarũ, negotij conficiendi aut conſummandi prorogẽt, ſed etiam per ordinarium Mandatum cum neceſſarijs requiſitis, ac ſine vlla limitatione, ne eius rei cauſa defectus appareat, & negotium inchoatũ aut impediatur, aut euertatur, ijs tranſmittant: & in eo, ac alijs etiam huius rei tractationibus ita ſeſe declarent & exhibeant, quo veſtrum ad pacem affectum, eiusq́; deſiderium omnes haud difficulter intelligant. Quod à veſtris Dilectionibus, prout res ipſa requirit, & flagitat, futurũ ſperamus; ac omni officiorum genere ac fauore, præterea veſtras Dilectiones proſequi afficereque ſtudemus, cum vlteriori oblatione officij noſtri. Datum Coloniæ 26. Iunij, 1579.

Generalibus Statibus Inferioris Germaniæ.

Literis ſcedula quædam huius tenoris implicata fuit.

QVod nos à V. Dilect. ac Celſitud. Legatis etiam nuper ſpe aliqua affecti fuerimus, ſe ſcilicet à Duce de Terra noua exhibita Pacificationis media & articulos vobis, quorum etiam copia ex abundanti adhibita, tranſmiſiſſe, petimus & obnixè rogamus, ne reſolutionem veſtram ſuperijs diutius differatis, ſed eam cum præfata Commiſsione ac Mandato plenario & prorogatione, etiam ſine vlteriori mora nobis tranſmittatis. Datum vt in literis.

Exhibitorum pag. 105. Num. L.

Reuerendiſs.. Illuſtriſs. Generoſi, ac Nobiles, & Honorati cumprimis Domini.

LIteras Celſ. ac Amplitud. veſtrarum, datas 5. Auguſti, cum copia ſeu exemplari Articulorũ Pacificationis accepimus, quas, qua decet, reuerentia, heri ſuſcepimus, ac diligenter inſuper perlegimus, atq; ab initio pro ſingulari affectu, ſollicitudine ac labore ſuſcepto Prouinciarum communi tum etiam noſtrum nomine cum omni ſubmiſsione & reuerentia veſtris Celſ. ac Amplitud. magnas agimus & habemus gratias. Quod autem in veſtris literis aliarum quarũdam literarum tranſmiſſarum mentio fiat, nullas nos hactenus, præterquam iſtas, quarum meminimus, accepimus: ac voluimus, interim conuocatione facta, pro reſolutione ad eas obtinẽda diligenter laborare. Obnixè interim Celſ. ac Amplitud. V. rogamus, eo affectu ac præſtita diligentia negotium Pacificationis vt continuare velint, quo generales & particulares Prouinciæ ad firmam & exoptatam pacem iam tandem peruenire queant. Deo Opt. Max. V. Celſ. ac Amplitud. commendamus. Datum è Prouinciali conuentu in ciuitate Zvvollenſi. Actum ſub Sigillo eiuſdem Ciuitatis, quo pro hac vice vſi ſumus, die 14. Auguſti, Anno 1579.

V. Amplitud. obſequentiſs. Prouinciales, ac Nobilitas, & Ciuitates Tranſyſſulanæ.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs. Illuſtriſſ. ac Generoſis Principibus, ac Dominis, Sac. Ceſ. Maieſt. paci Belgicæ conſtituendæ Commiſſarijs, Coloniæ congregatis, Dominis noſtris obſeruandiſs.

Exhibitorum pag. 106. Num. L I.

Reuerendiſs. Illuſtriſs. Generoſi, ac Nobiles, & Honorati Domini.

VEſtras Celſ. & Amplitud. latere nolumus, qualiter nos in ciuitate Zuollenſi in Prouinciali cõuentu Articulos Pacificationis conſtituendæ nobis primũ, deinde etiã ab Illuſtriſs. Archiduce Auſtriæ, Gubernatore, & à Generalibus Statibus harũ Inferiorum hæreditariarum Prouinciarum trãſmiſſos receperimus, atque eos in conſultationem ac deliberationem adduxerimus, ac diligentiſsimè etiam expenderimus, noſtramq;

reſo-

reſolutionem in ſcriptum redactam ad Illuſtriſs. Archiducem ac Generales Status tranſmiſerimus, quam noſtram reſolutionem ab ijs V. Celſ. & Amplitud. tranſmittendam eſſe putamus: interim reſolutionem noſtram talem eſſe ſignificamus, vt V. Celſ. eam minimè diſplicituram eſſe ſperemus ac confidamus. Submiſſe interim petimus V. Celſ. & Amplitud. manum diligenter adhibere, atque ita in negotio ſuſcepto pacis tractandæ progredi velle, illudque ſine tædio ac moleſtia continuare, quo Generales hæ Prouinciæ ad bonam, firmam, ac Chriſtianam diu exoptatam pacem tandem peruenire valeant. Qua in re Celſ. & Amplitud. V. nobis, vt membris ad Sacrum Rom. Imperium pertinentibus, opus Chriſtianis Principibus dignum præſtabitis. Quod nos omni officiorum genere rependendum exiſtimamus. Deo Opt. Max. Celſ. & Amplitud. V. hiſce commendamus. Datum è Prouinciali Conuentu noſtro è Ciuitate Zuollenſi, ſub Sigillo eiuſdem Ciuitatis, quo hac vice vtimur, die 13. Septemb. 1579.

Reuerendiſs. ac Illuſtriſs. Celſitud. V. deditiſſimi Nobiles & Ciuitates Prouinciæ Tranſyſſulanæ.

Superſcriptio talis erat,

Reuerendiſs Illuſtriſs. ac Generoſiſſimis Principibus, ac Dominis, Sac. Cæſ. Maieſt. Commiſſarijs, paci Belgio conſtituendæ Coloniæ congregatis, Dominis obſeruantiſs.

Exhibitorum pag. 107. Num. LII.

Sac. Cæſ. Maieſt. Domini noſtri Clementiſsimi Coloniæ congregati Commiſſarij.

VEſtras ſecundas literas Zuollæ datas, 13. huius recepimus, atque ex ijs intelligimus, vos in Conuentu Prouinciali à nobis tranſmiſſos Pacificationis Articulos in deliberationem ac conſultationem admiſſos, matura deliberatione expédiſſe, ac examinauiſſe, & ſuper ijs reſolutionem ſcripto comprehenſam Illuſtriſſimo Principi Domino Matthię, Archiduci Auſtriæ, amico ac Domino noſtro Clementiſſimo, Generalibus ſimiliter Statibus tranſmiſiſſe, ea ſpe, quòd reſolutionem eam huc ad nos iam tranſmiſſam eſſe, eamque ita moderatè digeſtam, vt nobis minimè diſplicituram exiſtimaretis. Ad hæc vobis reſpondendum eſſe exiſtimauimus, præter ſpem & expectationem noſtram Articulis 18. Iulij proxima præſentibus Statuum Legatis communicatis, & conſequenter Statibus diligenter admonitis, ad hoc vſque tempus finalem reſolutionem, vel dilatoriam ſaltem reſponſionem nullam nos hactenus recepiſſe, excepto eo, quòd Ciuitas Buſcoducenſis iam ante aliquot tempud ſibi Articulos à nobis tranſmiſſos placere, ſeq; cum Regia Dignitate, vt naturali ſuo Domino ac Principe reconciliari, ac in gratiam redire velle conſtituiſſe. Proinde nobis minimè diſplicere, neque inconueniens fore iudicamus, veſtram reſponſionem ſeu reſolutionem, quam ſperamus ad veſtram inſinuationem ac rerũ præſentium ſtatũ non infrugiferã negotio Pacificátionis fore, nobis huc tranſmitti. Quod aũt negotia longiori protelatione differantur, & peſtis cõtagio ſeu lues aerem inficiat, ac familiæ ſeu clientelæ noſtrę quoſdã iam inuaſerit, nobis conſtitutum eſt, non ita diu nos hic moraturos eſſe, quod etiam Generalibus Statibus ſignificauimus: terminum illis conſtituentes, quo ſuam ſententiam ac reſolutionem finalem ad diem 18. Octobris menſis ſequentis ſcilicet, explicẽt. Quod ſi vobis itaque placuerit veſtram reſolutionem interea temporis nobis huc tranſmittere, quo apud Regiam Maieſt. Hiſpaniarum, eiuſq; Commiſſarium, ac alios etiam eius locum tenentes, vos iuuare poſsimus, nos ad eam rem paratiſsimos eſſe vobis ſignificamus. Datum Coloniæ, 26. Septemb. 1579.

Superſcriptio talis erat,

Validis ac Honeſtis amicis noſtris, Nobilitati, ac Ciuitatibus Prouinciæ Tranſyſſulanæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

Hæc præcedentia Exhibita vnà cum Relatione ad Sac. Cæſ. Maieſtatem, in Latinum ſermonem translata ſunt per Theodorum Gramineum Ruremondanum, Iuris L.